CIBUS SOLIDUS PERFECTORUM. SIVE DE PROPOSITO ET VOTO SERAPHICO S.M^TRIS N.TERESIÆ,

Faciendi ſemper quidquid intelligeret eſſe perfectius,

Libri duo.

Auctore R. P. F. HERMANNO à S. NORBERTO
Carmelitâ Diſcalceato.

Perfectorum eſt ſolidus cibus. Hebr. 5.

ANTVERPIÆ,
E Typographiâ JOANNIS FRANCISCI CRABBENS,
In plateâ vulgò DE MERE-BRUGH. 1670.

Cum Licentia Superiorum, & Privilegio.



SERAPHICÆ VIRGINI

Sanctæque Matri nostræ

TERESIÆ

A JESU

FRATRUM ET MONIALIUM

Carmelitarum Discalceatorum

REFORMATRICI.

Dilectissima genitrix,

MAgnus Pater noster Elias, per visionem quondam parenti suo fuit ostensus (ut S. Epiphanius refert) ignem, loco cibi, manducare: quem tamen non in suam convertit substan-

 tiam,

tiam, ſed ipſe magis totus factus eſt igneus & igneas ubiq; doctrinas evulgavit. Hinc apud Eccleſiaſticum legimus: *Surrexit Elias quaſi ignis & verbum ipſius quaſi facula ardebat.*

Hic autem ardor ita quondam in primos Majores noſtros fuit transfuſus, ut ipſi poſtquam ſediſſent etiam ſurgentes ignitis ubique prædicationibus veræ Chriſtianæq; fidei flammis corda plurimorum incenderint.

Hinc nimirum eſt quod formoſiſſimam Eccleſiæ primitivæ faciem depingens Joſephus Antiochenus in hūc modum loquatur. *Perfectorum militum Chriſti coadjutores ſurrexerunt, ſtrenuiſſimi viri ſolitarii, contemplationi dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ & Eliſei imitatores, qui de monte Car-*

Carmeli deſcendentes, per Galilæam, Samariam, Palæſtinamque fidem Chriſti conſtantiſsimè ſparſerunt: ab ejus nimirum virtute ſolidati, qui virtutum Dominus rectiſſimè nuncupatur.

Porrò ſicut negari non poteſt illud Sancti Caroli Borromæi: *Vacillemus neceſſe eſt, niſi nos, quàm arctiſsimè fieri poteſt, Deo conjungamus*: ita quantò conjungimur Deo ſtrictiùs, tantò nos operibus charitatis inſiſtere poſſe conſtantiùs, illud fateri compellit, quod vix emiſſo perfectionis majoris voto, Carmelitani vigoris reſtaurationi te videamus accinxiſſe.

Vix Deo promiſeras te facturam ſemper quidquid illi gratius eſſe per-

ſpiceres & ſtatim, cùm non dubitares illius beneplacitum à te Carmeli reformationem exigere, Seraphico prorſus ardore quidquid hîc negotii fuit & feliciter incœpiſti & feliciùs perfeciſti.

Quid inde trahendum eſt conſequentiæ, niſi quod reformationis fructum, huic *Seraphico voto*, tanquam præcipuæ radici, debeamus; niſi quòd votum iſtud nos omnes qui Carmelum reformatum incolimus quaſi Deo genuerit; niſi quòd has lucubrationes meas ad Evangelicos pedes tuos advolvere præſertim conveniat?

Tu certè, *Fæcundiſsima Virgo*, ſola materiam huic opuſculo totam exhibes: ac ideò juſtum eſt ut ſoli quoque

quoque tibi totum opuſculum refundatur; ut ſub alis nimirum tuis patrocinium inveniat & auxilium; ut ignem illum quem ſpargi cupit libellus noſter è tui cordis fornace mutuum accipiat, tuiſque telis medullitùs omnes transfigamur.

Dicentem olim novimus D. Auguſtinum, Deoque gratias agentem: *Sagittaveras tu*, Domine, *cor noſtrum charitate tuâ; & geſtabamus verba tua transfixa viſceribus*: & etiam *exempla ſervorum tuorum*. Horum quoties verborum recordor, ea tibi video plus quàm exprimere valeam convenire; ſic ut jure quondam optimo Seraphicum de cælo telum præcordia tua transfixerit; utpote quæ vel ab ipſis etiam incunabu-

lis

lis inter ignes & jacula nutrimentum acceperis. Nunquid adhuc juvenculam Sanctorum te Martyrum exempla ſic provocarunt, ut aufugiens domo profundendi ſanguinis occaſionem venareris? Nunquid etiam poſteà Seraphicum in te propoſitum ſpecialiter accendit, quòd ignitam S. Patris Auguſtini converſionem attentiùs expenderes?

Utinam & nos tui dignarentur ignes inflammare, tua jacula transverberare: quatenus tuis igniti transfixiſque generoſis exemplis, generoſos etiam animos induamus. Utinam dare tibi jam tandem ceſſaremus occaſionem iracundiæ, quam his olim verbis expreſſiſti. *Perſonæ, quas video timidas, quæ mihi videntur illis inhærere*

rere negotiis, quæ ſecundùm rationem hîc fieri poſſunt, mihi ſtomachum movent: & me faciunt inclamare Deum & Sanctos, qui ſe talibus, quæ nobis modò ſtuporem cauſant, accinxerunt. Non quod ego ſim ad aliquid idonea: ſed quoniam perſuaſum habeo, quòd Deus eos, quorum tendit in magna ſtudium, adjuvet, & quòd nunquam eum, qui in illum ſolum confidit, derelinquat.

Fac oro, *Mater piiſsima*, fac, ut & hæc & aliæ ſimiles doctrinæ, quas libellus hic noſter producit, in medullis cordium noſtrorum intimis exprimantur. Fac ut convertantur quibus magis placet cibus leviſſimus perverſorum, quàm cibus ſolidus perfectorum. Eja precor, jaculum, quod

tuis

tuis inhæret viſceribus, vertatur in calamum, & ignis in atramentum: ut in tabulis cordis carnalibus amoris divini ſcriptus fervor nos jubilare faciat ac dicere: *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.* Cadent nimirum tanquam victi, Deoque perfectè ſervire convicti: ſic ut in hac ſervitute, tantâ regnandi fulgeant excellentiâ, ut nulla poſſit etiam humana ſervitus eos libertate ſuâ privare: Nam optimè D. Auguſtinus; *Bonus, etiamſi ſerviat, liber eſt: malus autem, ſi regnat, ſervus eſt; nec unius hominis; ſed, quod gravius eſt, tot dominorum, quot vitiorum.*

Etenim cum pro ſpiritûs integrâ libertate ſecundùm imitationem Tui, pro aris & focis à te conſtructis opuſculum

culum hoc decertet, auxiliatricem experiatur, obsecro, manum tuam: ut & illius ignorantiam dirigas & infirmitatem corrobores. Ita desiderat, ita petit, ita vovet

Sanctitatis tuæ

Antverpiæ in Conventu nostro S. Ioseph.
Die 17. Ianuarii 1670.

Filius indignissimus
Fr. HERMANNUS A S. NORBERTO
Carm. Disc.

FA-

FACULTAS

Adm. Reverendi Patris noſtri

GENERALIS.

FR. Philippus à Sanctiſſimâ Trinitate, *Præpoſitus Generalis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Sancti Eliæ, Ordinis Beatiſſimæ Virginis* Mariæ *de Monte Carmelo, ac ejuſdem Montis Prior.*

Cum opus, cujus titulus, Cibus ſolidus perfectorum, ſive de propoſito & voto Seraphico Sanctæ Matris Tereſiæ, *à R. P. F.* Hermanno à Sancto Norberto, *Congregationis noſtræ Sacerdote profeſſo, compoſitum, duo ejuſdem noſtræ Congregationis Theologi, quibus illud commiſimus, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem, quoad nos ſpectat, impertimur ut typis mandetur. In quorum fidem præſentes dedimus ſigillo noſtro munitas, ac propriâ manu ſubſcriptas. Savonæ in Conventu noſtro Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo. Die* 26. *Maij* 1669.

Fr. Philippus à Sanctiſſimâ Trinitate
Præpoſitus Generalis.

Locus ✠ Sigilli

Fr. Fauſtus à Sancto Baſilio Secret.

LICEN-

LICENTIA

Adm. Reverendi Patris noſtri

PROVINCIALIS.

FR. Joannes à Matre Dei *Carm. Diſcalceatorum Provinciæ Sancti Ioſeph per Flandro-belgium Provincialis.*

Viſâ per nos licentiâ R. Adm. Patris noſtri Philippi à Sanctiſſimâ Trinitate, *Præpoſiti Generalis noſtræ Congregationis, quâ facultatem concedit R. P.* Hermanno à S. Norberto, *ejuſdem Congregationis Sacerdote profeſſo, typis mandandi librum, cui titulus*, Cibus ſolidus perfectorum, ſive de propoſito & voto Seraphico Sanctæ Matris Tereſiæ, *ab ipſo compoſitum, & à peritis Theologis noſtri Ordinis approbatum, imprimi permitto. In quorum fidem præſentes dedimus, ſigillo noſtro munitas, & propriâ manu ſubſcriptas. Bruxellis in Conventu noſtro Beatiſſimæ Virginis* Mariæ *de Monte Carmelo. Die* 19. *Iunii* 1669.

Fr. Joannes à Matre Dei
Provincialis.

Locus ✠ Sigilli

Fr. Eduardus à Sancto Marco Secret.

APPRO-

APPROBATIO

Theologorum

ORDINIS.

EX *commissione Reverendi Adm. Patris nostri* Philippi à Sanctissimâ Trinitate, *Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Præpositi Generalis, librum cui titulus :* Cibus solidus perfectorum, sive de proposito & voto Seraphico S. Matris N. Teresiæ &c. *compositum per R. P. F.* Hermannum à S. Norberto, *præfati Ordinis Religiosum, attentè perlegimus. In eo nil orthodoxæ fidei contrarium, nihilque bonis moribus adversum invenimus; sed doctrinam sanam, multiplicibus sacræ Scripturæ variisque Sanctorum Patrum testimoniis apprimè confirmatam, nec non ex iis rationibus stabilitam reperimus. Quapropter dignum prælo judicamus. Datum Bruxellis die 5. Aprilis* 1669.

Fr. Carolus à Sancto Joanne Carm. Discal. sacræ Theologiæ Lector.

Fr. Eduardus à Sancto Marco Carm Discalceatus, quondam sacræ Theologiæ Lector.

SUMMA

SUMMA PRIVILEGII.

CAROLUS Dei gratiâ Hiſpaniarum & Jndiarum &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Dipſomate ſuo ſanxit, ne quis præter JOANNIS FRANCISCI CRABBENS, Typographi Antverpienſis, voluntatem, librum cui titulus, CIBUS SOLIDUS PERFECTORUM &c. intra novennium imprimat aut alibi locorum impreſſum in hanc Provinciam importet, venalemve exponat. Qui ſecus faxit, confiſcatione dicti libri & aliis gravibus pœnis multabitur: ſicuti latiùs patet in literis datis Bruxellæ, 20. Decemb. 1669.

Signat

LOYENS.

APPROBATIO
Cenſoris Antverpienſis.

PErlegi *librum cui titulus*: Cibus ſolidus perfectorum, ſive de propoſito & voto Seraphico S. Matris N. Tereſiæ &c. *compoſitum à Reverendo P. F.* Hermanno à Sancto Norberto *Carmelitâ Diſcalceato. Liber hic nihil continet vel ſanæ fidei vel bonis moribus contrarium: ac ob id prælo committi poterit. Datum Antverpiæ* 23. *Octobris* 1669.

Aubertus vanden Eeden Canon. & Archidiaconus Antverpienſis Lib. Cenſor.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

QUAMVIS, amice Lector, omni doctrinæ Christianæ competat, quòd sit animæ *Cibus*, quo nutriri debet, roborari, crescere, confortari, secundùm id quod habetur in Ecclesiastico; CIBAVIT *illum pane vitæ & intellectus:* non tamen omnibus idem cibus est conveniens: quoad parvulos enim lac eis potus datur, non esca solidior. Hinc est illud Principis Apostolorum, parvulos suos exhortantis: *Sicut modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo,* LAC *concupiscite; ut in eo crescatis in salutem.* Apostolus autem Paulus ita loquitur, ad Corinthios scribens: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo,* LAC *potum dedi, non escam: nondum enim poteratis* portare; Secundùm illud nimirum Joannis, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Quoad perfectos autem cibum solidum eis convenire docet idem gentium Apostolus. Postquam enim corripuisset Hebræos, dicens: *Cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini elementa exordii sermonum*

Eccl. 15. *v.* 3.

1. *Petr.* 2. *v.* 2.

1. *Cor.* 3. *v.* 2.

Heb. 5. *v.* 12.

Dei & facti estis quibus LACTE *opus sit, non* SOLIDO CIBO. *Omnis enim qui* LACTIS *est particeps, expers est sermonis justitiæ*, id est, non potest habere partem in sermonibus justitiæ perfectè intelligendis: mox adiungit: PERFECTORUM AUTEM EST SOLIDUS CIBUS; *eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.*

Utilissimam porrò quæstionem hîc movet S. Aquinas: Quomodo nimirum citatam correptionem Hebræis rectè scripserit Apostolus, cum jam insuperioribus hîc multa difficilia tradiderit, scilicet de mysterio Trinitatis & de Sacramento Incarnationis & multa alia ardua? Videtur enim inde concludendum, quòd vel Hebræi non erant parvuli, vel talia tradenda sunt parvulis. Huic autem difficultati sic ab eodem Angelico Doctore respondetur: *Dicendum est secundùm Augustinum, quòd non est intelligendum, quòd in doctrinâ Fidei alia sunt tradenda majoribus & perfectis, & alia imperfectis: Non enim est inter eos ista differentia: Eadem enim utrisque sunt tradenda; sed parvulis* PROPONENDA *sunt, sed non* EXPONENDA *nec pertractanda: quia intellectus eorum magis deficeret quàm elevaretur.*

D. Tho. in loc. cit.

Eædem

Eędem ergo doctrinæ parvulis & perfectis tradendę ſunt quoad ſubſtantiam, ſed alio modo parvulis & alio perfectis. Unde prudenter olim Canticorum explanationem D. Bernardus incipiens, ita loquebatur: *Vobis, Fratres, alia quàm aliis de ſæculo aut certè* ALITER *dicenda ſunt.* Ut quid enim? *Illis ſiquidem* LAC *potum dat non* ESCAM, *qui Apoſtoli formam tenet in docendo. Nam ſpiritualibus ſolidiora apponenda eſſe jtidem ipſe ſuo docet exemplo: loquimur, inquiens, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrinâ ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Item, Sapientiam loquimur inter perfectos, quales nimirum vos eſſe confido, niſi fruſtra fortè jam ex longo ſtudiis eſtis cæleſtibus occupati, exercitati ſenſibus, & in lege Domini meditantes die ac nocte.* D. Bern.

Etenim cum ad ſimiles etiam hoc meum dirigatur opuſculum, fas mihi ſit cum eodem Doctore mellifluo ſimiliter hîc monere: *Parate fauces non* LACTI, *ſed* PANI: non fluido potui parvulorum, ſed cibo ſolido perfectorum.

Si quis autem parvulus eſt vel infirmus, non miretur cibum hunc ſuo non arridere palato, ſed meminerit ſapienter ab Auguſtino dictum: *Ægro palato*

pæna est PANIS, *qui sano suavis est.* Meminerit eundem Sanctissimum Antistitem, postquam, initia suæ conversionis referens, exclamasset; *O Æterna veritas, & vera charitas & chara æternitas! Tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte,* statim subjunxisse: *Cùm te primùm agnovi, tu assumpsisti me, ut viderem esse, quod viderem; & nondum me esse, qui viderem: Et reverberasti infirmitatem aspectus mei: & inveni me longè esse à te, in regione dissimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam de excelso:* CIBUS SUM GRANDIUM; *cresce & manducabis me.*

Aug. l. 7. Con. c. 16

Aug. l. 7. Con. c. 10

Licet ille cibus, de quo Salvator ait: *Meus* CIBUS *est, ut faciam* VOLUNTATEM *ejus qui misit me,* parvulorum capacitatem non excedat, quando sic exponitur, prout in observantiâ præceptorum aut aliquorum etiam divinorum consiliorum invenitur: verè tamen *cibus est grandium*, quando modo sublimiori declaratur: quando nimirum supradicta *voluntas* ita generaliter amplectenda suadetur, ut nullum opus bonum cujuscumque sive præcepti sive consilii prorsus advertenter omittatur, proponendo scilicet semper facere quidquid intelligitur esse *divinæ voluntati* conformius.

Ioan. 4. v. 34.

Non quòd incipientibus aut recenter conversis hujusmodi formare propositum non expediat (aliud enim in opusculi decursu demonstrabitur) sed quoniam illius doctrina vix aut non solet à supradictis comprehendi: rectissimè siquidem huic doctrinæ potest applicari quod apud Isaiam legimus: *Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Isa. 28. v. 9.

Super illud Psalmi, *sicut ablactatus est super matre suâ*, dicit glossa ordinaria: *In utero matris Ecclesiæ primò concipimur, dum fidei rudimentis instruimur: deinde in lucem educimur, dum per baptismum regeneramur: deinde quasi manibus Ecclesiæ portamur & lacte nutrimur, cùm post baptismum bonis operibus informamur, &* LACTE SPIRITUALIS DOCTRINÆ *nutrimur proficiendo, donec jam grandiusculi à lacte matris accedamus ad mensam patris.* Maternis uberibus non semper adhærendum est: sed postquam crevit aliquis in virum perfectum, in mensuram ætatis quasi plenitudinis Christi, debet evacuare quæ sunt parvuli, magisque solidum cibum esurire.

Non defuerunt, qui, licet faterentur

doctrinam hujus opuſculi ſanam ac ſolidam eſſe, non judicabant expedient tamen, ut publico proponeretur, hanc allegantes rationem, quia capacitatem illiús non omnes habent. Diſcere velim à ſimilibus, an expellendum judicarent menſæ miniſtrum, qui, dum ſufficientes inveniuntur, quibus hoc eſt curæ, ut lac parvulis apponant, ſolidiores quærit inferre dapes, adultis congruentes? An objicerent haſce dapes non omnium eſſe? An proclamarent eas ad nihil conducere, nullam utilitatem adferre? Nemo ſanæ mentis inficiabitur, quin, ſicut de congruenti cibo providendum eſt parvulis, ſic etiam & provectioris & perfectioris ætatis. Probentur igitur illi, qui parvulis in Chriſto, facilioris doctrinæ lac provident. Non reprobentur, qui talis doctrinæ proferunt eſcam, ut & perfecti ſuo non careant alimento: nec repellantur inferentes cibum, qui ſit *Cibus ſolidus perfectorum.*

Quòd ſi quis interroget, quænam ſit utilitas hujuſmodi cibi, Divum Thomam docere perpendat, non ſolùm verificari poſſe, quòd *omnis Scriptura divinitus inſpirata*, ſed quòd etiam omnis alia quæcumque vera, ſit UTILIS *ad docendum*

D. Thom. in 2. ad Tim. c. 3.

dum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ, prout loquitur D. Paulus: eò quòd secundùm Ambrosium, *Omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto est.*

Itaque cum Apostolo jam allegato (cujus epistolæ supprimi nequaquam debuerunt, quamvis Apostolorum Princeps asseveret, quòd sint in eis *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem*) cum fiduciâ mihi dicere liceat; *Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur.* 2. Pet. 3. v. 16. Heb. 6. v. 1.

Quid est, *Ad perfectiora feramur?* *Ad ipsum transeamus cacumen, hoc est, vitam optimam habeamus*, inquit D. Chrysostomus. Quid est, *Ad perfectiora feramur?* *Id est, ad ea quæ spectant ad perfectionem doctrinæ Christi*, respondet S. Thomas. Quid ergo significat illud, *Ad perfectiora?* *Ad doctrinam perfectorum*, interpretatur Nic. de Lira. Quid verò, *Feramur?* *Hoc est, rapiamur, impetu proruamus, quasi alienâ & supercælesti vi acti*, dicit quidam instructor asceticus. *Nierem. in doc. asceti. l. 1. d. 3. c. 1*

Auctor perfectionis & consummator Jesus ubique prædicatur, quamvis & scandalum sit Judæis & stultitia gentibus,

tibus. Concludamus igitur non abstinendum à perfectionis doctrinâ propter imperfectos. Nec illud etiam ignoremus, non arguendum in scriptore, quòd, licet imperfectus sit ipsemet, proponere tamen doctrinam audeat, quæ sit *Cibus solidus perfectorum*. Appositissimè siquidem S. Bonaventura non imponendum ostendit silentium, virtutem aliquam extollentibus, licet ipsi virtutem illam non habeant.

Etenim hic S. Doctor, postquam pro defensione paupertatis in communi, diversos allegasset auctores, qui paupertatem hujusmodi non observarunt, ita loquitur: *His autem non obstat præallegatorum vita Sanctorum qui communia possederunt, quasi non debuerint aliter docere quàm viuere: quia mos esse solet piis doctoribus, ut eas virtutum prærogativas, quibus carere se vident, in alijs mirentur & prædicent. Sicut Hieronymus ad Pammachium scribens: Virginitatem, inquit, in cælum fero, non quia habeo, sed quia magis miror quod non habeo. Ingenua enim & verecunda confessio est, quo ipse careas in alijs prædicare. Nunquid quia gravi corpore terræ hæreo, avium non miror volatus? Hæc Hieronymus.*

Bonav. in Apol. paup. Resp. 3. c. 1.

Cui etiam Chrysostomus consonat, qui

Ægyp-

Ægyptios monachos laudans, ait. Nunc veniens in eremum Ægypti, paradiso hanc similem videbis effectam &c. Verecundemur igitur omnes, & divites & inopes, cum nil illi penitus habentes nisi corpus, & manus suas, cogant & litigent impensas hinc indigentibus invenire, nos autem decem millibus intus reconditis, neque superflua ad hoc tangimus. Hæc Chrysostomus. Qui ut doctor Sanctus & verax quasi ad sui, & aliorum sibi similium verecundiam, paupertatis excellentiam in monachis Ægypti commendat.

Simile per omnia sacer dicit Ambrosius: Christus, ait, Dominus noster Sacerdotibus quid præcepit, audiamus: Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Contremisco hæc dicens: Meus enim primò omnium, meus inquam ipse accusator existo, meas condemnationes loquor. Et post pauca: *Nunquidnam quia nos redarguit conscientia, legere non proferre, quæ scripta sunt, possumus? Nolo duplicati criminis esse reus, confiteor & palam audiente populo confiteor, hæc scripta esse, etiamsi nondum implesse me novi.*

Auctoritates hasce proferendas existimavi, ne propter meas imperfectiones contemptui sint hæ meæ de perfectione lucubrationes. Quamquam & illud fa-

tendum est, in hisce lucubrationibus meis, nihil meum esse: quidquid enim doctrinæ continet hic libellus, ex virorum nominatissimorum calamo trahit originem.

Nec mirari quispiam debet, quòd ego tam abiectus, de tam sublimi scribens materiâ, tam solicitus fuerim aliena potius quàm propria sentimenta proferre, cum ipsemet Divus Bernardus prædictam scribendi formam sectatus fuerit; tractans enim de verecundiâ, sic loquitur: *Ut clariùs pateſcat quanta & qualis virtus ſit verecundia, Patris Ambroſii magnâ ex parte ponam ſenſus & verba: ut ſi fortè me parvi penderint ſtultum homuncionem; magnum Ambroſium, imò in Ambroſio Chriſtum, non audeant ſpernere.*

Bern. de Ord. vitæ & morum

Nemo cogitare debet meam exiguitatem hoc arrogare sibi, quòd ipsa velit ita cibi solidi perfectorum *auctrix* haberi, tanquam si foret ille cibus ab illius industriâ præparatus. Nequaquam; sed hoc tantummodò suum esse fatetur, quòd cibum ab expertissimis præparatum, quasi mensæ paternæ ministra, apponat. Hac autem ratione dum procedit, extra dubium ponitur, quin cibus ille sive doctrina, *Soliditatis* titulo gau-

dere valeat & appellari: *Cibus* SOLIDUS *perfectorum.*

Accedit insuper alia ratio, cur sibi titulum hunc accipiat: quia scilicet non tantùm quærit explanare *propositum* faciendi semper Deo gratiora, verùm etiam *votum*, quod utique Soliditatem inducit: eò quòd perfectam animam Solidet atque confirmet, confidentem in eum, de quo legimus: *Modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* 1. Petr. 5. v. 10. Porrò cum Tractatus hic *Perfectorum* utilitati tam specialiter intendat, non tantùm sub ratione communi, sicut alia quæcumque doctrina sublimior, sed speciali valdè, potest appellari, *Cibus solidus* PERFECTORUM.

In totâ S. Matris N. TERESIÆ vitâ sicut nihil notius, ita nihil ignotius esse crediderim, quàm *Votum* illud *Seraphicum*, quo Deo promisit semper facere quidquid intelligeret esse perfectius. Hoc *votum* undique resonat in pulpitis, extollitur in codicibus, celebratur ab universis. Nec immeritò sanè, cum ipsa Mater Ecclesia præfati *voti* satis honorabilem, in Officio Romano supradictæ Virginis, fieri mentionem voluerit, his verbis: *Tanto divini amoris incendio cor ejus con-*

conflagravit; ut meritò viderit Angelum ignito jaculo sibi præcordia transverberantem: & audierit Christum datâ dextrâ dicentem sibi: deinceps ut vera sponsa meum zelabis honorem. Eo consiliante, maximè arduum votum emisit faciendi semper quidquid perfectius esse intelligeret. Vix quidem ullus Ecclesiæ Filius est, qui *votum* hoc à Seraphicâ Virgine nuncupatum non sciat: ipse tamen scientiæ nucleus videtur in tenebris quasi delitescere: quia neminem exposuisse reperio, sitne conveniens etiam aliis perfectionem hujusmodi Deo promittere?

Brev. Rō. die 15. Oct.

Etenim cum, postquam in primo libro *Seraphicum* de majori perfectione descripsi *propositum*, fracto cortice vel putamine, supradictum nucleum in libro secundo proponam & explicem: non defuturos existimo, qui relictâ primi libri lectione, statim in secundum avidiùs involabunt. Quamvis autem hoc in viris eminentioribus nolim arguere: ordinariæ tamen industriæ personis non solùm utile, sed etiam necessarium esse crediderim, ut absque condimento salis nucleum non devorent.

Non rectè solet, acquisitę perfectio-

nis

nis obligatio sumi per *votum*, nisi perfectionis ejusdem anteà *propositum* efficax & exercitium fidele præcesserit: ita nisi priùs intelligatur dicti jam *propositi* conditio, non plenè potest etiam citati *voti* sublimitas penetrari: quia nimirum debet scientia *propositi*, scientiæ *voti* viam aperire: sicut ex *proposito votum* debet procedere.

Unde processisse dicendum est S. Matris N. TERESIÆ de majori perfectione *votum*, nisi ex præcedente perfectionis ejusdem *proposito* efficaci? Non est inventionis meæ quod innuo, sed ipsimet Auditores sacri Tribunalis Rotæ in relationibus quas Paulo V. fecerunt, in ordine ad Canonizationem Seraphicæ Virginis, ita loquuntur: *Accedunt prædictis* EFFICAX PROPOSITUM, *curaque continua sui ipsius, suarumque actionum, & cogitationum quâ ambulabat de non offendendo Deum, sibi adeò dilectum, nedum culpâ veniali & levi: verùm nec actu aliquo minoris perfectionis.* *Sacr. Rotæ Relat. 2. art. 5.*

Deinde subnectunt; Ex QUO (nimirum EFFICACI PROPOSITO) *processit illud* VOTUM *rarum ac notatu dignum quod emisit. Nempe semper agendi quod inter multa quæ illi occurrerent gratius & acceptius Deo sibi videretur. Ita ut per talem voti emissionem, non solùm*

ſolùm voluit quod placitum eſſet Deo adimplere, quod amoris iſtius magnum ſignum fuiſſet, juxta illud Ioan. c. 14. Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit; ſed etiam tanquam illa quæ inter iſtas amoris flammas ardebat, voluit & quod perfectius & quod Deo acceptius judicaret, illud exequi, & ad id voto *ſe aſtringi.* Ecce quomodo Sacrata Rota *Seraphicum votum*, ex prævio ſimili propoſito, ſignificat proceſſiſſe.

Ecce quomodo per hoc appoſitè doceor, qualem ſcriptionis ordinem debeam obſervare, nimirum, ut antequam prudentem *voti Tereſiani*, ſemper faciendi quidquid intelligitur eſſe perfectius, æmulationem incipiam explanare, quantâ poſſum vivacitate priùs declarem, quantoperè ſit expediens S. Matrem N. Tereſiam ardenter in *Propoſito Seraphico*, ſi non aſſequi, ſaltem ſequi.

Videamus itaque primò fontem unde bona propemodum infinita promanant, hoc eſt, *Propoſitum efficax omnimodæ perfectionis.* Secundò conſideremus unum particulare bonum, videlicet *Votum dictæ perfectionis*, quod ex jndicato jam fonte, quaſi flumen aliquod fortunatiſſimum, natum eſt procedere.

Referunt Coſmographi fontem præ-

cla-

clariſſimum ad radices montis, inſtar Æthnæ ignivomi, in Groenlandiâ ſcaturire, cujus candentibus aquis, non ſolùm omnia Monaſterii, quod ibidem Prædicatores poſſident, habitacula calefiunt inſtar hypocauſti, ſed etiam panis & cibi nullo alio adhibito igni excoquuntur. Hortos vicinos ita tepefaciunt dictæ jam aquæ, ut vario florum herbarumque genere perpetuò rideant. Proximus etiam maris tractus harum aquarum benignitate nunquam congelatur, ſed piſcibus hominibuſque perpetuò patet. Inde hîc tantus aquatilium piſciumque ex frigidioribus locis concurſus, ut non ſolùm dicti Monachi, ſed circumvicini quoque accolæ, ſuaviter inde vivant.

Sciunt multi candentes illas Tereſianæ promiſſionis, agendi ſemper quidquid eſſe perfectius intelligitur, aquas, innumerabilia quondam bona ſacratiſſimo Carmelitarum Ordini contuliſſe, miranturque ſtupentes, & rectè. Verùm neſcio quid cauſæ lateat, quòd ipſum harum aquarum fontem in ignivomo Seraphici cordis monte, *Propoſitum* ſcilicet *efficax illimitatæ perfectionis*, adeò pauci conſiderent & paucio-

res

tes adhuc æmulari contendant.

Verumenimverò quamvis omnes omninò fideles obligati sint habere *Propositum Christianum* semper faciendi perfectiora, consistens in hoc, quòd ultra mandatorum observantiam conatus aliquis adhibeatur ad perfectionem sublimiorem proficiendi. Quamvis omnes etiam Regulares teneantur habere *Propositum Religiosum* semper faciendi perfectiora, sive quantum prævalent ad illam perfectionem tendendi, quâ non tantùm observantur ea quæ solent in Religiosâ professione Deo promitti, sed implentur omnia quæ *voluntati divinæ* magis intelliguntur accepta. Nemo tamen ad *Seraphicum propositum* graviter est obstrictus, hoc est, ut efficaciter velit ea semper facere quæ novit esse perfectiora, nisi per votum aliquod hujus perfectissimi status obligationem contraxerit.

Diligenter autem hîc advertendum est, quod *Propositum Seraphicum* nihil sit aliud quàm propositum efficax, hoc est, ardens *perfectæ libertatis* sive liberæ charitatis: quoniam *ubi spiritus Domini* (qui charitas est) *ibi libertas*. Perfectio verò charitatis attenditur secundùm

cundùm abſentiam univerſę cupiditatis, Auguſtino docente: *Charitatis venenum eſt ſpes adipiſcendorum temporalium & retinendorum: Nutrimentum ejus, imminutio cupiditatis:* PERFECTIO, NULLA CUPIDITAS. *Aug. lib. 88. Qq. qu. 36.*

Ut quis igitur non verbo aut linguâ, ſed opere & veritate, perfectionem charitatis attingat, efficaxque propoſitum perfectiora ſemper operandi poſſideat, cor liberum ab omni cupiditate ſic debet habere, ut verum ſit dicere, quòd *nulla cupiditas* ipſum irretiat aut conſtringat.

Ipſæ profectò cupiditates, quando conſenſum illis præbemus, quaſi *vinculis* quibuſdam impediunt nos & retrahunt, ne feliciſſimo dilectionis vinculo, quod veram animæ tribuit *libertatem*, rerum omnium Creatori perfectè copulemur. Unde primo libro, vinculorum hujuſmodi ſolutionem, adeoque PERFECTAM LIBERTATEM, liberamque charitatem depingere conabor: quatenus hac libertate pleniùs intellectâ, magis autem adeptâ, capere valeamus quantoperè ſit expediens illam congruenti voto, quaſi novo ſuperaddito vinculo confirmare; quòd ſecundo libro demonſtrabitur.

Præfatio.

Antequam verò tabulæ manum admoveam, unicum eſt de quo te, Lector amice, præmonitum cupio: videlicet, me claritati ſcribendo ſtuduiſſe, non fuco. Chriſtianum agere malui, quàm Ciceronianum: ac propterea benevolentiam tuam obteſtor, ne conſideres quàm benè, ſed quàm verè ſcribam: non quomodo, ſed quid. A ſesquipedalibus verbis, à verborum floſculis, à dictionum acuminibus de induſtriâ abſtinui; quia deſidero tuam indūſtriam non aliter quàm circa rem ipſam occupari. Deſiderium cordis mei cum deſiderio Sapientis Romani coincidit, qui ſic loquitur: *Non delectent verba mea, ſed proſint. Oratio ſit talis, ut res potiùs quàm ſe oſtendat. Non quærit æger medicum eloquentem, ſed ſanantem: ſed ſi comperit ut idem ille qui ſanare poteſt, comptè de his quæ facienda ſunt diſſerat, boni conſulet; non tamen erit quare gratuletur ſibi, quòd inciderit in medicum etiam diſertum. Hoc enim tale eſt, quale ſi peritus gubernator, etiam formoſus eſt. Quid aures meas ſcalpis? Quid oblectas? Aliud agitur. Urendus ſum, ad hoc adhibitus es.* Sequar monentis conſilium: utinam aſſequar conſulentis monitum.

Senec. Epiſt. 75.

Si quid minus rectè poſitum inveneris

(prout

(prout abſque dubio non difficulter invenire poteris) memento precor quòd hæc ſcribat *non doctor perfectus*, *ſed* (ut cum Auguſtino loquar) *cum docendis perficiendus*. Si quid etiam non ineptè notatum adverteris, non propterea plauſum, ſed planctum requiro: quia negare nec volo nec valeo, quòd factis ſcripta confundam. Reſpira ſic igitur in bonis meis (non tamen meis, ſed Dei donis) ut ſuſpires in malis meis, mecumque conſpires in affectuoſiſſimis orationibus: ut ea quæ ſcribo de perfectione, perfectiùs quàm huc uſque feci ponam in executione, & ut aliquando cogitantem, ſcribentem, loquentem de *Voluntate Dei*, ſed magis adhuc ſecundùm illam viventem, optata mors inveniat: quia præſtat ſcribenda facere, quàm ſcribere facienda: præſtat in fine vitæ cum Apoſtolo poſſe dicere: *benè vixi*, quàm cum Tullio: *Benè dixi*.

Etenim cum in veritate ne quidem poſſit benè dicere, qui ſe ſibi credit ſufficere, cuncta quæ complectitur hoc opuſculum, ſanctæ Matris Eccleſiæ iudicio, quæ firmamentum eſt & columna veritatis, ſubſtrata volo.

NO-

NOTA.

UT cor in perfectâ libertate, liberaque charitate, sive modo perfectorum & in perfectione possit ad cœlestem aspirare perfectionem, tria *cupiditatis* (hoc est, adhæsionis omninò voluntariæ) *vincula* debet abrumpere.

I. *Rerum omnibus Christianis illicitarum.*

II. *Rerum vitam Religiosam profitentibus illicitarum.*

III. *Rerum omnium, ipsis etiam Religiosis licitarum.*

CIBUS

CIBUS SOLIDUS PERFECTORUM.

SIVE

DE PROPOSITO ET VOTO SERAPHICO

S.M.TRIS N.TERESIÆ,

Faciendi ſemper quidquid intelligitur eſſe perfectius,

LIBER PRIMUS

Qui eſt de propoſito.

CAPUT PRIMUM.

Quidnam ſit vel ſignificet Propoſitum Seraphicum *faciendi ſemper quidquid intelligitur eſſe perfectius*

§. A

BREVITER quidem in ipsâ Tractatus præfatione ſignificavimus, quidnam ſit propoſitum Seraphicum, efficiendi ſemper quidquid intelligitur eſſe perfectius:

quia tamen clarior illius rei cognitio debet haberi, cujus cognitioni tanquam fundamento reliqua scientiæ structura firmiter innitatur, sciendum est:

Primò, quòd propositum Seraphicum faciendi semper ea quæ cognoscuntur esse perfectiora, prout illud vulgus apprehendit, non tantùm non sit laudabile, verùm etiam perversum & reprehensibile: solet enim vulgus existimare, quòd hujusmodi propositum requirat, ut semper ea fiant quæ sunt in abstracto perfectiora: cujus tamen contrarium omninò sentiendum esse tunc apparebit, cùm ostendemus perfectionem propter perfectionem sæpius deserendam. *Lib. 1. c. 6.*

Secundò considerandum est, quòd, si quis illud, *semper facere quidquid intelligitur esse perfectius*, ita velit accipiendum, ut idem significet quod *semper actu in Deum ferri* (quæ perfectio tantæ sublimitatis est ut eam solis in cœlo beatis competere D. Thomas affirmet) tunc dici possit, quòd Seraphicum de jam dictâ perfectione propositum significet desiderii cœlestis perfectionis ardorem quendam, sive solidam ac veram perfectionem: sic ut hujusmodi propositum habere *§. B.* *D. Tho. 22. qu. 184. a. 2.*

bere sit dicendus, qui perfectionem cœlestem perfecto modo concupiscit, sive qui non tantùm *ad* perfectionem sublimissimam, verùm etiam *in* perfectione sive modo perfectorum tendit.

Explico me clariùs. Per hoc mandatum primum & maximum; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, tanta nobis perfectio præcipitur, ut nec ipsi quidem in cœlis beati majorem habeant, quamvis absque defectu semper actualiter ferantur in Deum. Hæc autem perfectio non ita nobis in hac vitâ præcipitur quasi forent extra viam salutis, qui non possident illam de facto; nequaquam: sed ideò solùm hujusmodi præceptum imponitur, ut quò debeamus tendere, quò vitæ cursum dirigere, non ignoremus. Unde præclarissimè quondam S. Augustinus: *Cur* (inquit) *non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vitâ nemo habeat? Non enim rectè curritur si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur si nullis præceptis ostenderetur?*

Aug. apud D. Th. 2. 2. q. 44. art. 6. ad 3.

Cœlestem itaque perfectionem nobis præcipit Deus, non ut eam actu habeamus, sed ut ad eam tendamus, & eo fine laboremus quatenus illam assequa-

Vide D. Tho. ubi supra in corp.

mur: sicut si Rex aliquis Duci præciperet, ut arcem aliquam expugnaret: quia sicuti Dux verè dici posset præceptum Regis implere, quamdiu prædictam arcem viriliter oppugnat, licet necdum eò pervenerit ut expugnarit; ita similiter quamdiu cœlesti perfectioni vim inferimus ut illam obtineamus, quamvis eam necdum obtinuerimus, à prævaricationis culpâ sumus immunes.

Jam verò non-nulli sunt, qui modo quodam excellentiori, quàm vel ipsi quoque reformatissimi Religiosi per suam obligentur professionem, ad cælestis metam perfectionis properant: quia cum omnes Religiosæ professiones nihil expetant aliud, quàm ut per observantiam suorum votorum, secundùm certam Regulam determinatorum, tendant *ad* cœlestem perfectionem; aliquorum tamen tendentia tantum ardoris habet ac fervoris, ut *ad* prædictam perfectionem dici possint ac debeant *in* perfectione, hoc est, eo modo quo convenit illis qui pervenerunt ad gradum acquisitæ perfectionis, tendere. Pro quo nota, quod

§. C. *Dividi solet status perfectionis in statum perfectionis jam adeptæ sive exercendæ (qualis est status Prælatorum, utpote Episcoporum) &*

in ſtatum adipiſcendæ ſive acquirendæ perfectionis, qualis eſt ſtatus Religioſorum. Hoc enim intereſt inter Epiſcopos & Religioſos, quòd ii non tenentur continuò eſſe perfecti, ſed tantùm ad perfectionem aſpirare; verſantur enim in palæſtrâ & exercitatione virtutum & remotione impedimentorum: illi verò tenentur eſſe perfecti & in eo gradu charitatis inveniri, ad quem Religioſi per ſua vota & exercitia tendũt. Ven. P. N. Thõ. de var. Reg. Carm. parte 2. dub. 7.

Ita cum ſententiâ Theologorum communi docet Ven. Pater noſter Thomas à Jeſu: cujus auctoritatem propterea libentiùs hîc in medium adduco, quod me legiſſe meminerim, in aliquo M. S., non tantùm *Seraphicum propoſitum* eum habuiſſe, verùm etiam *votum*; adeoque ſuo nobis exemplo demonſtraſſe, quòd etiam extra ſtatum Epiſcopalem poſſit aliquis eſſe perfectus, hoc eſt, in gradu perfectionis acquiſitæ. Plus quidem ſplendoris habet in Eccleſiâ ſtatus Epiſcoporum: non tamen ideò plus perfectionis; utpote quæ non tam ſecundùm ſplendorem quàm ſecundùm ardorem attenditur: ita ſcilicet ut illi gloria *perfectionis acquiſitæ* competat, & *Seraphicum* verè *propoſitum* habeat, qui non tantùm habet charitatem, ſed verum inſuper charitatis ardorem.

Quàm aptè porrò vox illa *Seraphicum* ad hoc assumatur, ut ardorem præfatum significet, ex D. Gregorio possumus addiscere: primò siquidem Sanctus hic *Seraphinorum* conditionem ut ab aliis distinctam ita describit: SERAPHIM *vocantur illa spirituum sanctorum agmina, quæ ex singulari propinquitate Conditoris sui incomparabili* ARDENT *amore:* SERAPHIM *quippe* ARDENTES *vel* INCENDENTES *vocantur; quorum profectò flamma amor est: quia quo subtiliùs claritatem Divinitatis ejus aspiciunt, eo validiùs in ejus amore* FLAMMESCUNT. Deinde post pauca subnectit: *Debemus & nos ex distinctionibus supernorum civium ad usum conversationis trahere, nosque ipsos ad incrementa virtutum bonis studijs* INFLAMMARE. *Quia enim illuc tanta ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit Angelorum; superest ut ipsi quoque homines, qui ad cœlestem patriam redeunt, ex ejus agminibus aliquid illuc revertentes imitentur. Distinctæ namque conversationes hominum ordinibus congruunt, ut in eorum sortem per conversationis similitudinem deputentur.* Igitur, ut exponat quinam Seraphicam habeant conversationem, sic tandem loquitur: *Sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis facibus* ACCENSI, *in solo*

D. Gregor. Hom. 34. in Evang.

Condi-

Conditoris sui desiderio anhelant : nihil jam in hoc mundo cupiunt , solo æternitatis amore pascuntur , terrena quæcunque abjiciunt , cuncta temporalia mente transcendunt ; amant & ARDENT , *atque in ipso suo* ARDORE *requiescunt : amando* ARDENT , *loquendo & alios* ACCENDUNT ; *& quos verbo tangunt,* ARDERE *protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos nisi* SERAPHIM *dixerim , quorum cor in igne conversum lucet , & urit , quia & mentium oculos ad superna illuminant , & eos compungendo in fletibus , vitiorum rubiginem purgant.*

Divus etiam Bernardus, ipsâ Veritatis assertione dicentis ; *Ignem veni mittere in terram , & quid volo nisi* UT ACCENDATUR, apertissimè demonstrat, ideò Christum assumpsisse carnem, ut, sicut in cœlis non tantùm inferioris ordinis habet Angelos, verùm etiam superioris, & singulariter eos qui dicuntur *Seraphim* ; sic etiam in terris non tantùm invenirentur homines charitatis ignem habentes, sed etiam ejusdem ignis ardorem. Certè sicut ignis ardens ab alio qui flammam non habet est diversus, diversum esse *propositum Seraphicum* à propositis aliis postmodum clariùs apparebit.

Luc. 12. *v.* 49.

Vide hic lib. I. *c.* II. §. F.

Verumenimverò cum possit illud, §. D.

ſemper facère quidquid intelligitur eſſe perfectius, etiam ſic accipi, ut per hoc exprimatur ille modus, quo ſolent illi, qui ad gradum acquiſitæ perfectionis aſcenderunt, aliorum, hoc eſt, incipientium aut proficientium, agendi modum ſuperant, videtur etiam *propoſitum Seraphicum* his poſſe verbis definiri:

Propoſitum Seraphicum faciendi ſemper quidquid intelligitur eſſe perfectius, *eſt propoſitum ardens & efficax in fundo cordis appretiativè diligendi ſuper omnia divinæ voluntatis executionem univerſaliter in omnibus, etiam non præceptis.*

Antequam partes hujus deſcriptionis explicem, admonendos breviter in Chriſto parvulos arbitror, ne præcipitanter aliquid in hac materiâ concludant; exiſtimando videlicet, quòd hanc *Seraphici propoſiti* definitionem, per unius verbi mutationem, ſufficiat applicare *voto Seraphico*, dicendo videlicet: *Votum Seraphicum faciendi ſemper &c. eſt votum in fundo cordis*

cordis appretiativè diligendi ſuper omnia divinæ voluntatis executionem, in omnibus etiam non præceptis: quamvis enim ſatis adæquata videatur iſta definitio; niſi tamen hujuſmodi votum emittere deſiderans accuratiùs quoad illud inſtruatur, erroris non exigui præcipitium immineret. Ac propterea tyrones iterum iterumque velim admonitos, ne ſuam quoad *Seraphicum votum* ſententiam ullo modo precipitent; nec volare feſtinent antequam alas habeant. Satis erit pro nunc *propoſiti Seraphici* definitionem intelligere.

§. F.

Dixi 1. *Seraphicum propoſitam* faciendi ſemper &c. eſſe *propoſitū ardens & efficax*, hoc eſt, tam ardens ut ſit efficax & omninò plenum. Quia ſcilicet ad *propoſitum Seraphicum* nequaquam ſufficit quodcunque propoſitum faciendi ſemper ea quæ cognoſcuntur eſſe pefectiora, etiam inefficax aut ſemi-plenum: eò quòd jam oſtenderimus aliqualis propoſiti ad ſublimiſſimam tendendi perfectionem, omnibus obligationem adjacere, cum tamen ad *propoſitum Seraphicum* ne Religioſorum quidem ullus obligetur.

Dixi 2. quòd ſit propoſitum *in fundo cordis* diligendi: Tunc autem aliquid *in fundo cordis*, id eſt, *voluntatis* fieri dicendum

eſt

est, quando facimus illud non tantùm eligentes, sed *ex electione*: quando facimus illud non ex aliquâ pertranseunte passione vel ex ignorantiâ, sed prorsus & omninò voluntariè sive *de industriâ*: quamvis enim possibile non videatur, quòd aliquis nunquam omittat facere quæ novit esse divinæ voluntati magis conformia; facilè tamen fieri, cum divinâ gratiâ, potest, ut hæc nunquam omittat *ex electione sive de industriâ*: prout postea latiùs explicabitur.

Dixi 3. quòd sit propositum *appretiativè diligendi super omnia*, sive magis quàm ullam creaturarum, *divinæ voluntatis executionem*. Pro quo nota, quòd *appretiativè* rem aliquam diligere magis distingui soleat, ab eo quod est eam *intensivè* vel *affectivè* magis diligere. *Appretiativè* magis aliquid amatur, quando collatum illud cum alio, & in bilance quasi considerationis appensum, illi per voluntatis electionem præfertur. Ita solent matres appretiativè magis amare filios natu majores, familiæ suæ fulcra, quàm alias proles infantulas: quia licet multò plura dilectionis indicia præbeant infantulis & affectu magis tenero videantur illis conglutinatæ, quòd si tamen indispensabi-

liter

liter amittere deberent aut illas aut filios natu majores, hîc, quoſnam in pretio magis habeant, ſatis oſtenderent, ac natu majores infantulis per electionem non dubiam præferrent.

Affectivè magis aliquid amatur, quando citra conſiderationem aut collationem aliquam amittendi vel unum vel aliud, ſuavior quidam affectus & voluntatis major propenſio verſus unum, quàm verſus aliud, percipitur. Et ſic in exemplo jàm allegato, ſolent matres *affectivè* magis amare proles infantulas, quàm natu majores, familiæ columnas. Quamvis autem non requiratur ad *propoſitum Seraphicum*, ut executio *divinæ voluntatis* tam conſulentis quàm præcipientis *affectivè* magis diligatur, quàm ulla creaturarum, *appretativè* nihilominus ſummè debet amari.

Dixi 4. *univerſaliter in omnibus, etiam non præceptis.* Per quæ verba *propoſitum Seraphicum* ab illo propoſito, cujus obligationem habent omnes Chriſtiani vel etiam Religioſi, maximè diſtinguitur: omnes enim Chriſtiani ſuæ ſatisfaciunt obligationi, quando proponunt appretiativè ſuper omnia diligere *divinæ voluntatis* executionem in illis quæ præcipiendo

do constituit: quamvis autem Religiosi per vota suæ professionis ad hoc insuper obligentur, ut hanc executionem in aliquibus etiam non præceptis appretiativè super omnia diligant; hujusmodi tamen dilectionem ad omnia prorsus efficaciter extendere, per solum honestatis vinculum, sicut & cæteri Christiani, quamvis aliquo modo strictiùs, obligantur.

CAPUT II.

Quòd perfecta libertas animæ *requiratur & sufficiat ad* propositum Seraphicum: *quodque potestatem omnes habeant abrumpendi* vincula cupiditatis *universa.*

§. A. SI quis ultimò formatam *Seraphici propositi* definitionem, & definitionis explicationem, attentè consideret, *perfectam animæ libertatem*, hoc est, *ab omni vinculo cupiditatis immunitatem*, ad illud & requiri & sufficere non difficulter inveniet: quia cum non possit executio *divinæ*

vinæ voluntatis in omnibus appretiativè magis diligi, quàm ulla creaturarum, nisi omnes etiam creaturæ minus quàm hæc executio diligatur, non enim potest unâ partè statera descendere nisi ascendat alterâ; hoc ipso quo requiritur & sufficit ad *propositum Seraphicum*, ut Creatori vinculo solidissimo quis adhæreat, ad idem etiam requiritur & sufficit ut erga nullam rerum creatarum cordis adhæsionem habeat; ac proinde tantò plus libertatis anima consequitur, quantò strictiùs *divinæ voluntati* subjicitur: optimè siquidem Augustinus: *Voluntas* (inquit) *libera tantò liberior quantò sanior; tantò autem sanior quantò divinæ gratiæ misericordiæque subjectior.* *Vide Chrò. Ord. nostri l. 1. cap. 6.*

Non est igitur quòd miremur spiritualis vitæ Magistros, perfectionis eminentiam aliquando quidem expendere, quoad generalem erga *divinum beneplacitum* cordis adhæsionem; aliquando verò quoad universalem omnis inordinatæ cupiditatis abnegationem. Non est quòd miremur Scholasticæ Theologiæ Principem, primò quidem ostendere perfectionem *in charitate* specialiter consistere: deinde verò docere, quòd tota charitatis in hac vitâ perfectio consistat *in animi comple-* *D. Th. 2. 2. qu. 184. art. 1.* *Ibid. ar. 2.*

completâ libertate, quando nimirum tollitur omne illud quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur in Deum.

§. B. Porrò cum in hoc primo libro singulariter *animæ libertatem ab omni vinculo cupiditatis* desiderem considerare, specialem de *vinculo charitatis* explanationem reservans pro secundo libro, non debet obiter sed attentiùs expendi doctrina D. Thomæ, quam habet in articulo cujus quæsitum est: *Utrum aliquis in hac vitâ possit esse perfectus*? Dicit autem, quòd, licet in hac vitâ non possit haberi perfectio charitatis adeò præcellentis, ut is qui diligit *semper actu feratur in Deum* (illud enim Beatorum est in patriâ) sic tamen haberi possit, ut *ab affectu hominis* EXCLUDATUR OMNE ILLUD QUOD IMPEDIT, *ne affectus mentis totaliter dirigatur in Deum.*

Ubi suprà.

Christianos omnes hæc necessitas obligat, ut ab affectu mentis excludatur omne illud quod est charitati contrarium, sive mortale peccatum divinis præceptis oppositum. A Religiosis autem amplius aliquid exigitur, ut nimirum præterea excludant ab affectu mentis impedimenta notabiliora quibus per suam professionem abrenuntiarunt, ut

is ita

is ita valeat totaliter in Deum dirigi. Porrò quando quis eò felicitatis devenit, quòd ab affectu mentis excluserit, non tantùm illa quæ sunt charitati contraria, nec tantùm aliqua perfectionem illius impedientia, sed prorsus omnia, tunc demum ad *Seraphicum propositum* ascendisse dicendus est, & ad *perfectæ libertatis* felicitatem pervenisse: quæ quidem libertas quanti debeat æstimari vix dignis exprimi posse verbis existimaverim.

§. C.

Rogatus olim Diogenes *quid esset mortalium cuique in hac vitâ optimum ac longè jucundissimum?* Hoc è *dolio*, velut è tripode Jovis, protulit oraculum, LIBERTAS. Nihil etenim homini ad beatitudinem conferre censetur rerum omnium affluentia, si libertate careat, quâ pro arbitrio suo possit frui. Quòd emphaticè D. Bernardinus Senensis exprimit hac sententiâ: *Nihil est quod homo naturali affectu refugiat amplius, quàm privari propriâ libertate.*

Laertius lib. 6.

Bernardinus Tom. 3. Conc. 13.

Videntur sanè proto-parentes nostri beatitudinem suam in eâ collocasse, dum, licet omnibus affluerent, & quasi terrestres dii omnibus dominarentur ac imperarent, unius arboris fructu vescendi

di *libertatem* sibi præcisam arbitrabantur, hoc præcepto; *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali nè comedas.* Quid enim aliud nobis insinuavit Eva, quando serpenti dixit: *De fructu ligni quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Advertit hîc optimè Lipomannus, quòd Eva *se non tã gratam pro tot tantisque concessis in Paradiso fructibus, quàm querulam & impatientem de uno negato ostendebat.*

Gen. 2. v. 16.

Gen. 3. v. 3.

Onerosum videlicet illi nimis videbatur præcepto divino subjici; ac ita falsam quærendo libertatem, veram amisit. Rectè siquidem Africanus Antistes adhortatur: *Quem delectat* VERA LIBERTAS, *quem regnare delectat, uni omnium regnatorî Deo subjectus sit.*

Aug. lib. de vera relig.

Suavissimè prætereà Mellifluus Abbas explicans illud Apostoli, *Radix omnium malorum est cupiditas*, ita differit: *Non potest mens ad contemplandum Deum esse* LIBERA, *quæ terrena & transitoria hujus mundi concupiscit. Non potest videre oculus mentis alta, si eum claudit pulvis terrenæ cupiditatis.* CUPIDITAS *grave peccatum est: omnium peccatorum materia est.* Verè sic se res habet: nec ullus posset unquam dulciùs amaritudinem *cupiditatis* exprimere quàm

1. Tim. 6. v. 10.

quàm melleus ille D. Bernardi ſtylus.

Oportet autem advertere, quòd *cupiditas* hîc, ſicut etiam alibi frequenter, ita ſumatur, ut intelligi debeat rerum creatarum amor inordinatus cui voluntas conſenſum præbet, aut voluntatis erga vanitatem aliquam adhæſio: poteſt enim *cupiditas* etiam aliter accipi, ſic ut non ſit videlicet aliud quàm concupiſcentia ſive peccati fomes, quem de primo parente noſtro miſerabiliter hæreditavimus. §. D.

Primo quidem modo ſumpta *cupiditas*, ipſamet eſt *vinculum*, quod captivas detinet peccatrices animas & illas impedit ne Creatori cohæreant: & ſic nullatenus illam debemus admittere, ſed penitus extirpare, memoriâ retinentes illud Auguſtini: *Venenum charitatis eſt* CUPIDITAS: *perfectio* charitatis, NULLA CUPIDITAS. Verùm ſecundo modo ſumptam, non valemus à nobis excludere. Hoſtis eſt cupiditas illa: tyrannus eſt urgens & compellens quantum poteſt, ut nos illi ſubdamus, &, ſi non in rebus illicitis, in licitis ſaltem, cum eo fœdus ineamus. Si condeſcendimus illi, ſi conſentimus, ſi voluntate conjungimur, ecce *vinculum*: ipſi quippe noſtri conſen-

ſus *vincula* ſunt, quoties illos præbemus, quoties autem anteà datos revocamus; firmiterque ſtatuimus ab eis in poſterum viriliter abſtinere, *vincula* quaſi ſolvimus & abrumpimus.

§. E. Arrigamus igitur aures verbis Evangelici Prophetæ, communitatem filiorum Iſraël, ſub vocabulo *filiæ Sion*, & in eâ nos omnes exhortantis atque dicentis: *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tuâ: Solve* VINCULA *colli tui captiva filia Sion.* Omnes omninò quotquot ſunt ad *vinculorum* omnium ſolutionem, adeoque *perfectam libertatem*, his verbis debent excitari, quia nullus eſt quem hæc verba non reſpiciant.

Iſa. 52. v. 1.

Ne quis verò forſitan infirmus excuſationem prætendat, quaſi non habeat fortitudinem induendam, ad illam felicitatem neceſſariam, hanc tantùm ſciat requiri fortitudinem, quâ libertatem ſuam fortiter velit ac integrè: ſic ut nihil ſit neceſſarium aliud, quàm *ſeriò velle.* Sapienter enim ab Auguſtino dictum: *Non ſolùm ire in placitum & pactum tecum Deus meus, verùm etiam pervenire illuc, nihil eſt aliud, quàm velle ire: ſed* VELLE FORTITER *& integrè non ſemiſauciam hàc atque hàc verſare ac jactare voluntatem.*

Aug. lib. 8. Conf. c. 8.

Si

Si quis autem discere cupiat ubi veram possit voluntatis fortitudinem invenire? Non aliud ei crediderim ostendendum hujus rei promptuarium quàm *fidem*: rectè siquidem ab Apostolorum Principe dictum scimus: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite* FORTES IN FIDE. Multas etenim reperimus animas adeò pusillanimes, ut de solvendis inordinatæ *cupiditatis* nexibus vix audeant cogitare: quia scilicet omnem inimici suggestionem, omnem concupiscentiæ motum, omnem *cupiditatis* titillationem, omnem contrarium divino beneplacito sensum, *libertatem* suam credunt pessumdare: qui si nossent ex veris fidei dictaminibus consensum à sensu distinguere, non adeò facilè perditam existimarent esse victoriam, cùm experiuntur pugnam.

Verumenimverò cum clarè videri possit, hanc facultatem omnibus competere, quòd *vincula cupiditatis* omnia dirumpere valeant, si benè percipiatur illa fideidoctrina, quâ docemur aliud esse *cupiditatem* vel concupiscentiam, aut etiam peccatum, ita sumptum ut solùm denotet peccati fomitem; aliud autem

esse *vinculum cupiditatis* aut *consensum in cupiditatem*, duobus veritatem hanc S. Scripturæ locis conabor stabilire.

§. F. PRIMUS LOCUS: *Non regnet peccatum* (ait D. Paulus) *in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Ecce quomodo S. Apostolus in hac sententiâ peccati fomitem, tanquam hostem nostrum vel tyrannum aliquem, depingit, qui nobis gestiat imperare, suisque nos cupiat voluntatibus obtemperare. At verò cùm suggerit animos, ut illi nullatenus obediamus, & non sinamus eum imperare nobis, sufficienter indicat, hoc in nostrâ, cum auxilio Dei, positum esse facultate.

Rom. 6. v. 12.

Optimè profectò S. Augustinus admonet, ut ad ipsa D. Pauli verba reflectamus attentiùs. *Non dixit* (ait) *non sit, sed*, NON REGNET *peccatum. Inest peccatum cùm delectaris:* REGNAT, SI CONSENSERIS. Adeò ut si non consenseris, si *vincula consensus* non admiseris, *liber* es, & tu Deo serviens regno potîris; quia servire Deo regnare est. *Ex quadam parte* (verbis adhuc utor allegati Patris) *hæres Deo: ex quadam parte delectaris sæculo. Illud quo delectaris sæculo, pugnat adversus mentem, quæ cohæret Deo. Cohæreat, non defi-*

Aug. Tra. 21. in Ioan. & lib. homiliarum hom. 41.

deficiat : non se dimittat, magnum adiutorium habet. Vincet quod in eâ sibi rebellat, perseveret pugnando.

Christianis etiam cordibus meretur imprimi quod suo super hoc stylo D. Bernardus exprimit. *Lavamur* (ait) *in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ & hæc gratia nobis confertur, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus.* Bern. in cœnâ Dom. serm. 2.

Dictis nunc auctoritatibus addamus illud etiam quod sacrosancta Synodus Tridentina quoad hoc asserit : non enim parum in tentationibus animi potest addere. *Manere in baptizatis* (inquit) *concupiscentiam vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur & sentit : quæ cum ad* AGONEM *relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per* JESU CHRISTI *gratiam repugnantibus non valet, quin imò* QUI LEGITIME CERTAVERIT, CORONABITUR. Conc. Trid. Sess. 5. in decr. de pec. orig.

SECUNDUS LOCUS, ad §. 6.
instruendam fidem nostram eamque roborandam, ex epistolâ Sancti Jacobi desumitur : *Unusquisque tentatur* (ait) *à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit parit peccatum : peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem* Tentare solet igitur Jac. 1. v. 14.

mentem noſtram concupiſcentia noſtra, ſed illaqueare, ſed ſuis irretire *vinculis* non poteſt, niſi mens ipſa condeſcendat illi, niſi ſponte conſentiat liberrima voluntas noſtra.

Bern. lib. de grat. & libero arbitr.

Unde ſatis appoſitè Mellifluus Abbas: *Quod ſcriptum eſt* (ait) *unuſquiſque tentatur à propriâ concupiſcentiâ abſtractus: & illud, Corpus quod corrumpitur aggravat animam: & illud Apoſtoli, Invenio aliam legem in membris meis &c. putari poſſunt cogere voluntatem & præripere* LIBERTATEM. *At verò quantislibet quis intus foriſve tentationibus urgeatur,* LIBERA *profectò ſemper, quantum ad arbitrium ſpectat, voluntas erit:* LIBERE *quippe de ſuo nihilominus conſenſu judicabit.*

Aug. hõ. 42. inter 50.

Clariora ſunt adhuc & ad propoſitum noſtrum aptiora, quæ ſuper allegatam Sancti Jacobi ſententiam ſcribit Hipponenſis Antiſtes. *Noli conſentire* (inquit) *concupiſcentiæ tuæ. Non eſt unde concipiat, niſi de te. Conſenſiſti? quaſi concubuiſti in corde tuo. Surrexit concupiſcentia, parit peccatum, quod generat mortem. Ergo ne abſtraharis à concupiſcentiâ tuâ, nega te illi. Noli eam ſequi, illicita eſt, laſciva eſt, turpis eſt, alienat te à Deo. Noli dare conſenſionis amplexum, ne plangas partum: quia ſi conſenſeris, concipit.* Quid

Quid eſt, quæſo, dare conſenſionis amplexum ex quo peccati partum concipi notat ſanctus Epiſcopus, niſi concupiſcentiæ ſponte liberâ ſemetipſum annectere, copulare, vincire? Nec enim concupiſcentia magis noſtrarum poteſt labefactare puritatem animarum, ſi conſentire noluerit, quàm tenella meretrix repugnanti totis viribus robuſto juveni pretioſam violare corporis integritatem. Sollicitare poteſt, blandiri, minari: ſed ſi non conſentiat adoleſcens, illibatam facilè caſtitatem ſervabit.

Magnam ſanè puſillis hoc adferret audaciam, omnia *cupiditatis vincula* velociter abrumpendi, ſi nullam prorſus illis inhærendi neceſſitatem ſibi ſcirent incumbere: ſed in ſuis omninò manibus poſuiſſe Deum, ut vel ea rejiciant vel admittant pro ſuæ voluntatis arbitrio.

Jam verò nequaquam exiſtimandum eſt, hoc uſu venire tantùm quoad *cupiditates* rerum illicitarum, quibus conſentiendo peccatum committitur: ſed in *cupiditatibus* etiam earum, quæ ſunt permiſſæ, divinæ tamen voluntati minus conformes hoc locum habet:

omnimoda *libertas* enim tam illis dissentiendi, quàm consentiendi nobis adjacet.

§. II. Nunquid plenis ergo buccis animæ Christianæ, sed præsertim Religiosæ, quam nocivis aspicio *vinculis* irretitam, ingeminare mihi fas est illud Isaiæ: Isa. 52. v. 2. *Consurge, consurge: induere fortitudine tuâ: Solve* VINCULA *colli tui captiva filia Sion?* Ut quid enim manet in damnosâ *captivitate*, quæ *libertatem* propriam in suâ repositam habet voluntate? Non enim sic portat jugum dæmonis homo sicut jugum hominis portat bos vel asinus, ut nimirum fiat hoc ex necessitate: homini siquidem jugum hujusmodi contra voluntatem imponi non potest. Unde sapienter olim Doctor mellifluus: *Pone grauissimam* (inquit) *sarcinam: pone illa* Bern. in declam. *quinque non hominum planè juga, sed boum, quæ tibi insipienter emisti. Alioqui sequi sponsum & venire ad nuptias spirituales quinariâ hac pressus & oppressus corporis sensualitate non poteris: sed si noviſſimè veneris & pulsaveris, minimè profectò aperietur tibi, sed respondebitur de intus, quòd non sit de bobus & asinis, cæteriſque jumentis insipientibus cura Deo. An verò comparatum jumentis esse quis dubitet hominem, qui sanè ipsis quoque jumen-*

jumentis convincitur ſtolidior, & beſtialior beſtiis comprobatur, quòd juga neceſſitatis earum propriâ ipſe ſubeat VOLUNTATE.

Solvat ergo *vincula* colli ſui, non groſſiora tantùm, ſed etiam tenuiora, ſed prorſus omnia dirumpat, ut erumpat. Et hoc ipſum taliter agat, ut dirupta ſemel nullo temporis intervallo poſteà revaleſcere patiatur. Illud enim diligenter eſt advertendum, quod ſicut reprehendi debet nimia puſillanimitas, ſic & reprehenſibilis eſt nimia ſecuritas. Ea, dico, ſecuritas, quâ multis rupiſſe *vincula* ſemel, videtur ſufficere, cum tamen omninò conſtet, illa quaſi continuò rumpi debere. Nec mihi velim in hoc, ſed D. Bernardo, fides habeatur: *Credite mihi* (inquit ille) *& putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuò excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe, ſæpè putandum eſt, imò (ſi fieri poſſit) ſemper, quia ſemper quod putari oporteat (ſi non diſſimulas) invenies. Quantumvis in hoc corpore manens profeceris, erras ſi vitia putas emortua, & non magis ſupreſſa. Velis, nolis, intra limites tuos habitat Iebuſæus: ſubiugari poteſt, ſed non exterminari.* Interjectis deinde paucis, ita proſequitur: *Tolle ſuperflua,* Bern. in Cant. ſerm. 58.

& salubria surgunt: utilitati accedit quidquid CUPIDITATI *demis. Demus operam putationi. Putetur* CUPIDITAS, *ut virtus roboretur.*

CAPUT III.

De tribus vinculorum *generibus, duo grossiora, nempè* catenarum *&* funium, *describuntur.*

§. A. CUm non sufficiat illi, qui sacratum perfectionis illimitatæ seriumq; cupit efformare propositũ, *vincula cupiditatis* aliqua dissolvere, sed omnia debeat omninò quotquot sunt vel esse possunt exinanire, non sufficit etiam in confuso scire, quòd *vincula cupiditatis*, sint consensus in ea quæ pars inferior animæ solet appetere, vel adhæsiones erga creaturas aut affectus inordinati: sed requiritur insuper, ut omnia quoq; *vinculorũ* genera distinctiùs explicemus. Et cum hæc in triplici differentiâ reperiantur, *catenarum* videlicet, *funium* & *filorum*, duo priora præsenti capite, sed tertium sequenti, declarabimus.

CATE-

CATENARUM *vincula*, quæ tam duritiâ quàm gravitate ſolent affligere, ſunt pleni conſenſus,& adhæſiones aut inordinati affectus erga res illas quæ charitati divinæ contrariantur : cùm quis videlicet aliquam rem creatam magis aut æquè quàm *Dei voluntatem* appretiativè diligit. Et hæ quidem adhæſiones, hi conſenſus, tunc maximè *catenarum* gerunt ſimilitudinem, quando in conſuetudinem abjerunt. Hinc D. Auguſtinus : *Suſpirabam* (inquit) *ligatus, non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus & inde mihi* CATENAM *fecerat & conſtruxerat me. Quippe ex voluntate perversâ, facta eſt conſuetudo. Et dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, inde* CATENAM *appellavi, tenebat me obſtrictum dura* SERVITUS. Aug. lib. 8. Conf. c. 5.

De his quoque *vinculis* loqui videtur Sapiens, quando commemorat, quòd laſciva mulier *præparata ad* CAPIENDAS *animas*, adoleſcentem *irretivit multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum.* Hujus autem adoleſcentis infelicitatem pergens depingere, *ſtatim* (ait) *eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam & quaſi agnus laſciviens, & ignorans quòd* Prov. 7. v. 22.

ad

ad VINCULA *ſtultus trahatur.* In quâ ſententiâ notatu dignum eſt, quòd luxurioſus non tantùm ſignificetur in *vinculis* agere, quando perhibetur, quòd mulier *irretivit eum*, ſed ad alia quoque *vincula* pertrahatur. Et quænam ſunt illa, quæſo? De quibus Rex in Evangelio dicit miniſtris: LIGATIS *manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.*

Math. 22. v. 3.

Nunquid ergo rectè quondam Vates Evangelicus: *Solve* (ait) *colligationes impietatis: ſolve faſciculos deprimentes?* Rectiſſimè profectò: quia veriſſimè D. Gregorius aſſerit: *Quot vitiis pravæ frequentationis* (peccator) *adſtringitur, quaſi tot* VINCULIS *ad mortem ligatur.* Quiſquis igitur ita ligatus eſt, oſtendat ſe Sacerdotibus: illis enim dictum non ignoramus: *Quæcunque* SOLVERITIS *ſuper terram, erunt* SOLUTA *& in cœlis.*

Iſa. 58. v. 6.

Greg. lib. 5. moral.

Math. 18. v. 18.

§. B.

FUNIUM *vincula* minus quidem dura, minuſque gravia quàm priora, non exiguæ tamen felicitatis, quia *veræ libertatis* impeditiva, ſunt adhæſiones aut inordinati affectus erga res, quæ licet divinæ charitati non ſint contrariæ, ab illâ tamen charitatis perfectione retrahunt animam, quæ votis Religioſorum correſpondet.

Tres

Tres autem ſunt hujuſmodi funes, quos dilectus Chriſti diſcipulus aſſignat, inquiens: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.*

Quòd concupiſcentia carnis, inſtar *funis*, animas retrahat & impediat, quò minus perfecto Dei ſervitio ſe conſecrare valeant, innuit apertè D. Paulus, ita ſcribens: *Volo vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Q. D. Ut intendatis ſoli Deo, cunctamque ſollicitudinem aliam ſeponentes, illius per omnia beneplacitum totâ cordis devotione perficiatis, exopto. Quamvis autem hoc eis, qui matrimonio carent, non adeò ſoleat eſſe difficile: eis tamen, qui in illo ſunt, aliter ſolet evenire: ex hoc nimirum quod rariſſima ſint matrimonia ſine carnis concupiſcentiâ, ſine cordis adhæſione. Unde fieri plerumque ſolet, quòd, licet aliqualiter & unâ quaſi parte

1. Cor. 7. v. 32.

parte vadant ad Deum, aliâ tamen parte, non aliter quàm si *fune* quodam retraherentur, ab eo divellantur: ac per hoc quodammodo sint divisi. Quapropter appositè Magnus Basilius effatur: *Qui à mundi* VINCULIS *esse liber glisçit, hic conjugium quasi* COMPEDES *quasdam profugit.*

Basil. Constit. monast. c. 2.

Non ergo frustra dixit Ecclesiastes: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ* LAQVEUS *venatorum est,* VINCULA *sunt manus illius.* Qui sunt *venatores* isti? forsitan interrogabis. Audi Religiosissimum Abbatem: *Venatores utique pessimi & nequissimi, callidissimi & crudelissimi. Venatores qui cornu non sonant, ut audiantur, sed sagittant in occultis immaculatum. Ipsi rectores sunt tenebrarum harum,* qui parant laqueos pedibus nostris. Manus verò mulieris *vincula* dicunrur, non quòd ipsæ manus vincire nolentem valeant, sed quòd ad *cupiditatem* vehementer allicere soleant, & incautos etiam irretire, si modo non illicito, saltem eo, qui lege divinâ permissus, à charitatis perfectione mentem retrahit. Hinc etiam Sapiens adhortatur: *Ne concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, ne* CAPIARIS *nutibus illius.* Et de Holoferne dicitur

Eccl. 7. v. 27.

Bern. in Psal. Qui habitat. serm. 3.

Prov. 6. v. 27.

dicitur, quòd *pulchritudo* Judith CAPTIVAM *fecit animam* ejus, quando scilicet *erat ardens in concupiscentiâ ejus.* Judith. 16. v. 11.

Etenim si non essent instar *funium*, animas retrahentium & à perfecto Dei servitio retinentium, illi consensus & adhæsiones, quibus licitas etiam thori conjugalis illecebras appetimus, historiam suæ liberationis in hæc verba non inciperet S. Augustinus: *De* VINCULO *desiderii concubitus* (inquit) *quo arctissimo tenebar, & sæcularium negotiorum* SERVITUTE, *quemadmodum me exemeris* (ô Deus) *enarrabo.* Aug. lib. 8. Confess. c. 6.

§. D.

Quo-ad concupiscentiam oculorum, quàm miserabiliter illa plurimos hominum illaqueet, aliquo modo conjicere poterit ille, qui considerat illud Apostoli: *Qui* VOLUNT *divites fieri incidunt in tentationem & in* LAQUEUM *diaboli.* Nemo siquidem persuadere sibi debet, quòd ipsæ tantùm divitiæ captivent animas, sed magis illa voluntas, quâ divitias appetimus: non enim *laqueum* illis imminere docet Apostolus, qui sunt divites, sed, *qui* VOLUNT *divites fieri.* 2. Tim. 7. v. 7.

Unde si qui sint tales ut obtemperent illi Davidis; *Divitiæ si affluant, nolite* Ps. 61. v. 11.

lite cor apponere: sic ut ipsi non sint *viri divitiarum*, sed divitiæ potiùs sint virorum, liberi profectò sunt in hac parte quicunque tales sunt: nec ipsi divitiis serviunt, sed divitiæ ipsis.

Si non sint *funes* ipsæ divitiæ, Religiosorum aliquis objiciet, sed divitias habere, vinculoque carere simul quis potest, cur eas, quæso, reliquimus, & non potiùs eas retinendo cor abstrahimus? Perappositam tibi, quisquis hoc interrogas, indicat rationem D. Bernardus, qui, postquam felicissimum prædicavit Apostolorum Principem, eò quòd cum aliis, ne dicam, præ aliis, gloriari poterat, *Ecce nos reliquimus omnia*, suavissimè differit in hunc modum: *Omnia sanè dixerim non tantùm possessiones, sed etiam* CUPIDITATES, *& eas maximè. Plus enim concupiscentia mundi, quàm substantia nocet. Et hæc fugiendarum causa divitiarum præcipua est, quòd aut* VIX *aut* NUNQUAM *sine amore valeant possideri.*

Bern. in declam.

Dum Sanctum ita Bernardum audis loquentem, & audita consideras, ulteriorem forsitan inquiris rationem, cur fugiendarum causam divitiarum exprimat sub hac distinctione: *quòd aut* VIX *aut* NUNQUAM *sine amore valeant possideri?*

Conve-

Convenientissimè profectò facit illud: sunt enim quidam à quibus divitiæ *nunquam*, sunt quidam à quibus ut sine amore valent possideri.

Nunquam corde libero possideri valent ab eis, qui ad illas possidendas ratione quadam omninò speciali non compelluntur: quia Reges sunt v. g. vel Principes, nec suum, charitate salvâ, deserere possunt regnum aut principatum: vel quia sunt Episcopi, vel alia conditio similis & non ficta, sed verè necessaria, facit illis non convenire consilium divinum de cultu paupertatis exterioris: vera quippe *libertas*, divina semper consilia solet arripere; quæ non cognoscit sibi disconvenire. Unde si quis vero quodam impedimento non retineatur, quò minus Christi de paupertate consilium impleat, & bona tamen sua adhuc retinere cupiat, adhærere talem divitiis suis indubitatum existimo, quantumvis ipse sibi de spiritûs *libertate* blandiatur, prout ex eis, quæ posteà dicemus, clariùs apparebit.

Si tamen à parte rei vera subsit necessitas, non conservandi tantùm, sed augendi quoque suas possessiones, quamquas

trumque poterit sine cordis adhæsione fieri: sed tamen *vix*; eò quòd glutinosa nimis sit hujus mundi substantia: neque cor hominis à rebus illis quibus utitur absque conatu specialissimo potest avelli. Et hoc ipsum arbitror esse causæ, quòd illi qui sacrum formarunt propositum Deo perfectè serviendi, suspectam adeò semper habeant suarum abundantiam divitiarum, ut, nisi qui dirigunt eorum animas, securos faciant illos in hac parte, divitias illas suo convenire statui vix credere valeant: multoque mallent si liberum foret eis (& voluntatis inclinationem suis ingerere non cessant Directoribus) in humili casâ, quàm in superbo palatio, demorari.

§. F. Sed quis est ille vir, qui cum aurum habeat, post aurum non abeat, nec speret in incerto divitiarum, sed in solo Deo spem suam reponat? Magnus est quisquis talis est: magnificet Dominum. Et si non semper talis fuerit, sed jam in Domino possit exultare, dicendo: LAQUEUS *contritus est*, *& nos* LIBERATI *sumus*: Liberatorem suum cum omni gratitudine recognoscat, & fateatur: Non ego, sed *ipse* LIBERAVIT *me de*

Ps. 123. v. 7.

Ps. 90. v. 3.

LA-

LAQUEO *venantium*. Prosequatur & adjungat: *Dirupisti Domine* VINCULA *mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ps. 115. v. 16.

Si quis verò divitiarum cupiditatibus se videat arctiùs adhuc irretitum, non propterea cadat animo, sed accedat cum fiduciâ ad thronum gratiæ, Deum obsecret, invocet Misericordiæ Matrem, vim inferat ipse sibi, multorumque Sanctorum exempla sibi ponat ob oculos, qui in medio ignis non sunt æstuati.

Illis verò qui divitiis sæculi per vitæ Religiosæ professionem abrenuntiarunt, unicum illud Sancti Bernardi monitum abscondere non valeo: *Quamvis* (inquit ille) *non habeas pecuniam, si tamen habes* CUPIDITATEM *habendi, nihil valet tibi. Nihil valet corporis nuditas, si tibi est vestimenti* CUPIDITAS. *Iudas per* CUPIDITATEM *vendidit Christum. Nudi nascimur in hac vitâ. Cur ergo concupiscimus terrena & transitoria?* Bern. de modo benè viv. serm. 45

Nullum est in rebus creatis vitium, sed in nostrâ solummodò voluntate, quòd magis nimirum rebus illis quàm *voluntati Creatoris* adhæreat. Unde monet Apostolus, *ut, qui habent uxores tanquam non habentes sint, & qui flent tan-* 1. Cor. v. 30.

quam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur: ut nimirum cor servent omninò castum in voluptatibus, liberum in divitiis, ac humiliatum in dignitatibus & excellentiis.

Et hoc fortassis est, quod innuere volebat Propheta Regius, quando, de pastoritiâ vilitate sublimatus ad purpuræ dignitatem, ajebat: Funes *peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus.* Item. Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, *si exaltatum est cor meum, si elati sunt oculi mei, si ambulavi in magnis & in mirabilibus super me.*

Ps. 118.

Ps. 130. v. 1.

Patriarchæ quondam prædivites & rerum temporalium abundantes, ingenuè fatebantur, quia *peregrini & hospites erant super terram:* nec aliter quàm hospites hujus mundi res necessarias, sicut utensilia diversorii, sine cordis adhæsione, tractabant.

§. F.

Heb. 11. v. 13.

Horum vestigiis inhærentes etiam novi Testamenti Patres, universas vitæ præsentis illecebras, opes & dignitates ad usum habuerunt: non verò supercilii quidpiam ex hoc arrogarunt, aut sele

sese de possessione rerum à se despectarum jactarunt, aut facti sunt contractâ fronte Catones.

Quare de Basilio Magno memoriæ proditum est, quòd, cùm solemni Epiphaniarum die à Beato Ephrem visus esset fulgentibus vestibus (prout Pontifici conveniebat) & magnâ pompâ & copioso cœtu sacerdotum comitatus, ab humili Eremitâ despectus est, quasi ille esset columna, in revelatione sibi monstrata, non ignitâ charitate succensa, sed insigni superbiâ & ambitione in altum erecta. Verùm ad sanctissimi pariter ac modestissimi Præsulis admissus convivium, luce clariùs agnovit, eum multò magis intus humilitate, quàm foris Episcopali dignitate fulgere: & puram illam animam minus altissimâ dignitate, quàm seipsum Eremitam rebus vilissimis oblectari.

§. 6. Ferventissimus ille Dei famulus Laurentius de Cepedâ & Ahumadâ, Sanctæ Matris nostræ Teresiæ Frater supellectili suâ magis pretiosâ se denudare gestiebat: & quia directioni Sororis suæ suam commiserat animam, noluit hoc exequi, nisi petitâ prius licentiâ, Sancta verò Mater nostra, per

Ter. Epist. 34. Doctorem Velasquez instructa consensum non dedit, eò quòd nihil ei possent pretiosa nocere (prout ipsa scribit) si nosset eorum pretium corde despicere: tantumque propter charitatem, ut honestum in matrimonium suas elocaret filias, ea conservare.

Lact. lib. 3. dialog. Inst. 15. Refert Lactantius Aristippum Cyreniacorum Magistrum, qui cum Laide, nobili scorto, conversabatur sic insigne suum defendisse flagitium, ut diceret, multum inter se & alios Laidis amatores distare, quòd ipse haberet Laidem, alii verò haberentur à Laide. Quâ procaci non minus quàm inverecundâ sententiâ volebat insinuare, servos meretricis alios esse, se verò Dominum, qui sine immoderato affectu scorto conjungeretur. Sed infelix ille mentitus est in caput suum, qui jus naturæ violans, in hoc magis erat servus libidinis, quod miseram servitutem suam ignorare satagebat, & impurissimæ voluptati subjiciens se *liberum* esse jactitabat. Id verò quod mendax ille de se dicebat, in veritate possunt perfectionis amatores, in sæculo justâ de causâ remanentes, asseverare: hoc videlicet inter se & alios sæculares interesse, quod ipsi

ipsi res temporales habeant, & tanquam domini *liberè* quoad eas disponant, alii verò potius habeantur ab eis.

Hæc animarum sancta *libertas*, quâ suis imperant affectibus, nihilque terrenum diligunt immoderatè, tantæ dignitatis est, ut ipse Deus omnipotens, eam, sicut effectum suæ potestatis, sibi velit adscribi, ut nullus assequendam hujusmodi speret *libertatem*, nisi suæ gratiæ beneficio: *Scient* (ait) *quia ego Dominus, cùm contrivero* CATENAS *jugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi.* Ezech. 34. v. 27.

Et iterum ipse Dominus: *Quis* (inquit) *dimisit onagrum* LIBERUM (subintellige, præter me) *&* VINCULA *ejus quis solvit?* Onager hic, ut interpretatur D. Gregorius, eum significat, *qui corde saltem remotus à turbis, & à negotiis sæcularibus, soli Deo & sibi vacat: & si aliquam externum occupationem sustinet, eam, non in aliquid temporale emolumentum, sed in Dei honorem & obedientiam refundit.* Job. 39. v. 5. Greg. lib. 30. Moral. c. 12. Quis ergo potuit hominem curis terrenis immersum, negotiisque sæculi præsentis innexum, ad similitudinem onagri totum *liberum* constitue-

stituere, nisi Dominus ille, qui dum in cor nostrum absolutam habet potestatem, rerum terrenarum vanitatem ei ostendere prævalet, & æternorum abundantiam thesaurorum ita manifestare, ut absque vi, quin imò cum summâ voluptate cor hominis in his occupare valeat, & ab istis avellere. *Hic dum cœlestia perquirit* (inquit idem Sanctus) *& à curis terrenis liberatur, aptè dicitur* LIBER.

CAPUT IV.

De tertio vinculorum *genere nempe* filorum.

§. A. AD eos nunc qui funibus innodati non sunt, nostrum convertere stylum convenit, hoc est, ad eos qui removerunt ab affectu suo res illas per quas tota vita hominis implicari solet negotiis sæcularibus, ut sunt matrimonium & divitiæ vel bonorum temporalium proprietas.

Quamvis autem tales aliquos etiam in sæculo reperiamus, præcipuum tamen

men numerum Religioſi conſtituunt: multi ſiquidem eorum ſunt, qui ſupradictis implicamentis ita renuntiarunt, ut illis ſe nunquam patiantur irretiri, cum omni fidelitate reddentes vota ſua quæ diſtinxerunt labia ſua.

Imò verò non eſt exiguus eorum numerus, in Religionibus præcipuè reformatis, qui multa pro devotione ſuâ ſupererogare conſueverunt, adeò ut ad bravium ſupernæ vocationis, totis contendere viribus, in *libertate* ſpiritus exiſtimentur. At ſi quis attentioribus eos oculis aſpiciat, ligati ſunt, innodati ſunt, conſtricti ſunt & ſerviliter agunt, nec adhuc in *libertate* filiorum Dei clamare ſufficiunt: ABBA, *Pater.*

Et quænam ſunt, quæſo, tam potentia *vincula*, quæ tales animas, admirabili fortitudine, ſolutis, non tantùm peccatorum mortalium *catenis*, ſed etiam adhæſionum erga res hujus vitæ principaliores *funibus*, adhuc ſuâ valent *libertate* privare? *Fila* ſunt, imò *fila* ſunt; *fila* tam tenuia, *fila* tam exigua, ut ipſis aranearum telis ſint fragiliora. *Fila* tamen illa tam exigua, tam fragilia, quot prô dolor! & quantas, quàm fortes, quàm

quàm generosas ita retinent animas, ac si *vinculis* essent ferreis alligatæ.

§. B. FILORUM *vincula* sunt adhæsiones & affectus inordinati circa res, quas, salvâ professione Religiosâ, quis absque peccato potest retinere: prout est conversatio frequens cum parentibus vel amicis, hæc vel illa cibi species, commoditas aliqua cellæ, librorum &c.

Etenim sicut in materiâ fidei censetur hæreticus ille, qui vel unum, etiam minimum articulum renuit acceptare: & in materiâ justitiæ fit aliquis peccator per hoc quod rem etiam nullius momenti, supra Deum vel æquè diligat: sic in materiâ perfectionis universalitas aliqua debet attendi, taliter ut ille reputari debeat imperfectus, qui suum ligari sinit affectum, quò minus exequatur *omne* quod *voluntati divinæ* cognoscit esse conformius, quantumvis illa res etiam sit exigua vel nullius pretii: vera siquidem perfectio requirit, ut nullum dari possit opus bonum, ad quod exequendum non sit paratus, aut affectum non habeat expeditum.

Hanc doctrinam apertè satis nobis insi-

insinuat Sanctus Aquinas, qui explicans illud Apostoli: *Perfectus sit homo Dei, ad* OMNE *opus bonum instructus*, ita differit: *Tunc homo est perfectus, quando est instructus, id est, paratus ad* OMNE *opus bonum: non solùm ad ea quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea quæ sunt supererogationis.* 2. Tim. 3. v. 16. D. Thõ.

Unde S. Bernardus alloquens Religiosos, qui singularem perfectionis habent obligationem, ita scribit. *Non est vestrum circa communia præcepta languere: neque hoc solùm attendere quid præcipiat Deus, sed quid velit: probantes quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. Aliorum est Deo servire, vestrum adhærere.* Potestne Deo servire quispiam & illi non adhærere? Nemo potest servire Deo, qui non adhæret illi vel illius voluntati, saltem in eis quæ vult præcipiendo: verùm in eis quæ solùm consulendo vult, illius voluntati firmiter & universaliter adhærere, hoc demum illorum est, qui solidæ perfectioni semetipsos addicunt. Bern. ad Frat. de mont. Dei.

Verumenimverò quia talis adhæsio consistere nequit, cum adhæsione quapiam erga quamcunque demum creaturam, omnes adhæsiones illas quantumvis §. C.

tumvis etiam exiguas, debet auferre, omnia *filorum vincula* confringere, qui *voluntati divinæ* tam feliciter, quàm generaliter cupit adhærere: quoniam si vel uno se quoque filo retineri patiatur, unà quoad creaturam adhæsione ligari, felicissimam cum *Dei voluntate* unionem obtinere nunquam sufficiet.

Sint adhæsiones illæ, sint illa fila quantumvis exigua, non exiguum sanè dispendium ex his animæ proveniet. Nam licet in reliquis adeò sanctè viveret, ut Sancti Pauli virtutem coæquaret, imperfecta nihilominus remaneret: *Quamdiu siquidem* (verba sunt Ven. Patris nostri Joannis à Cruce) *aliquid hujusmodi, etiam minimum, in animâ locum habuerit, impossibile est eam perfectionem adipisci. Quid enim refert, quòd avis aliqua subtili sit alligata* FILO, *aut crassiori? Licet enim illud tenuissimum sit, tamen eo à volatu detinebitur, quamdiu illud non infringit. Verum quidem est,* TENUE FILUM *facilius rumpi; nihilominus tamen licet facillimè scindatur, nisi id fiat, impedit volatum. Similiter etiam anima rei cujpiam alligata, quantumvis abundet virtutibus, nunquam ad* LIBERTATEM *unionis divinæ perveniet.*

Joan. à Cruc. Ascens. mont. Carm. l. 1. c. 11.

D.

Sapientes igitur olim fundebat lachrymas

mas D. Anſelmus aſpiciens puerum ludentem, & illudentem aviculæ, quam *filo* tenebat alligatam, umbram quaſi aliquam *libertatis* illi indulgendo, ac ſtatim eandem pro ſuâ voluntate ad ſe retrahendo: interrogatus enim quid lachrymaretur? Sic, inquiebat, ut hic puer cum aviculâ, dæmon facit cum pluribus animabus.

Sanguineis non immeritò lachrymis eorum calamitas deploraretur, qui, non aliter quàm Eſau, propter nullius momenti nugas, res maximas amittere non curant. *Res eſt non modicæ commiſerationis.* (Iterum loquitur Primogenitus S. Matris N. Terefiæ filius, Diſcalceatorum omnium primus Parens) *cernere aliquas animas, velut naves, divitiis bonorum operum, ſpiritualium exercitiorum, virtutum, & quas à Deo recipiunt gratiarum onuſtas, quæ, quia non habent tantum animi pectoriſque, ut aliquam delectationculam, amoris, affectus, ſeu adhæſionis (ſunt enim hæc unum) abrumpant, nunquam portum perfectæ unionis attingunt: ad quem conſequendum non requirebatur amplius, quàm unico nervoſoque volatu vires exerere & illud* ADHÆSIONIS FILUM *abrumpere, vel certè appetitus remoram amovere. Res pro-*

Idem ubi ſuprà.

feſto

fectò est (ut dixi) ingenti digna dolore , quòd Deus fecerit hujusmodi homines abrumpere FUNES *crassiores affectuum , quibus in peccata & vanitates ferebantur: & quia nolunt sese ab aliquâ puerili ineptiâ abstrahere, quam , ut propter illius amorem auferrent , Deus reliquerat, quæque non amplius est, quàm exiguum quoddam* FILUM , *non progrediuntur neque tantum bonum acquirunt. Et quod deterius est , ob illam* ADHÆSIONEM , *tantum abest ut proficiant , ut etiam quantum ad perfectionis materiam spectat, retrocedant; jacturam etiam aliquam eorum patiendo , quæ tantis jam fuerant laboribus consecuti. Exploratum enim est illud ; in viâ Dei non progredi ; & lucra ampliora non conquirere , esse adepta amittere.*

Justissimam sanè causam cum aliis Sanctis Mysticus ille Magister habet, inclamandi vocibus iteratis: *Exinanite , exinanite usque ad fundamentum.* Non superficie tenus : non ex parte solummodò : non in uno tantùm genere vanitatum , scilicet illicitarum *exinanite* ; sed etiam in alio , nempe licitarum *exinanite* : sic ut nihil & nihil & aliud nihil quàm nihil remaneat , hoc est , *usque ad fundamentum*: ad imum usque fundum, ut quò descendatur ultra non supersit;

Ps. 136. v. 7.

& ne

& ne vel una remaneat vitiosa nux, cui per affectum inordinatum volens & sciens cor adhæresçat.

§. F.

Præteritæ vitæ miseriam enarrans D. Augustinus; *Excruciabar* (inquit) *accusans meipsum solitò acerbiùs nimis, ac volvens ac versans me in* VINCULO *meo, donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar, sed tenebar tamen. Et instabas tu in occultis meis Domine severâ misericordiâ flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursus cessarem, & non abrumperetur id ipsum exiguum & tenue quod remanserat, & revalesceret iterum, & me robustiùs* ALLIGARET. Deinde post pauca: *Retinebant* (ait) *nugæ nugarum & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ.*

Aug. lib. 8. Conf. c. 11.

Ecquid sunt etiam aliud, quàm nugæ nugarum quæ Christianorum præcipuos, hoc est, Religiosos multos retardant, imò retinent, ut in perfectione dicere non valeant: *Mihi* ADHÆRERE *Deo bonum est.* Hic diligit inordinatè sua, ille suos, iste se. Nihil quidem mali, sed malè tamen, diligit hic suum honorem, ille parentem, iste sanitatem.

Liberet nos Deus (inquit Seraphica Mater) *à monasteriis in quibus viget* HONORIS

Ter. in viâ perf. c. 36.

RIS PUNCTUM. O *punctum honoris!* ô quantò rectiùs appellari possès, *punctum horroris!* Quamvis enim animas non semper constituas in eorum numero qui *ducunt in bonis dies suos & in* PUNCTO *ad inferna descendunt*, verè tamen plurimas & infinitis privas bonis & malis immergis: adeò ut horrorem suum S. Mater nostra Teresia dissimulare non valens, in hæc verba, suas alloquens Moniales, proruperit. *Desiderium excellendi vel* HONORIS PUNCTUM *si quando fuerit (in glaciem stare mihi sanguis, dum hæc scribo videtur, cogitanti quòd hoc aliquando contingere poterit) actum esse de se non dubitent: & persuasum habeant & credant quòd Sponsum suum foras ejecerint.*

Job. 21. v. 13.

Ter. in viâ perf. c. 7.

Quàm arctè non-nulli suis se parentibus & consanguineis alligatos inveniunt? Quoad sanitatis etiam affectum nimium, quale *vinculum* illud sit, infinita clamant scripta Sanctorum: inter quos dulcissimè mellifluus Abbas: *Puta te quæso Monachum esse* (inquit) *non medicum: nec de complexione judicandum, sed de professione.*

Bern. in Cant. Serm. 30.

Nemo certè *vinculis* hujusmodi se retineri pateretur, si charitatis perfectio vel perfectionis charitas mentem occupa-

cuparet : imò si vel timor inferni veraciter animum invaderet ; quia verissimè quondam S. Hieronymus Heliodoro scripsit : *Facilè rumpit hæc* VINCULA *amor Christi & timor gehennæ.*

Quòd si quis superaddere jam dictis voluerit immensum pondus gloriæ sempiternæ, quod spes proponit, poteritne diu remanere creaturis innodatus? Auro meliorem Chrysostomi sententiam audiamus. *Quòd si voluerimus cælestis regni speciem considerare, confestim nos hujus sæculi* VINCULIS *dissolvemus.* VINCULUM *namque est terrenarum rerum affectio : ad cujus dissolutionem ut nos induceret Christus, quid dicat attende. Qui amat animam suam perdet eam : & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ænigmati simile hoc dictum videtur : non tamen ita est, immò verò præcipuæ sapientiæ plenum. Et quomodo qui amat animam suam, perdet eam? Qui absurdis ejus* CUPIDITATIBUS *obtemperat, qui præter debitum ei indulget : quemadmodum è contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam ; hoc est, qui non paret ei, cùm noxia jubet.* Chrysos. Hō. 66. in Joan.

Et non dixit, qui non paret, sed qui odit. Sicuti enim quos odio habemus, ne vo-

cem quidem audire, nec vultum eorum videre æquo animo patimur: ita & animæ, si quid præter Dei voluntatem *nobis imperat, vehementer aversari oportet.*

CAPUT V.

De modo quo vincula cupiditatis *omnia sunt* abrumpenda.

§. A. Modus omnia vincula cupiditatis abrumpendi maximè commendabilis est, ut fiat absque *modò*, non differendo videlicet, aut procrastinando, vel expectando. Quàm sit nocivum illud *modò* plus satis expertum se luget D. Augustinus, ita scribens: *Certum habebam esse melius*, ò Domine *tuæ charitati me dedere, quàm meæ* cupiditati *cedere. Sed illud placebat & vincebat: hoc libebat &* vinciebat. *Non enim erat quod tibi responderem dicenti mihi: Surge qui dormis, & exurge à mortuis & illuminabit te Christus: & undique ostendenti vera te dicere, non erat omninò quid responderem veritati-*

Aug. lib. 8. Confess. c. 5.

ritate convictus, nisi tantùm verba lenta & somnolenta, MODÒ, *sine paululum. Sed* MODÒ *&* MODÒ *non habebant modum; & sine paululum, in longum ibat.*

Non igitur absque causâ torporem nostrum ita suggillat Sapiens: *Vsquequò piger dormies? quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias: & veniet tibi, quasi viator, egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.* Et alio loco: *Non tardes* (ait) *converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Prov. 6. v. 9.

Paulino quondam ita scripsit D. Hieronymus: *Festina, quæso te: & hærenti in salo naviculæ* FUNEM *magis* PRÆSCINDE, *quàm solve.* Q. D. Omnia *cupiditatis vincula* tam velociter abrumpe, ut ne tantillum quidem temporis impendatur in considerando, sitne, vel quàm sit expediens hoc facere, quantum foret ad ligatum funem enodandum necesse. Lippis & tonsoribus notum est Ambrosianum istud: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Hier. ad Paulin. circa finem.

In arripiendâ perfectionis viâ festinationem hujusmodi perneccssariam §. B.

esse, probat illa Christi sententia, quâ condescendere se nolle significavit Adolescenti petenti facultatem, ut, antequam Dominum sequeretur, defunctum priùs patrem sepeliret; dicendo videlicet: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade & annuntia regnum Dei.*

Luc. 9. v. 60.

Duæ loci præsentis interpretationes, non parum nobis luminis adferent. Prima est Oris aurei, qui postquam objecisset: *Nunquid non est maximæ ingratitudinis, abesse cùm sepelitur pater?* Ita respondet: *Non prohibuit* Christus *honorare parentes, sed monstrat cælestibus negotiis nihil esse præponendum.*

Chrysost.

Altera est Hugonis Cardinalis, qui mysticè locum allegatum sic exponit: *Instruuntur humiles recepti à Domino, quia debent eligere potiora & postponere minora. Est enim bonum opus sepelire, & septimum est in operibus misericordiæ, sed potius est* (sive magis perfectum) *evangelizare.* Nimiæ præsumptionis esse multis videtur, non quidem quòd illi, qui multum profecerunt in *viâ* Domini, studeant eligere quæ sunt potiora, sed quòd illi conentur istud, qui tantùm incipiunt. Verùm ipsi non considerant,

Hugo Card.

sicut

ſicut indicatus jam Cardinalis expendit, quod ipſimet *humiles*, ut ad perfectiora feſtinent, à Domino moneantur: quia nimirum non ſolummodò debet eſſe humilis magnanimitas, ſed etiam magnanima humilitas.

§. C

Talem olim humilitatem ſcimus fuiſſe, cum quâ S. Antonius audiens in Miſsâ legi: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus*: ſtatim, ſine morâ, ſtante pede, verba vertit in opera. Talem fuiſſe ſimiliter Apoſtolorum illorum, qui vel ex telonio vel aliis negotiis ad ſcholam perfectionis evolarunt, vel relictis retibus, non procraſtinando, ſed continuò ſecuti ſunt Chriſtum, ipſa teſtantur Eloquia ſacra.

Hoc eſt quod perpendendum nobis jure merito Chryſoſtomus aſſerit: *Perpende* (inquit) *obedientiam vocatorum: ſiquidem in medio piſcationis conſtituti, cùm Dominum audiſſent jubentem, nihil diſtulerunt, nihil omninò cunctati ſunt.* Inde ad moralem doctrinam & cujuſque documentum ſubjungit: *Talem quoque obedientiam à nobis Chriſtus efflagitat:* UT NEQUE PUNCTUM TEMPORIS DIFFERAMUS; *etiamſi nos aliquid neceſſarium urgere videatur.*

Chryſoſt. Hom. 14. in Math.

Hoc est, quod in Apostolorum Principe Divus Bernardus considerans, non cessat extollere: & tam velocem, quàm humilem ejus obedientiæ promptitudinem colligit ex his verbis: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Dicit enim: *Dignum planè Apostolicâ fide & devotione verbum. Iam reliquisti omnia, jam Dominum Petre secutus es, & nunc demum quid sis accepturus interrogas? Verè Simon, verè obediens in auditu auris sine pacti conventione. Ad unius enim jussionis vocem Petrus & Andreas relictis omnibus secuti sunt Redemptorem.*

Bern. in declam.

§. D.

Ne quis verò non aliis, quàm à Domino vocatis ad Apostolatum, hunc expeditissimum obediendi modum, *divinæque voluntati* totaliter se committendi, quispiam convenire fortassis existimet, audiamus quàm vehementer omnes urgeat idem Religiosissimus Abbas: velocitas illa resolutionis Apostolorum *si homini* (inquit) *carnali stultitia fortè videtur, audiat: Quod stultum est Dei sapientius est hominibus: & quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvare credentes: quippè cùm mundus eum in sapientiâ minimè cognovisset. Quantos enim mundi sapientia maledicta supplantat, & conceptum*

Idem ibid.

in eis extinguit ſpiritum, quem voluerat Dominus vehementer accendi? Noli (inquit illa carnalis aſtutia) *præcipitanter agere: diu conſidera, diligentiùs intuere. Magnum eſt quod proponis, & opus habens magnâ deliberatione. Experire quid poſſis, amicos conſule, ne poſt factum pœnitere contingat. Hæc ſapientia mundi, terrena, animalis, diabolica, inimica ſalutis, ſuffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ ſolet Deo vomitum provocare. Cave tibi, ait. Ut quid enim? Cum à Deo verbum eſſe non dubites, quid opus eſt deliberatione? Vocat magni conſilii Angelus, quid aliena conſilia præſtolaris? Quis enim fidelior, quiſve ſapientior illo? Deduc me Domine & deducar, fortior eſto & invaleſce. Novi ego quænam ſunt, quæ oportet fieri* CITÒ. *Ab ore putei gehennæ eripior, & inducias petam, & retardabor, & cunctabor exire, ſi fortè interim fiat aliquid? Abſcondi ignem in ſinu meo, & exuſto jam latere, jam nudatis viſceribus, jam ſanie defluente, diu mihi & deliberandum eſt an expergiſcar, an excutiam, an abjiciam illum? Magnum omninò eſt quod offertur; ſed eò libentiùs &* FESTINANTIÙS *ſuſcipiendum, & obviis arripiendum manibus cum fervore & hilaritate. Probet autem ſeipſum qui de propriâ virtute præſumit. Nam divi-*

na quidem omninò probata est.

En qualiter instat, qualiter urget D. Bernardus, ut ne vel uno, si fieri possit, imò quod fieri potest, momento, captiva remaneat filia Sion, sed *vincula cupiditatis* omnia quàm velocissimè, sine morâ, sine tergiversatione, sine dilatione dissolvat, abrumpat: adeò ut licet ante *votum Seraphicum* attentissima, nulla tamen ante *propositum* deliberatio vel probatio debeat præcedere, nec etiam aliquod de perseverantiâ futurâ experimentum. Sed clausis omninò rationis humanæ respectibus, & apertis inconcussæ fidei luminibus, id firmiter, id velociter, nullos non decet arripere, in cujus electione nulla prudentia, consideratio nulla, quæ possit avertere, debet intervenire.

§. E.

D. Thō. 22. qu. ult. art. ult.

Diuturna deliberatio (inquit D. Aquinas) *requiritur in magnis dubiis: in his autem quæ sunt certa & determinata, non requiritur consilium.* Itaque peto, dubjumne sit, an certum quòd vobis expediat, ut modo, quoad fieri potest, optimo, Christi sitis Discipuli? Si veritati Christianæ renuntiare nolitis, omninò certum, dicetis, & determinatum. Ulterius interrogo, dubjumne sit, an cer-

tum

tum & determinatum, quòd vobis expediat omnibus abrenuntiare quæ possidetis? Non præsumetis existimo, negare vocem Magistri, dicentis: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* Q. D. inter meos computare non soleo, qui *vincula cupiditatis* omnia non abrumpit: rectè siquidem Basilius Magnus: *Est renuntiatio* VINCULORUM *terrenæ hujus ac temporalis vitæ solutio: atque ab humanis negotiis* LIBERATIO, *per quam ad ineundam viam, qua ad Christum pervenitur, aptiores & promptiores efficimur.* Certum igitur atque determinatum esse, *vincula cupiditatis* abrumpenda, diffiteri non potestis. Ad quid igitur opus consilio? Deliberatio vestra quid rationis habet? Cur adhuc remanetis in *captivitate*, qui vocamini ad *libertatem* ab ipsa Veritate? HODIE *si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Luc. 14. v. 33.

Basil. lib. Regul. ad interog. 8.

Ps. 94. v. 8.

Non obduravit cor suum Adolescens ille, cujus conversionem tanto certè feliciorem, quantò festinantiorem, tantoque glorioſiorem, quantò sublimiorem, D. Augustinus, tanquam non exiguum suæ conversionis incitamentum, enarrat. Qualiter videlicet è duo-

§. F.

bus

bus commilitonibus; qui vagabundi per silvam, in quadam casâ Sancti Antonii vitam in aliquo codice conscriptam, repererant, unus eam legere cœperit, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relictâ militiâ sæculi, sæculorum Domino deservire. Aug. lib. 8. Confess. c. 6. *Tunc* SUBITÒ (verba sunt Augustini) *repletus amore sancto, & sobrio pudore, iratus sibi, conjecit oculos in amicum, & ait illi: Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quò ambimus pervenire, quid quærimus? Cujus rei causâ militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus. Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce* NUNC *fio.*

Dixit hoc, & turbidus parturitione novæ vitæ reddidit oculos paginis: & legebat & mutabatur intus, ubi tu videbas, Domine, *& exuebatur mundo mens ejus, ut mox apparuit. Namque dum legit & volvit fluctus cordis sui, infremuit aliquandò & discrevit, decrevitque meliora; jamque tuus, ait amico suo: Ego jam* ABRUPI *me ab illâ spe nostrâ & Deo servire statui. Et hoc* EX HORÂ HAC, IN HOC LOCO *aggredior;*

dior; te si piget imitari, noli adversari. Respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis, tantæque militiæ. Et ambo jam tui ædificabant turrim sumptu idoneo, relinquendi omnia sua & sequendi te.

Ecquis hæc attentè legens non mutetur interius, & sanctum etiam fervorem concipiens, parturire festinet (divinâ obstetricante misericordiâ) spiritum perfectionis? Ecce personas in momento verè liberas, quæ dum servire Deo statuunt, & ab omni terrenâ spe mentem velociter abrumpunt, festivis incontinenter æterni Regis amplexibus excipiuntur.

§. 6.

Prudenter illos, an imprudenter egisse judicatis? Imprudentiæ, sat scio, non audebitis illos arguere, quamvis præter jam dicta, sit illud etiam, quòd (ut mox addit Hipponēsis Antistes) *ambo habeant sponsas.* Prudentiam istorum itaque, si non ob hoc ipsum quod ita festinanter omnia cupiditatis *vincula* diruperint, saltem cum hoc ipso non laudare, non potestis. Quid vos impedit igitur quò minus & vos ita prudentes sitis, quò minus & vos ex horâ hac quâ præsentia legitis, ex hoc loco, *vincula cupiditatis* omnia dissolvatis?

Noli-

Nolite, quæso, nolite vel sponsis quibus hi duo commilitones se jam devinxerant, ad sequenda tam laudabilia generositatis exempla, tardiores esse, quæ *postquam hoc* (quòd supra narravit Sanctissimus Episcopus) *audierunt, dicaverunt etiam ipsæ virginitatem Deo.*

Unam ex præcipuis fallaciis, quibus inimicus incautas solet animas decipere, hanc esse crediderim, quòd, dum persuadere non potest illis, ut optimum perfectumque propositum omittant, illud efficere studeat, ut aliquantulum differant: & hanc vel illam solùm actionem faciant imperfectam, quâ peractâ, tunc seriò scilicet operi manum admovebunt.

§. H. Ponamus exemplum. Persona quædam idonea vitæ Religiosæ, meditatur hanc etiam arripere, modoque perfectiori claustrum inhabitare. Meditatio certè laudabilissima quæ propendet in hoc ut vitam Religiosam non talem qualem incipiat, sed omni quo potest modo perfectissimam. Advertit etiam eadem persona se nullatenus impediri, quò minus hîc & nunc absque dilatione perfectionis illimitatæ, vel solidæ propositum in animo statuat:

tuat: in cujus rei consideratione dum sancti Spiritûs ignem gaudet in mente foveri, divinâ providentiâ contingit, ut incidat in hunc S. Matris N. Teresiæ locum, quo, suas alloquens Religiosas, admonet: *Semper illi quæ admitti postulat proponite, ut de facultatibus, quas habebit, disponat, & faciat id quod viri docti ad majorem Dei gloriam faciendum judicabunt.* Ter. lib. fundat. c. 26.

Ruminat hanc sententiam, & ruminando veretur, ne forsitan illi quadrare dicatur id quod ad Hebidiam scripsit olim D. Hieronymus, nimirum: *Vis esse perfecta & in primo stare fastigio dignitatis? Fac quod fecerunt Apostoli: vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis? Dimitte omnia quæ habes & da propinquis.* Hieron. ad Hebid.

Dubitare quidem non potest esse *voluntati divinæ* conformius, ut, exequendo monitum Seraphicæ Matris ad hoc quod hîc & nunc perfectius judicabitur paratum cor suum habeat: verùm quia timet amicorum offensionem, casu quo determinaretur esse magis ad gloriam Dei pauperibus omnia consignare, quid suggerit astutia satanæ,

ſatanæ, qui convictum hujus perſonæ judicium, hoc ſibi fore melius, advertit ſe non poſſe pervertere? Unam, inquit, hanc tantùm actionem abſolve, ſicut conſcientiâ tutâ potes facere, diſtribue partem aliquam amicis tuis, & poſtmodum veraciter incipies exequi conceptum, de perfectione ſolidâ, propoſitum. Infelix anima, quę vel uno quoque momento fædus cum imperfectione ſinit conſiſtere. Mericiſſimo ſanè jure tibi recantatur: *Solve vincula colli tui captiva filia Sion.*

CAPUT

CAPUT VI.

Quòd ita soli divinæ voluntati *mens verè* libera *debeat obedire, ut ne vel ipsis quidem consiliis divinis adhæreat. Et quòd ipsa frequenter debeat propter perfectionem, ea, quæ sunt in obstracto perfectiora, omittere.*

VIx aliquid utilius attentè potest anima considerare, quàm id qnod S. Aquinas resolvit in articulo cui titulus: *Utrum perfectio consistat in præceptis, an in consiliis?* hac enim resolutione congruenter intellectâ, facilè se liberabit ab illâ miseriâ, quæ complures animas in tanto facit errore cęcutire, ut eis ad verum perfectionis finem aliquando pertingere sit prorsus impossibile: quia videlicet ipsis me-

§. A.

D. Thō. 22. qu. 184. art. 3.

mediis ad perfectionem, tanquam si finis essent, firmiter adhærent: & id in quo perfectio vera consistit seponunt, ut illius media practicent.

Respondet autem Sanctus Doctor: *Per se & essentialiter consistit perfectio in* CHARITATE, *principaliter quidem secundùm dilectionem Dei, secundariò autem secundùm dilectionem proximi, de quibus dantur præcepta principalia legis divinæ:* Nimirum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Unde non tantùm præcepta cætera, sed ipsa quoque consilia sunt instrumenta solummodò perfectionis, usurpanda prout charitati serviunt, & non amplius: Nam *præcepta quidem ordinantur ad removenda quæ sunt charitati contraria: consilia autem ordinantur ad removendum impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati non contrariantur: sicut est matrimonium.*

§. B. Si tota consiliorum utilitas attendi debeat, in hoc quod charitati famulentur, in quâ solâ consistit perfectio, solius profectò *charitatis* imperio, perfecta *libertas* debet adhærere tamque promptâ voluntate sequi nutum illius, ut ipsa quoque consilia propter ejus obe-

obedientiam sciat seponere: sic ut rectissimè quondam Salesius: *Ipsa* CHARITAS (inquit) *est, quæ tanquam Regina virtutum omnium, præceptorum omnium, consiliorum universorum, & nullarum non etiam legum & actionum Christianarum, omnibus illis ac singulis, gradum, ordinem, tempus & valorem tribuit.* Sales de Am. lib. 8. cap. 6.

Et post pauca: *Ad Christiani populi perfectionem, data quidem sunt omnia consilia, sed non ad uniuscujusque Christiani perfectionem in particulari. Tales interdum occurrunt circumstantiæ, ut illa quandoque reddantur impossibilia, quandoque inutilia, quandoque periculosa, quandoque non-nullis etiam damnosa. Et hæc fuit ex intentionibus una, cur de quodam eorum (quòd omnibus est applicandum) Dominus ait:* QUI POTEST CAPERE CAPIAT. *Quasi diceret (ut exponit* D. *Hieronymus) qui comprehendere potest & assequi, tanquam bravium aliquod, castitatis decus: illis enim qui generosè current est expositum. Non ergo possunt omnes, hoc est, non expedit omnibus omnia consilia practicare: data sunt enim in gratiam charitatis; & hæc propterea debet eorum praxi regulam & mensuram præscribere.*

Verumenimverò ne quis forsitan aberret, existimans quòd sit *charitas* id, §. C

quod reverà non est aliud quàm carnalitas, aut ne persuasum habeat perfectionem illius & vitam procul esse quærendam, altissimâ convenit memoriâ retinere, quòd sit charitatis *vita in voluntate ejus*, in quo nimirum vivimus, movemur & sumus. Et hæc est ratio cur ad amorem *Voluntatis* hujus quà verbo, quà facto nos semper excitare conatus fuerit Magister cœlestis.

Ps. 29. v. 6.

Verbo quidem; nam legimus: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit* VOLUNTATEM *Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Item: *Quicunque fecerit* VOLUNTATEM *Patris mei, qui in cœlis est; ipse meus frater & soror & mater est.*

Math. 7. v. 21.

Math. 12. v. 50

Facto præterea, quia scriptum est: *Descendi de cœlo, non ut faciam* VOLUNTATEM *meam, sed* VOLUNTATEM *ejus qui misit me.* Item: *Pater mi, si possibile est; transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego* VOLO, *sed sicut tu.* Item: *Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat* VOLUNTAS *tua.* Item: *Meus cibus est, ut faciam* VOLUNTATEM *ejus qui misit me.* Per quod apertè Chri-

Joan. 6. v. 38.

Math. 26. v. 39.

Ibid. v. 42.

Joan. 4. v. 34.

stus

ſtus indicat ipſam *charitatis* perfectionem ſive vitam alio non poſſe nutriri cibo, quàm *voluntate divinâ* ſolummodò.

Hujus doctrinæ fundamentum illud eſſe videtur, quoniam *amicitia* (prout S. Aquinas teſtatur) *facit idem* VELLE *& idem* NOLLE: ſic ut nemo veram cum Deo poſſit amicitiam affectare, qui *voluntatem* ſuam alteri cuipiam rei, quàm *voluntati divinæ* ſolummodò permittit adhæreſcere. Quia verò non infrequenter accidit, quod ea, quæ tanquam Dei conſilia nobis in generali proponuntur, hîc & nunc in particulari *divina voluntas* dictitat omittenda; mirum non eſt, quòd Deum ſæpè propter Deum & perfectionem propter perfectionem oporteat omittere: & relictis illis, quæ ſecundùm ſe vel in abſtracto ſunt perfectiora, diligenter ea facere, quæ ſecundùm ſe minus ſunt perfecta. §. D. D. Thõ. 22. qu. 104. art. 3.

Secundùm ſe, dico, prout hoc idem ſignificat ac *in genere*: nam poteſt illud, *ſecundùm ſe*, taliter etiam quis accipere, ut ſignificet idem quod, invariabiliter. Et hoc modo certum eſt illud accipere D. Bonaventuram, quando

do pervigili consideratione monet attendendum, quòd, *sicut tripliciter bonum dicitur & etiam malum, sic & perfectum & imperfectum videlicet, in genere, ex circumstantiâ & secundùm se.*

Bonav. in Apol. paup. Resp. 1. cap. 1. §. E.

Porrò cum hæc divisio non parum ad intelligentiam rei conducat quam hîc præ manibus habemus, frustraneum non erit illius explicationem, à Doctore præfato traditam, expendere.

BONUM (inquit) *in genere est actus transiens super materiam debitam: ut ire ad Ecclesiam, dare eleemosynam.*

BONUM *ex circumstantiâ est actus laudabilibus circumstantiis informatus: sicut dare eleemosynã servatis debitis circumstantiis circa dantem, datum, & accipientem, quantùm ad loca, tempora, & personas. Et hæc duo bona depravari possunt per alicujus circumstantiæ defectum, & maximè propter inordinationem intentionis: utpote si quis in dando eleemosynam vel jejunando, vel eundo ad Ecclesiam, hoc faciat, ut gloriam capiat humanam.*

Tertium autem est BONUM *secundùm se, quod nullo modo potest esse malum: sicut est opus virtutis ex charitatis radice procedens.*

MA-

MALUM *in genere dicitur actus transiens super materiam indebitam: sicut occidere hominem.*

MALUM *ex circumstantiâ dicitur actus informatus deordinatâ circumstantiâ: ut comedere extra horam.*

MALA *secundùm se sunt illa, quæ mox nominantur conjuncta malo: ut mentiri, fornicari, odire veritatem, approbare errores.*

PERFECTUM *in genere est actus difficilis & excellens: sicut est, omnia relinquere & intrare Religionem.*

PERFECTUM *ex circumstantiâ dicitur actus difficilis debitis circumstantiis adornatus: ut relinquere divitias gaudenter, & ad ædificationem proximi.*

PERFECTUM *autem secundùm se, est actus difficilis, à charitatis sublimate procedens: ut est motus fervidæ & extractæ dilectionis in Deum, vel puræ & plenæ dilectionis ad inimicum.*

IMPERFECTUM *in genere dicitur actus facilis, ad quem humana infirmitas inclinatur: sicut fugere mortem, pecuniam possidere.*

IMPERFECTUM *ex circumstantiâ dicitur actus informatus circumstantiâ inclinante ad infimæ justitiæ statum: ut vim facienti di-*

mittere veſtem, propter fugam majoris injuriæ.

Imperfectum *autem ſecundùm ſe, eſt quod nullo modo poteſt ſtare cum perfectione Evangelicâ: ſicut ducere uxorem* (ad concupiſcentiæ videlicet ſatisfactionem) *& fugere paupertatem.*

Cum igitur tam multiformiter dicatur tam perfectum, quàm imperfectum, clarum eſt, quòd, ſicut malum ex genere poteſt fieri bonum ex circumſtantiâ: ut occidere hominem, quia maleficus eſt, & quia lex jubet, & quia reipublicæ confert. Et è converſo bonum ex genere poteſt fieri malum ex circumſtantiâ: utpote dare eleemoſynam propter vanam gloriam: Sic & perfectum in genere poteſt fieri imperfectum ex circumſtantiâ: ut puta, ſua relinquere modica, ut quis capiat majora bona Eccleſiaſtica; vel ab omni actu libidinis carnalis continere, propter corporis vitam prolongandam. Et è contrario, imperfectum in genere, poteſt fieri perfectum ex circumſtantiâ: utpote fugere mortem, ut quis glorioſiùs & fructuoſiùs & opportuniùs patiatur pro Domino.

Ad amorem illius quod in genere ſuo perfectum eſt, ſive quod conſilia divina perfectum eſſe declarant, animam aſcendiſſe permultum quidem vide-

videtur, veram tamen perfectionem sive perfectam in Domino *libertatem* necdum est consecuta, si nesciat hoc ipsum, in circumstantiis illis, in quibus ordinata charitas sive *Dei voluntas* id exigit, omittere: sic ut optimè D. Bernardus expendens illud Paulinum: *Domine quid me vis facere?* Dicat: *Hæc planè fratres perfectæ conversionis est forma.* Q. D. Illius perfectè conversa *captivitas* est, qui *vincula* cupiditatis omnia sic abrupit, ut *voluntati divinæ* solummodò firmiter adhæreat: nec illud statim existimet hîc & nunc esse faciendum quod in genere suo noverit esse magis perfectum; sed attentis omnibus circumstantiis illud exequendum judicet quod discretio vera demonstrat interroganti: *Domine quid me vis facere?* Bern. serm. 1. in convers. S. Pauli.

§. F.

Perfectum quidem est jejunare, vino, carnibus abstinere, castitatem vovere, paupertatem colere; nam hæc à Deo consuli nullus inficiabitur: diversæ tamen circumstantiæ possunt occurrere, propter quas *divinæ voluntatis* non est, ut illa fiant: ac proinde mens verè *libera* scire tunc debet ea quæ sunt in genere minus perfecta sine scrupulo præferre.

Primò siquidem corporalis infirmitas non infrequenter efficit, ut perfectissimè relinquantur ea, quæ sunt perfectiora; sic ut proinde suo discipulo Timotheo D. Paulus hanc scribat instructionem: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates.*

1. Tim. 5. v. 23.

Deinde certum est etiam, quòd spiritualis infirmitas sæpissimè requirat, ut id quod imperfectius est executioni mandetur potius, quàm id quod est in genere suo consultius. Unde præfatus iterum Apostolus qui castitatis consilium tantoperè commendat, attentâ quarundam viduarum illâ circumstantiâ quòd essent *otiosæ, verbosæ, curiosæ*, non illis castitatem, sed matrimonium consulit, dicens: *Volo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse.*

1. Tim. 5. v. 14.

Tertiò nullus etiam vocat in dubium, quin dictamen obedientiæ, cum omni sinceritate propter *divinam voluntatem* perfectius exequendam quæsitæ, vel saltem retentæ, faciat, quòd sit perfectius ea relinquere quæ forent aliàs perfectiora: quoniam veritatis doctrinam habemus *Melior est obedien-*

tia

tia quàm victima. Unde licet perfectius ſit jejunare v. g. quàm lautè refici, quando tamen obedientia, modo ſupradicto quæſita vel ſaltem retenta, lautam præcipit refectionem, perfectionis eſt illam jejunio præponere.

Prudenter autem advertere convenit, non omni prorſus obedientiæ vim dictam competere, ſed illi ſolummodò, quæ cum omni ſinceritate propter *divinam voluntatem* perfectius exequendam inquiritur aut ſaltem retinetur. Nam quando propter alium finem ſe quis alicujus directioni ſubjicit, potius eligens Directorem ad laxiora propenſum, ut mitiùs v. g. cum eo procedatur, nec habens animum tam ad auſteritates quàm laxitates paratum, nequaquam illi perfectiora debent reputari quæ carnis appetitui ſunt accepta, licet obedientiæ dictamen interveniat.

Singularem omninò reflexionem illa merentur verba quibus errorem quendam ſuum deplorat S. Mater N. Tereſia. *Perſuaſum habebam me non amplius obligari, quàm credere Confeſſariis,* & eorum directionibus acquieſcere, *quando laxiora mihi ſuggerebant & libertati carnis* Ter. in vitâ ſuâ cap. 5.

nis magis conformia: quoniam si magis austera fuissent, usque adeò sum perversa, ut Confessarios alios inquisivissem.

Si foret æquè perfectum aut etiam perfectius per dictamen obedientiæ cujuscunque refici lautè, verbi gratia, quàm jejunare, crudelitatis meritò possent argui omnes animarum directores qui pœnalia supererogationis opera præscribunt: stultitiæ deberent corripi; qui non eligerent laxitatis amicos in directores suos; multumque deciperentur, qui Religiones austeras, in quibus juxta Regulam duriora præcipiuntur, mitigatis anteponunt.

Cap. 9. §. H. Plura quidem in hac re forent dicenda verùm cum simus ostensuri qualiter charitas perfectiones virtutum singularium non auferat sed augeat, eademque sit obedientiæ ratio, clariorem illa suppeditabunt intelligentiam.

§. G. Quartò demum & præcipuè fraterna charitas proximorum infirmitatibus non rarò dictitat esse condescendendum. Ipse profectò Dominus & Salvator omnium suo nos exemplo manifestè docuit, non quærere quæ sua sunt, sed quæ aliorum: & propter con-

condescensivam charitatis perfectionem, imperfectiora peragere; qualia sunt, à facie persequentium fugere, seipsum abscondere, pro calicis amotione rogare, conviviis interesse, loculos possidere. Quamvis enim similia minorem sonent perfectionem; considerata nihilominus cum illâ charitatis internæ circumstantiâ, cum quâ procedebant ab eo, summam omninò perfectionem attigisse, nullum est dubium. Quia *sicut humanam assumendo naturam* (Divi Bonaventuræ verbis utor) *in nostris factus est humilis, sed in propriis mansit excelsus: sic & summæ charitatis dignatione, ad actus quosdam nostræ imbecillitati & imperfectioni conformes deprimitur, & à summæ rectitudinis perfectione non curvatur.* Bonav. in Apol. paup. Resp. 1. cap. 1.

Hanc autem doctrinam, ne cui fortassis illa plus æquo mira videatur, aliorum adhuc Sanctorum dictis & illustremus & confirmemus. Et primò quidem Magni Patris Augustini verbis aures arrigamus. *Habuit* (inquit ille) *Dominus loculos & dictum est de quibusdam religiosis fœminis, quòd ministrabant ei de substantiâ suâ. Futurus erat & Paulus nihil tale aliquando quærens, & omnia provincialibus donans: Sed quia multi infirmi ista* Aug. in Ps. 103. conc. 3. circa mediū.

ista quæsituri erant, magis infirmorum personam suscepit Christus. Sublimiùs Paulus. Nunquid & Christo? Sublimiùs Christus, quia misericordiùs. Cùm enim videret Paulum non esse ista quæsiturum, providit, ne damnaret quæsiturum, & præbuit exemplum infirmo. Hæc Augustinus.

Chrysost. Hō. 27. super Mat.

Cui non incongruenter succedit Chrysostomus ita differens: *Vides quanta est Christi in condescensione diligentia; sicut cùm manducat & bibit, cum videatur ex adverso Ioanni faciens, & hæc Iudæorum gratiâ salutis facit, magis autem terrarum orbis universi.*

Greg. lib. 22. Morol. cap. 8.

Divus etiam Gregorius: *Solent* (inquit) *justi in eo quod ipsi certum sentiunt, quasi ex dubitatione aliquid proferre; ut infirmorum in se verba transforment: sed rursum per fortem sententiam dubietati contradicunt, quatenus per hoc quod dubiè proferre cernuntur infirmis aliquatenus condescendant, & per hoc quod certam sententiam proferunt infirmorum mentes ad soliditatem trahant. Quod dum faciunt, exemplum nostri Capitis sequuntur, qui passioni propinquans infirmantium in se sumpsit vocem, dicens: Pater, si possibile est, transfer calicem hunc à me: sed vim fortitudinis ostendens, ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Tan-

Tandem Magister Hugo sic loquitur: *Habebat* JESUS *loculos & ea quæ dabantur suscipiebat, conformans se imperfectis. Paulus autem nolebat sumptus accipere de Evangelio, sed gratis factus est minister verbi: & invenitur Paulus aliquid majus fecisse, quàm Christus. Christus autem in numero imperfectorum inveniri voluit, ne præsumerent non accipientes & confunderentur accipientes, & æstimaretur non esse Christianus faciens quod facere noluit Christus.* Hugo de S. Vict. in Ps. 91. cap. 64.

Propter condescensivam ergo charitatis benevolentiam & sublimissimam hujus condescensivæ charitatis perfectionem, plura Christus egit quæ sunt in genere suo minus perfecta, & quæ propter ipsam, unde procedebant, radicem, erant omninò perfectissima.

§. H.

Non tantùm pulcherrima sunt exempla Sanctorum, quos inter opera minus perfecta summam coluisse perfectionem S. Salesius narrat, sed etiam ipsemet excellentissimum in hac materiâ virtutis exemplum orbi Christiano præbuit, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret. Unum, inter cætera, quod ipse Dominæ cuidam maritatæ proponit, exemplum, hîc subtice- *Sales lib. 2. epist. 1. Item in discus. spir.*

Lib. 3. Epist. 6. ticere non valeo. *Cognosco* (scribit illi) *quandam Dominam, cujus anima tam est excellens, ut melior huc usque mihi non occurrerit, quæ cum tali subjectione sub humoribus sui mariti diu remansit, ut summo quoque suæ devotionis & spiritualis fervoris æstu non obstante, nudato procedere collo cogeretur, & vanitatibus innumeris exteriùs oneraretur, nec unquam sacrâ synaxi, nisi clanculò, semotis arbitris, tempore Paschali, reficeretur: millenis alioqui procellis turbata fuisset familia. Et per hanc* (inquit) *viam, ad apicem perfectionis ascendit.*

Ter. lib. Fundat. c. 5.

Solitudinis quietem summoperè laudabilem esse, licet non semel nos doceat Sancta Mater nostra Theresia, sapientissimè tamen ostendit, non tantùm propter obedientiam, sed propter charitatem interdum quoque seponendam. Unde perappositè S. Augustinus: *Otium sanctum quærit charitas veritatis; negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.*

Aug. lib. de Civ. Dei cap. 19.

Ter. in vitâ suâ cap. 13.

Adeò scilicet verum est illud Seraphicæ Virginis: *In omnibus discretio est adhibenda.*

CAPUT

CAPUT VII.

Quare necessaria sit discretio, *voluntatisque* divinæ *sedula consideratio.*

MAxima sanè cœlestis Sponsæ felicitas indicatur, quod constet eam in veritate non tantùm posse dicere: *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, hoc est, in zelum amoris, vel (ut interpretatur S.Bernardus) in abundantiam charitatis: verùm etiam adjungere: *Ordinavit in me charitatem*: vana siquidem est imò damnosa charitatis abundantia, si non habeat ordinem, si non sit regulata per *Dei voluntatem*, si fræno *discretionis* destituatur. §. A. Cant. 2. v. 4.

Porrò satius erit, ut ipse Mellifluus Abbas suam in hunc locum interpretationem prosequatur, & explicet nobis, quantoperè fervori charitatis *discretio* sit necessaria. Dicit igitur: *Importabilis absque scientiâ est zelus.* Bern. serm. 49 in Cant.

Ubi

Ubi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè Discretio *est necessaria; quæ est ordinata charitas. Semper quidem zelus absque scientiâ minus efficax, minusque utilis invenitur, plerumque autem & perniciosus valdè sentitur. Quò igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas; eò vigilantiori opus est scientiâ, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. Proinde sanè ne tanquam nimia & importabilis pro impetu spiritus, quem è cellâ vinariâ videtur reportasse, præsertim ab Adolescentulis, Sponsa timeatur, jungit quod* Discretionis *est etiam se pariter accepisse, id est, ordinem charitatis.* Discretio *quipqe omni virtuti ordinem ponit ordo modum tribuit & decorem, etiam & perpetuitatem. Est ergo* Discretio *non tam virtus; quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc & virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ.*

Ordinavit in me charitatem. Factum est autem hoc, cùm in Ecclesiâ quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios Pastores & Doctores in consummationem Sanctorum.

Oportet,

Oportet autem ut hos una omnes charitas liget, & contemperet in unitatem corporis Christi: quòd minimè omninò facere poterit, si ipsa non fuerit ordinata. Nam si suo quisque feratur impetu secundùm spiritum quem accepit, & ad quæcumque volet indifferenter prout afficitur, & non rationis judicio convolarit, dum sibi assignato officio nemo contentus erit, sed omnes omnia indiscretâ administratione pariter attentabunt, non planè unitas erit, sed confusio.

§. B. Manifestum est, quod inter plures hominum *voluntates* nulla possit unitas inveniri, si non sit aliquod unum, in quo conentur singuli convenire. Illud autem unum est charitas ordinata, *discretio* sedula, *voluntas divina.* Unde legimus quòd in Ecclesiâ primitivâ *multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Act. 4. v. 32. Quod ita sanè non potest intelligi, quasi cor illud quo vivunt corpora nostra, vel etiam anima quæ cordi nostro vitam confert naturalem, eadem fuerit in illis: sed quod fuerit in illis una eademque talis anima, quâ vivit ipsamet anima, sive cor illud quod cordi nostro vitam confert cælestem, quod non est aliud, quàm *divina voluntas.* Hanc omnes *Voluntatem*, & singuli, tanquam sibi propriam possidebant

bant, & inde erat illis omnibus *cor unum & anima una.*

Inter illos qui Deo non obediunt, unuſquiſque facit ea quę ſuæ ſunt placita *voluntati* : verùm inter filios Dei, dum ſuæ voluntati quiſque renuntiat, & *Voluntatis Divinæ* Beneplacito ſe toto corde reſignat, excellentiſſima quædam unitas exurgit : & eâdem quaſi vitâ vivunt : quia dicit Propheta Regius, quòd *vita in* VOLUNTATE DEI ſit poſita : *non tantùm quia pendet à* VOLUNTATE DEI *vita noſtra temporalis* : *ſed etiam* (prout explicat S. Saleſius) *quia vita noſtra ſpiritualis conſiſtit in ejus executione.*

Sales de Am. Dei lib. 8. c. 7.

Hujus profectò ſanctiſſimę *voluntatis* executioni nemo non Chriſtianorum totis viribus deberet intendere : ſed nimis verum eſt quod S. Bernardus ait : *Fit* DEI VOLUNTAS *de omnibus, ſit per omnes, non in omnibus tamen:* cò quòd magna pars ore ſolummodò ſonet illa verba : *Pater noſter, Fiat* VOLUNTAS *tua ſicut in cœlo & in terrâ* : pauciſque veraciter illam ſitiunt unitatem, de quâ præfatus Abbas : *In electis* (ait) *ſpiritibus fit* VOLUNTAS DEI, *quando eis efficitur cum ipſo* UNA VOLUNTAS. Particula-

Bern. de verb. Iſa. Serm. 5.

Idem ibid.

ticularem verò meretur attentionem id quod adjungit, dicens: *Hæc est sanè adhæsio spiritualis, unum spiritum faciens: sicut multitudinis quoque credentium cor unum & anima una legitur extitisse.*

§. C

Nulla certè Dei consilia sunt, quibus non debeamus amoris affectum; *adhæsionem* tamen affectus nihil habere debet, nisi *divina voluntas*: quæ cum super omnia requirat à nobis, ut charitatem habeamus ad invicem, seponenda sunt omnia propriæ devotionis exercitia, quando vera charitatis necessitas ita compellit.

Commune bonum proprio semper anteponit, & infirmitatibus alienis amorosè condescendit ille, qui benè ponderat illud Apostoli: *Dico per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere, quàm oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem.* Et quare? *Multi unum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra.* Membra verò corporis unius quid faciunt? *Pro invicem sollicita sunt membra. Et si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Sic videlicet etiam oportet, *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus,*

Rõ. 12. v. 3.

vers. 5.

1. Cor. 12. v. 25.

Rõ. 12. v. 15.

bus, ut simus nimirum, *id ipsum invicem sentientes*: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.*

Porrò quidnam sibi velle putamus illud Apostoli: *Charitas non quærit quæ sua sunt*? Interpretationem Sancti Patris Augustini juvabit audire. *Charitas* (inquit) *non quærit quæ sua sunt: quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideò quantò amplius rem communem, quàm propriam curaveritis, tantò vos amplius profeciſſe noveritis.* Ita docuit Hipponensis Antistes, ita fecit: qui charam licet haberet in Domino quietem, labores tamen innumeros susce-pit propter charitatem: quibus olim vacans protestabatur: *Dominum* Jesum, *in cujus nomine securus hæc dico testem invoco super animam meam, quantum attinet ad meum commodum, multò mallem per singulos dies, certis horis, quantum in benè moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum, & orandum aut aliquid de divinis libris agendum, liberas, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis sæcularibus.*

1. Cor. 13. v. 5.

Augusſt. Hom. 2. in Reg. Monach c. 109.

Idem de opere Monach

Sic videlicet adimplevit hic fidelissimus Dei famulus id, quod S. Paulus

lus admonet, *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei* (ejusque sanctissimæ *voluntati*, proximorum dilectionem enixè commendanti) *qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* 1. Cor. 5. v. 14.

§. D. Postquam D. Bernardus dulcissimè demonstravit, quòd sit duplex charitas: in actu videlicet, & in affectu, volens explicare latiùs illam Sponsæ vocem, *Ordinavit in me charitatem*, petit: *Quam putas harum?* Et respondet: *Utramque, sed ordine opposito. Nam actualis inferiora præfert, affectualis superiora. Etenim in benè affectâ mente non dubium (verbi causâ) quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur: & in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, cœlum terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in benè ordinatâ actione sæpè aut etiam semper ordo oppositus invenitur. Nam & circa proximi curam & plus urgemur, & plures occupamur, & infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus, & paci terræ magis quàm cœli gloriæ jure humanitatis, & ipsâ necessitate intendimus, & temporalium inquietudine curarum vix aliquid sentire de æternis permittitur, & languoribus nostri corporis, postpositâ animæ curâ, penè continuè* Bern. in Cant. Serm. 50.

nuè inservimus, & ipsis denique infirmioribus membris nostris abundantiorem honorem, juxta sententiam Apostoli, circumdamus, per hoc quodammodo facientes verbum Domini, de quo habes: Erunt novissimi primi, & primi novissimi.

Orantem denique hominem, cum Deo loqui, quis dubitet? Quoties tamen inde, charitate jubente, abducimur & avellimur propter eos qui nostrâ indigent operâ vel loquelâ? Quoties piè cedit negotiorum tumultibus pia quies? Quoties bonâ conscientiâ ponitur codex, ut operi manuum insudetur? Quoties pro administrandis terrenis justissimè ipsis supersedemus celebrandis Missarum solemniis? Ordo præposterus, sed necessitas non habet legem.

Ecce quomodo piissimus Abbas condescensivam charitatis *discretionem* discretissimè docuit, exercuit: & aliis condescendendo casum evitavit: ad hoc enim vigilanter advertendum esse, possumus ab eodem alibi discere: quia Religionum Superiores alloquens, admonet, ut sint *monentes, non cogentes ad celsiora* (quàm Regula præcipit) *condescendentes eis* (nimirum subditis) *cùm necesse fuerit ad remissiora, non cadentes cum eis.*

Bern. de præc. & disp. c. 8.

Adeò

Adeò condescensioni lapsus est vicinus, ut eos distinguere vix aliorum sit, quàm qui exercitatos habent sensus ad *discretionem* boni & mali. Vix è millibus unum reperies, qui veram à falsâ *discretione* sciat distinguere, quantumvis etiam plenis hoc nomen buccis innumeri concrepent.

CAPUT VIII.

Quòd ad veram sufficientemque discretionem & voluntatis divinæ cognitionem, *insufficientiæ propriæ cognitio sit valdè necessaria.*

§. A.

NEcessitatem cognitionis insufficientiæ propriæ non exiguam esse Divus Leo manifestè declarat, inquiens: *Nemo ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit in rebus divinis, etiamsi multum proficiat, semper sibi supe-*

Leo serm. 8. de nat. Dom.

supereſſe quod quærat. Nam qui ſe ad id, quò tendit, perveniſſe præſumit, non quæſita reperit, ſed in inquiſitione deficit. Ut igitur in inquiſitione *voluntatis divinæ*, charitatis ordinatæ, ſanctæque *diſcretionis* non deficiamus, eam nos inveniſſe non præſumamus: & ut in veritate diſcreti fiamus, nos indiſcretos adhuc eſſe humiliter agnoſcamus, & indiſcretos vocari nos, cum patientiâ, quin imò cum hilaritate ſuſtineamus.

Si verum eſt quod denominatio ſumatur à majori parte, felicem & feliciſſimum illum pronuntio, qui videns ſibi quoad *diſcretionem* plus deeſſe quàm ineſſe, nullam ſibi credit injuriam fieri, dum *indiſcretionis* ſcommate proſcinditur.

Qui verum habet charitatis ordinem, ille ſummam charitatis habet veritatem: & quis eſt obſecro qui fateri non debeat ab illâ ſummitate ſe procul adhuc abeſſe: nam quænam eſt, quæſo, vera charitas, niſi quam nobis jn-
1. Joan. 4. v. 16. dicat amantiſſimus Chriſti diſcipulus, dicens: *Deus charitas eſt.* O æterna veritas! ô vera charitas! ô chara æternitas! tibi ſuſpiro die ac nocte videns te quidem eſſe cui cohæream, ſed me nondum eſſe

esse qui cohæream: imò videns per misericordiam tuam, me necdum videre satis, quomodo nullus veram possit habere *discretionem*, qui suæ non habuerit indiscretionis agnitionem. Ad hanc tamen agnitionem affectuosissimè curro, quatenus exinaniendo me, apprehendere valeam te Deum meum, te lumen & discretionem meam.

§. B.

Origen. in Epist. ad Rom. lib. I.

Sapienter olim Origenes: *Est* (ait) *revera non cujusque sensus, sed valdè renovati & (ut ita dicam) ad imaginem Dei reformati, probare in singulis quibusque quæ agimus, quæ loquimur, quæ cogitamus, si sit* VOLUNTAS DEI: *& nihil omninò agere, vel dicere, vel cogitare quod* VOLUNTATI DEI *non senserit contravenire.* Quia verò nullus est, qui metam reformationis ad imaginem Dei se præsumere possit attigisse, hinc etiam nullus est, qui fateri non debeat, sibi quædam in *voluntatis Dei* cognitione veraque *discretione*, deesse.

Quantò quis amplius in hac cognitione proficit, tantò sibi plus quod cognoscendum supereſt deesse cognoscit. Ideò videmus Sanctorum præcipuos tantâ cum humilitate Dominum obsecrare, quatenus hanc eis cogni-

gnitionem dignetur indulgere. Et, ut alios transeamus, quoties & quàm ferventer invenimus apud Psalmistam illa suspiria, quibus illuminari suum à Domino postulat intellectum & in ipsius lege instrui? Nec aliud etiam nos omnes obsecrare docet pia Mater Ecclesia, quando nativitatis Dominicę felicitatem nos orare vult illis verbis: *O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens à fine usque ad finem fortiter, suaviterque disponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ.*

Porrò quid hoc esse dicemus, quod pater ille, qui filium suum mutum ad Christum adduxerat, ab eo rogatus, utrum crederet, non tantùm re-
Marc. 9. v. 23. sponderit: *Credo*, sed adjecerit etiam: *Domine adjuva incredulitatem meam.* Si credit, quomodo suam incredulitatem adjuvari deposcit? Nemo rectè credit, qui confiteri nescit, ad ipsam fidei perfectionem se necdum attigisse.

Si quis (ait Apostolus) *se existimat*
1. Co. 8. v. 2. *scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire*: quia videlicet omnis scientiæ solidæ fundamentum est, proprias agnoscendo tenebras, ad clariores radios inhiare: sic ut proinde

de ſcitum ſit illud cujuſdam aſſertum: *Hoc unum ſcio, me nihil ſcire.* Nec non alterius etiam iſtud: *Scio quod neſcio, & propterea ſcio, quia me neſcire hoc ſcio.* Aug. de Trinit.

Magnâ parte innocens eſt, qui culpam agnoſcit, & multum *diſcretionis* adeptus eſt, qui ſe diſcretum non eſſe, confiteri non erubeſcit: & ille poteſt cum fiduciâ majori dicere: *Credo*, qui fidem illam quam habet eſſe tam exiguam æſtimat, ut, quaſi foret increduli tas, eam adjuvari depoſcat: & fidem veram ſupradictus pater non habuiſſet, ſi illam ſe habere credidiſſet.

§. C.

Ratio fundamentalis eſt, quia ſicut nemo eſt bonus, qui ſibi complacet in eâ, quam adeptus eſt, bonitate, nec feſtinat ad id quod ei deeſt adhuc tanquam præcipuum, ſic nemo eſt ſapiens qui ſibi complacet in eâ, quam adeptus eſt, ſapientiâ, nec reputat majus eſſe quod ſibi deeſt, quàm quod ineſt; illud quod adeptus eſt ita deſpiciendo, ut ne memoriâ quidem dignum reputet, omnemque vim animæ ſuæ quoad id, quod adipiſcendum ſupereſt, extendendo.

Verùm quid ego meis hîc ſtrepo ſer-

sermonibus? Id quod S. Bernardus ait, non tantùm utiliùs, sed etiam suaviùs audietur. Ipsius igitur verba proferamus: *Perfecta eorum quæ retro sunt* OBLIVIO, *& perfecta in anteriora extensio, ipsa est hominis justi in hac vitâ perfectio.* Multos quidem invenies, qui partem illam perfectionis adimplent, quòd in anteriora se conentur extendere, quòd supremum scientiæ studeant addiscere: paucos verò quibus est curæ partem etiam primam adimplere, complacentemque memoriam in eis quæ sciunt humiliter abnegare. Tales quidem vident quò sit eundem, sed non quà.

Bern. ad frat. de monte Dei.

Scientia veræ *discretionis* est altissima, sed nulla potest ad eam ducere, nisi humilitatis via. Unde Salvator ait: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Istis nimirum parvulis & humilibus, qui se non cogitant comprehendisse, sed sequuntur adhuc si quo modo comprehendant: nec hoc adeò per voluntatis divinæ speculationem, quæ sæpiùs inflat; quàm per exercitationem & experientiam, quæ veraciter ædificat.

Math. 11 v. 25.

Rom. 12 v. 2.

Reformamini (dicit Apostolus) *in novitate*

vitate ſenſus veſtri, ut probetis quæ ſit VOLUNTAS DEI *bona, & beneplacens & perfecta.* Quod his angelicè verbis explicat D. Thomas: *Duplex eſt cognitio* DIVINÆ BONITATIS *vel* VOLUNTATIS. *Una ſiquidem ſpeculativa: & quantum ad hanc non licet dubitare, nec probare, utrum* VOLUNTAS DEI *ſit bona, vel utrum Deus ſit ſuavis. Alia eſt autem cognitio,* DIVINÆ VOLUNTATIS *ſeu bonitatis affectiva ſive experimentalis, dum quis experitur in ſeipſo guſtum divinæ dulcedinis, & complacentiam* DIVINÆ VOLUNTATIS. *Sicut de Ierotheo dicit Dionyſius cap. 2. de div. nom. quod didicit divina ex compaſſione ad ipſa. Et hoc modo monemur, ut probemus* DEI VOLUNTATEM, *& guſtemus ejus ſuavitatem.* D. Thō. 2. 2. qu. 97. art. 2. ad 2.

Quantumvis autem quis hæc ſe per ſcientiam etiam experimentalem probaſſe judicet & guſtaſſe, ſi ſe jam comprehendiſſe perſuadeat, & dicat: *ſatis eſt*, ipſe ſe ſeducit & veritas in eo non eſt. Quotquot enim veraciter experiuntur, non aberraſſe vident eum, qui Deo cecinit: §. D.

Qui te guſtant, eſuriunt:
Qui bibunt, adhuc ſitiunt:
Deſiderare neſciunt,
Niſi Ieſum quem diligunt.

Beati

Math. 5. v. 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam* (inquit Christus) *quoniam ipsi saturabuntur.* Sed quonam precor cibo saturabuntur? *Illo* (Sanctus Augustinus ait) *cibo saturabuntur de quo ipse Dominus dicit; Meus cibus est, ut faciam* VOLUNTATEM *Patris mei, quod est justitia.* Hoc igitur cœlesti cibo, qui verè saturantur esuriunt, & qui verè esuriunt saturati sunt: quoniam sicut est in saturitate fames, sic & in fame saturitas invenitur.

Aug. lib. de serm. Domini in monte c. 2.

Hinc est quod Apostolus ad Colossenses scribens, quos agnovisse *Dei voluntatem* non obscurè significat, amplius adhuc eos illam agnoscere desiderabat. *Non cessamus* (inquit) *pro vobis orantes & postulantes, ut impleamini agnitione* VOLUNTATIS DEI, *in omni sapientiâ & intellectu spirituali: ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes &* CRESCENTES *in scientiâ Dei.*

Col. 1. v. 10.

§. E. Aug. lib. de spir. & litt. Idem de verb. Apost.

Si petas, quid *ambulare* significet, dum ait: *ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes?* Augustini responsio talis est. *Ambulatio ista non corporis pedibus, sed mentis affectibus & vitæ moribus geritur.* Et iterum: *Dicitis* (ait idem) *quid est ambulare? Breviter dico, proficere.* Sanctus etiam Bernardus referens illa D. Joannis

nis verba: *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant*, ita loquitur: *Ambulare proficere est.* Idem præterea descendens ad exercitia, quæ status perfectionis requirit, in hunc modum differit: *Pietas hæc est jugis Dei memoria, continua intentionis actio ad intelligentiam ejus, indefessa affectio in amorem ejus: ut nullâ invenias unquam servum Dei, ne dicam die, sed horâ, nisi vel in exercitii labore & proficiendi studio, vel in experientiæ dulcedine & fruendi gaudio.* Bern. ad frat. de monte Dei.

§. F.

Is igitur *voluntatem* Dei cognoscit optimè, qui cognoscit eam se non cognoscere, qui cognoscit imprimis hanc esse *voluntatem* ejus, ut homo studeat non superbè sapere, nec persuadere sibi, quòd ipse jam satis sit renovatus & ad imaginem Dei reformatus, ut (secundùm quòd Originem docere vidimus) probare possit in singulis quibusque quæ agit, quæ loquitur, quæ cogitat, si sit *voluntas* Dei; quasi jam non deberet in ipso reperiri continua intentionis actio ad intelligentiam ejus ulteriorem & indefessa affectio in amorem ardentiorem.

Sed objicies, quòd, quamvis ob humilitatem nemo sentire debeat de seip-

seip so quod *voluntatem Dei* sufficienter intelligat, fieri tamen possit, ut nihil ipsi desit in hac parte. RESP. Nequaquam istud fieri posse, in hoc sensu, quasi jam in abyssali *divinæ voluntatis* intelligentiâ fundum invenerit; hoc enim falsum est: eò quòd hæc intelligentia sic non foret abyssalis, nec exclamare deberet Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.*

Rom. 11 v. 33.

In alio tamen sensu fieri posse dicendum est, quòd quis *voluntatem Dei* sufficienter intelligat, & nihil, ipsi desit, hoc est, quòd sic eam intelligat, ut hîc & nunc quid sibi sit agendum dubitare non debeat, & agat absque peccato, licet in *discretione* deficiat, & non assequatur illud, quod *divinæ voluntati* foret à parte rei magis conforme. Is quidem illo casu non tam formaliter ab eo quod *voluntati divinæ* foret conformius, quàm tantùm materialiter aberrabit, si bonâ fide procedat.

§. 6. Exemplo sit ipse Moyses, de quo legimus, quòd cùm ad eum venisset Jethro cognatus ipsius, illumque vidisset

sub

ſub inutili pondere fatigari, vel (ut ipſius utar phraſi) *ſtulto*, ſeu indiſcreto, *labore conſumi*, dum totius populi quæſtionibus ſolus tentat ſatisfacere, melius ipſi ſapientiuſque conſilium ſuggeſſerit: providendi ſcilicet de omni plebe viros præcipuos & ſtatuendi ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui in judiciis rerum levioris ponderis occuparentur, & ea tantùm quæ majoris eſſent momenti ad ipſum deferrentur. Conſilium iſtud abſque dubio melius erat, quàm quod Moyſes eo uſque fecerat. Si melius, ergo potiori quoque *voluntati divinæ* judicioque conformius. Hæc autem ſcientia licet in illum uſque diem Moyſi defuerat, à *voluntate divinâ* tamen non tam formaliter, quàm ſolummodò materialiter aberraverat: eò quòd deſiderium illi non deerat illam & cognoſcendi & faciendi. Exod. 18. v. 17.

Clariora nobis adhuc exempla lex gratiæ ſubminiſtrat. Nunquid per ignorantiam à *voluntate Dei* Sanctus Petrus, licet jam eſſet Eccleſiæ caput conſtitutus, & in gratiâ confirmatus, aberravit? Imò tam graviter, ut ei S. Pau-

Gal. 2. v. 11. ſus in faciem reſiſteret: *quia reprehenſibilis erat.*

Jam verò quid ipſi quoque D. Paulo contigerit non ignoramus, referentibus nimirum ſacris paginis, quòd inter ipſum & Barnabam *facta eſt diſſenſio, ita ut diſcederent ab invicem*; adeoque diſcederent etiam aliqualiter à *voluntate divinâ.* Non abſolutè, dico, ſed aliqualiter: quia propter intentionem firmam ſoli Deo placendi, ſic ab ejus *voluntate* diſcedebant, ut in eâ remanerent, & feliciſſimè perſeverarent.

Act. 15. v. 39.

Ecce quomodo Sancti præfati, etiam aberrando, rectam viam retinebant, & aliqualiter deficiendo non deficiebant. Imò verò plus dicam aliquid, per hoc ipſum etiam proficiebant: quia profundiùs in humilitate deſcendebant. Quàm pulchrum humilitatis exemplum præbuit Moyſes, dum alieno potiùs conſilio, quàm proprio judicio paruit? Dum non replicavit, dicendo v. g. ſe melius ſcire quidnã expediret, utpote cui Deus os ad os loqui ſoleret, ut amicus ad amicum ſuũ, vel aliquid hujuſmodi. Et nunquid Petrus humiliter correptionem ſuſtinens, plus totam ædificavit Eccleſiam, quàm Paulus corripiens? Quid

§. H.

Quid etiam dicemus fuisse causæ, quòd in humilitate Paulus adeò semetipsum exinaniverit, ut scribere non erubesceret: JESUS CHRISTUS *venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* QUORUM (inquit) EGO PRIMUS SUM. Si dixisset, *quorum primus ego fui*, causam allegaremus illius peccata præcedentia, quando scilicet adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad Christi familiam persequendam. Jam verò cùm tam indissolubili vinculo charitatis Christo sit copulatus, ut dicat: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames* &c.? Et subjungat: *Certus sum quod neque mors, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei*: Quomodo tam altus in charitate, tam potest simul esse profundus in humilitate, ut non dicat se peccatorum primum fuisse, sed adhuc actualiter esse? Non quidem mala faciebat Paulus, ut evenirent bona: ex malis tamen quæ faciebat, tam immensa bona sponte proveniebant, ut postremum ac novissimum inter peccatores locum eligere cælestis

I. Tim. I. v. 15.

Act. 9.

Rom. 8. v. 35.

electionis Vas non ambigeret.

Et quænam obsecro tanta fuerunt mala, quæ post conversionem suam Apostolus faciebat, ut propter hæc se non solummodò peccatorem esse, sed etiam inter peccatores primum, hoc est præcipuum aut maximum posset asseverare: Christus venit peccatores (ait) salvos facere: *quorum* PRIMUS *ego sum?* Quomodo poterat hoc in veritate dicere, qui certus erat se bonum habere suæ conscientiæ testimonium, in quo etiam gaudere solebat & exultare? Credebat nimirum Christo monenti: *Recumbe in novissimo loco.*

Luc. 14. v. 10. Etenim cum fidei documentum sit, quòd unusquisque reputare debeat & persuadere sibi, quòd sit vilissimus & abjectissimus omnium: cumque fidei subesse falsum non possit, ab hac persuasione nemini fas est recedere: quamvis etiam superba ratio nostra aliud videatur ostendere.

Quâ veritate suppositâ, concludere cum omni certitudine debemus, quòd ille nec in infimo quidem *discretionis* gradu pedem fixerit, qui se non audet *indiscretissimum* confiteri. Falleris amice, falleris si te *discretionis* aliquid habere

habere præſumis, & vel uni ſoli, tam in hac *diſcretionis* materiâ, quàm in quacumque tandem aliâ ſimili, te præponis. Hæc ſemper noſtra debet eſſe *diſcretio*, ut nos omnium *indiſcretiſſimos* in omni ſinceritate credamus & tanquam tales haberi non ſubterfugiamus.

Sentiant ergo de nobis alii quidquid voluerint, noſtrum eſt abiectiſſima ſemper, non tantùm per modum cujuſdam ceremoniæ dicere, verùm etiam in corde ſentire: noſtrum eſt in abiectione propriâ gloriando ſuaviſſimè deliciari. Certè ſi propheta Regius in humilitate ſuâ deriſus exultando reſponderit: *Vilior fiam plus quàm factus ſum; & ero humilis in oculis meis*: nemo Chriſtianorum erubeſcere debet adiungendo: *Et ero indiſcretus in oculis meis, ut inhabitet in me Virtus Chriſti.* Quænam enim eſt Virtus Chriſti, niſi quàm docuit, inquiens: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Quapropter Bernardus: O *humilitas* (exclamat) *Virtus Chriſti, quantum confundis ſuperbiam noſtræ vanitatis!*

2. Reg. 6. v. 22.

CAPUT IX.

Duæ regulæ discretionis orthodoxæ, *per quas possumus intelligere quid sit perfectius.*

§. A. Supponamus ignem Spiritus Sancti ferventem quendam *Hagiophilum*, hoc est, Sanctitatis amatorem, genuisse, qui *divinæ voluntatis* amore succensus omnia cupiditatis *vincula* feliciter abruperit, & suam voluntatem ad eum *libertatis* gradum adduxerit, ut vivus assari magis eligeret, quàm ad eorum retrahi modum vivendi, qui tepidè vel remissè Deo famulantur. Etenim quia didicit non semper illud esse tanquam perfectius aut voluntati divinæ conformius arripiendum, quod in abstracto sive generali tanquam consultius, sacræ nobis paginæ vel monumenta Sanctorum commendant, eò quòd interdum fraterna charitas, interdum, obedientia, interdum etiam propria sive cor-

corporalis ſive ſpiritualis infirmitas aliud exigant, & quòd cum diſcretione vigilantiſſimâ ſit procedendum; humiliter ulterius inſtrui poſtulat, in eis, quæ requiruntur, ut intelligi poſſit quidnam in particularibus circumſtantiis, hîc & nunc, tanquam perfectius Deoque gratius executioni ſit mandandum: an v. g. caſtitatis electio magis illi congruat, an verò matrimonium? Sitne conſultius ei, retinere cuncta quę poſſidet, an omnia vendere pauperibuſque diſtribuere? Sitne Deo gratius, ut jejunet vel ut manducet, ut carnes comedat vel abſtineat?

Ex intimo cordis affectu primò quidem tibi congratulor *Hagiophile*, divinamque clementiam obteſtor, ut ignem illum quem ſuper altare cordis tui recenter accendit, perenniter in omnia ſæcula dignetur conſervare. §. B. Quia verò tenuitatem meam urges, ut aliquas tibi *Diſcretionis orthodoxæ regulas* exhibeam, per quas divinæ poteris miſericordiæ cooperari, tuumque fervorem, ut non tepeſcat, retinere, duas hujuſmodi regulas tibi proponere decrevi. Quod antequã aggrediar, adverte.

Unum eſt, ad quod te reflectere fre-

frequenter expediet, aures nimirum tuas obturandas esse popularibus instructionibus, & nullatenus acquiescendum dictaminibus eorū, qui tibi virtutis aliquid facienti aut meditanti non cessant inclamare: *Oportet uti discretione*, multisque studeant viis ostendere, illud quod facis, aut facere proponis, non expedire tibi: nec asseverare desistunt, eâ quæ suadent, esse *discretionis*. Quidquid *discretionis* esse vulgò dicitur, audeo dicere: constanter illud abiice, si vis perfectè Deo servire.

Horrorem te concipere decet illius, quod inter homines modò *discretio* dicitur. Ecquid enim est, quod hoc tam præclaro nomine promiscuè decoratur? Non me, sed D. Bernardum ausculta, cordis aures arrige, nec unquam tibi quod audies excidat. Remissio (inquit ille) Discretio dicitur. Verè sic est: & ideò qui remitti non vult fervorem sanctum, ab ipso nomine *discretionis* abhorreat: quia nec illud falsum est, quod idem Sanctus adjungit, inquiens: *Hæc discretio discretionem confundit*: nec aliud fieri solet singulis, in particularibus personis, quàm quod fieri solere docet S. Bonaventura in Religioni-

Bern. in Apol. ad Guilh. Abb.

ligionibus, nimirum quod relaxentur SUB SPECIE DISCRETIONIS. *O ſpecies discretionis*, ô quantos decipis in ſtudio perfectionis! falſam itaque tantum fugiamus *diſcretionem*, quantum veram amamus perfectionem. *Bonav. in determ. quæſt. circa Regulam. q. 9.*

Sed quid ſus ad Minervam? Quid ego te meis *Hagiophile* monitionibus inſtruo, qui te melius hæc intelligere, quàm ipſe capiam, ſatis oſtendiſti, cum duplicem tepidorum catervam, ſtatutum in corde tuo, de caſtitate ſervandâ, propoſitum, ſubvertere laborantium & falſam tibi *diſcretionem* fruſtra recantantium, generoſè nuperrimè deviciſti. §. 6.

Prima quidem caterva tuorum erat ſodalium, quibus, nuptias tibi ſuadentibus, cum reſpondiſſes, te velle ſequi conſilium Salvatoris de caſtitate, conſilium iſtud in ſe bonum eſſe non audebant inficiari, quia Catholicam fidem profitebantur, ſed *utendum diſcretione* vehementer inculcabant: argumenta verò quæ allegabant ad perſuadendum, erant hujuſmodi, ut, ſi quid habuiſſent efficaciæ, perverſum Chriſtus dediſſet conſilium: prout eſt, v. g. quod non debeamus eſſe meliores noſtris parentibus, quod mundus interiret ſi vellent om-

omnes ſervare caſtitatem, quòd magnæ ſint in celibatu tentationes, quòd non ſit exigua fragilitas humana, vel quid ſimile. Meritò ſanè replicabas huiuſmodi conſiliariis, quòd, ſi foret *diſcretio*, caſtitatem omittere propter illa quæ producebant, indiſcretè neceſſariò Chriſtus feciſſet, qui non ignorans hæc omnia, conſilium tamen de caſtitate propoſuit.

Secunda verò caterva, quæ magis apparentem *Diſcretionis ſpeciem* objiciebat, erat medicorum, qui, conſideratâ naturali complexione tuâ, iudicabant ad vitæ conſervationem tibi nuptias eſſe neceſſarias: unde perurgebant, quòd, licet ſeponenda non ſint Chriſti conſilia propter generales aliquas rationes, vera tamen *diſcretio* poſtularet illa ſeponi, quando tam ſpeciale reperitur impedimentum. Sed tu, nec illis acquieſcendum glorioſiſſimè decernens, in caſtitatis propoſito perſeveras.

Macte animo Chriſtiane Pugil: ſic verè ſic decet aures obturare ſæcularibus incantationibus, & omnes iſtos *diſcretionis* arietes vivæ fidei muro retundere. Nec aliquod conceptæ virtutis impedimentum exiſtimare verum eſſe,

niſi

niſi conſtet Chriſtianam ſcientiam, hoc uti verum approbare. Faxit Deus, ut, *Quo pede cœpiſti, ſic benè ſemper eas.*

§. D.

Quod ut fiat ex ipſo medicorum iudicio demonſtrare conabor, eam *diſcretionem*, quã tibi recantare ſolent non aliud eſſe quam puram *deceptionem*. Percunctari libet igitur, an ſi Galenus v.g. conſulat cucumeres non comedere, tu ſalvâ poſſis auctoritate Galeni, Petro conſulere comeſtionem illorum, allegare non valens ullam rationem, quam ut veram approbat Galeni doctrina? Nemo ſanè tibi conſentiet, quòd hoc ſit uti verâ diſcretione: quia vera diſcretio, verâ carere non debet ratione; ratione dico tali, quam ut veram approbant dictamina ſcientiæ ſecundùm quam agere quis decrevit. Unde cum Chriſtiana ſcientia nuſquam doceat, ob amorem vitæ, caſtitatem ſeponere, ſed è contra potius; cumque S. Caſimirum & plures alios ob hoc ipſum, quod caſtitatis conſilium vitæ prætulerint, extollat, inferre debemus, eos te velle decipere, qui ſub *diſcretionis ſpecie* caſtitatis decorem conſulunt vitæ poſtponere.

Diſcretionem veram ſemper amemus, &

&, ut virtutum moderatricem, à Domino cum humilitate postulemus: solam verò *discretionis* apparentiam aut speciem non aliter quàm pestem sedulò fugiamus, & non aliter accipiamus illam populi vocem: *Oportet uti discretione*, quàm si dicerent: *Oportet remissè Deo servire*: quoniam Remissio, Discretio dicitur.

Verùm expectare iam dudum te video regulas solidiores aliquas *discretionis orthodoxæ*, per quas *Hagiophile* semper intelligere valeas quidnam sit perfectius. Unam itaque tibi suggero valdè generalem, videlicet ipsam fidem; alteram magis particularem, nimirum obedientiam. Sit igitur

§. E. PRIMA REGULA. Semper illud habendum tanquam perfectius, & *voluntati divinæ* conformius, quod est conformius sacræ Scripturæ sive doctrinæ Christi & instructioni Sanctorum: sic ut absque dubio sit hîc & nunc exequendum tanquam perfectius, quod ut perfectius in abstracto Sanctorum scientia proponit, nisi videamus aliquam circumstantiam aut impedimentum, quod eadem Sanctorum scientia dictitat esse legitimum.

SE-

SECUNDA REGULA. Quoniam difficillimum est conditionem omnium circumstantiarum & impedimentorum semper agnoscere, præsertim in causâ propriâ, in qua nemo sibi judex esse potest; ideò consultissimum imò necessarium est, aliam adhuc omnium suarum actionum regulam accipere, quam eadem Sanctorum scientia frequentissimè suggerit, videlicet, *obedientiam*: sic ut non dubitemus illud esse perfectius, quod est obedientiæ directioni conformius.

Quo-ad primam regulam attentissimâ consideratione perpendendum est, immensum illud divinæ bonitatis beneficium, quo sapientiæ suæ radiis ignorantiæ nostræ tenebras per sacræ Scripturæ directionem illustrare dignatus est: ut extra controversiam omnem, ea, quæ sunt mala, quæ sunt bona, quæ sunt meliora, possimus addiscere. Etenim cum ipsa doceat experientia verum esse quod ait Sapiens: *Cogitationes mortalium timidæ & incertæ providentiæ nostræ*: sic ut humana ratio sit insufficiens inveniendi certitudinem infallibilem quidnam sit bonum, quid malum, quid perfectum, quid imperfectum Sap. 9. v. 14.

fectum quia licet v. g. multa sint argumenta quibus, etiam sepositâ fide, ostendere possimus castitatem esse matrimonio meliorem, illa tamen argumenta nequeunt intellectum ita convincere, quin propter alia quæ contrarium ostendunt, aliquam de opposito suspicionem retineat: ideò plus quàm intellectu concipere valeamus, intellectui nostro beneficii contulit Æterna Sapientia, declarando castitatem v.g. matrimonio præstare: sic ut per ejus auctoritatem res ista non possit alicui controversiæ subiacere.

Hinc optimè D. Augustinus, initia suæ conversionis enarrans, ait: *Cùm essemus infirmi ad inveniendam liquidâ ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset auctoritate Sanctarum litterarum, iam credere cœperam nullo modo te* Domine *fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes iam terras authoritatem, nisi per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses.*

Aug. lib. 6. Confess. c. 6.

Vigilanter hîc advertendum est, Sanctum Antistitem non solum dicere sacram Scripturam ad hoc datam, quòd sibi Deus velit per eam credi, sed etiam velit per eam *quæri*, amarissimè

simè siquidem deplorandum est maiorem Christianorum partem ita sacras accipere doctrinas, ac si datæ forent, ut in aridâ quadam illarum speculatione se mens nostra occuparet, & non etiam ut in vividâ manus operatione se nostra voluntas impenderet. De quâ re non minus verè, quàm luctuosè quondam Ven. Pater noster Thomas à Iesu ingemuit, inquiens: *Vix ullus est, qui pedem figat in absolutissimis fidei dictaminibus.* Thom. in Prax. viv. fid. lib. 1. cap 14.

Dolendum sanè plurimos ita vivere, ut exclamare non immeritò cum quodam Sanctorum audeam: *Væ misero mihi! puto, non creditur Deo.* Non creditur, inquam, eo modo, ut quis illius inhærere dictaminibus inviolabiliter animo statuat: nam quoties ad oculum ostenditur aliquibus hunc vel illum virtutis actum esse Dei consilium, non audent respondere, falsum hoc esse. Sed quid? *Oportet uti discretione*: quamvis aut nihil omninò sciant allegare, aut aliquam tantùm rationem politicam & naturalem in contrarium adducere, satis ostendentes se nondum scientiæ Sanctorum scholam intrasse.

Nemo scire potest *voluntatem divinam*,

nam, qui non conatur addiſcere Sanctorum ſcientiam : quia non minus oportet, ut intellectus noſter *intellectui divino*, quàm voluntas *voluntati* ſubdatur: origo ſiquidem & principium perfectæ *libertatis* eſt, ut captivemus intellectum noſtrum in obſequium fidei.

§. F. Multum ſe facere multi credunt quòd vitam politicè perfectam inſtituant, quòd voluntatem ſuam, *voluntati divinæ* ſubiiciant, quando politicam aut humanam rationem aliquam non habent in contrarium : ſi quam tamen huiuſmodi rationem videant, infallibilia fidei dictamina debent cedere. Rectiùs olim Tertullianus : *Cedat curioſitas fidei, cedat gloria, humanæ ſcilicet ſapientiæ, ſaluti.*

Citatur à P. N. Thom. de vivâ fide lib. 1. cap. 4.

Qui proponente Deo conſilium aliquod, adhuc dubitat, utrum ſit expediens illud exequi, propter aliquam rationem tantùm humanam, ipſe profectò ſe non accommodat fidei, ſed fidem ſibi. Unde non fruſtrà dictum à S. Saleſio legimus : *Naturalem ego prudentiam ſummè timeo, cùm de rebus ad gratiam ſpectantibus agitur.* Prudentiſſimè ſine dubio : quia tacere debet ac evaneſ-

Sales. lib. 6. Epiſt. 13.

cere

cere humanæ ſagacitatis obſcuritas, ubi loquitur & præfulget Aeternæ Sapientiæ claritas.

Apoſtolico quondam ſtylo ſequentia ſcripſit S. Petrus de Alcantarâ: *Conſilium Dei non poteſt non eſſe bonum: nec illud exequi difficultatem habet, niſi apud incredulos, & illos qui parum Deo confidunt, & ſecundùm humanam ſe tantùm prudentiam gubernant. Ipſe ſiquidem qui dedit conſilium dabit & remedium. Nullus etiam hominum quibus eſt honeſtas cordi, conſilium ſuggeret, cuius ſucceſſum felicem non peroptabit; quamvis etiam in dolos & malitiam natura noſtra propendeat. Quomodo non ſimiliter, imò magis, ille, cujus natura Bonitas, cuius voluntas potentia, tam voluntate, quàm poteſtate præſens erit, ut illi proſint ſua conſilia, qui ſe illis accommodat.* Vide Chron. poſt. lib. 1. c. 35.

Generalis abnegatio propriæ voluntatis, generalem prærequirit abnegationem propriæ rationis: ita ut cogitare non debeat ſe *vincula cupiditatis* omnia veraciter abrupiſſe, qui ſubterfugit adimplere cuncta, quæ tanquam perfectiora proponit Sanctorum ſcientia, niſi videat ab aliquo ſe retrahi per impedimentum aliquod omninò ſpeciale, quod eſſe legitimum ex

eâdem Sanctorum ſcientiâ poteſt oſtendi.

§. G. Longum fortaſſè nimis alicui videbitur integrum hîc articulum Angelici Doctoris exprimere: quia tamen ea, quæ diximus huc uſque, mirabiliter explicat & confirmat id quod docet 2. 2. q. ult. a. ult. ideò non pigebit eum hîc integrum exhibere. Quæſitum iſtius articuli eſt: *Vtrum ſit laudabile, quòd aliquis Religionem ingrediatur abſque multorum conſilio & diuturnâ deliberatione præcedente?* Ad quod ita reſpondet S. Aquinas: *Reſpondeo dicendum, quòd diuturna deliberatio & multorum conſilia requiruntur in magnis & dubiis, ut Philoſophus dicit in* 1. *Ethic. In his autem quæ ſunt certa & determinata non requiritur conſilium. Circa ingreſſum autem Religionis tria poſſunt conſiderari.*

D. Thō. 22. qu. ult. art. ult.

Primò quidem ipſe Religionis ingreſſus ſecundùm ſe: & ſic certum eſt quòd Religionis ingreſſus eſt melius bonum. Et qui de hoc dubitat, quantum eſt in ſe derogat Chriſto, qui hoc conſilium dedit. Vnde Auguſtinus dicit in libro de verbis Domini: Vocat te Oriens, id eſt, Chriſtus; & tu attendis ad Occidentem, id eſt, hominem mortalem & errare potentem.

Alio

Alio modo potest considerari Religionis ingressus per comparationem ad vires eius qui est Religionem ingressurus. Et sic etiam non est locus dubitationis de ingressu Religionis. Quia illi qui Religionem ingrediuntur, non confidunt in virtute suâ se posse subsistere sed auxilio virtutis divinæ: secundùm illud Isaiæ 40. Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Post hæc subnectit illam summoperè notandam doctrinam, quoad idem adhuc membrum. *Si tamen* (inquit) *sit aliquod* IMPEDIMENTUM SPECIALE, *puta, infirmitas corporalis, vel onera debitorum vel aliqua hujusmodi, in his requiritur deliberatio & consilium cum his de quibus speratur, quòd prosint & non impediant. Vnde dicitur Eccl. 37. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate; & cum injusto de justitiâ: quasi dicat, non. Vnde sequitur. Non attendas his in omni consilio, sed cum viro sancto assiduus esto. In quibus tamen non est diuturna deliberatio habenda. Vnde Hieronymus dicit in Epist. ad Paulinum. Festina, quæso te, & hærenti in salo naviculæ funem magis præscinde, quàm solve.*

Tertio autem modo considerari potest modus Religionem intrandi, & quam Religionem

aliquis ingredi debeat. Et de talibus potest etiam haberi consilium cum his qui non impediant.

In primâ quidem consideratione loquitur Sanctus Doctor de Christi consiliis secundùm se vel in abstracto consideratis. In secundâ verò tangit punctum quod hîc explicamus, & loquitur de Christi consiliis ab hac vel illâ personâ singulariter exequendis: & si quis discursum illius attentè consideret, satis intelliget hunc Theologorum Aquilam innuere, quòd, ut consilia Christi relinquantur, non sufficiat invenire circumstantiam aliquam generalem, hoc est, omnibus communem, quæ credatur impedire, qualis est infirmitas ordinaria spiritualis, de quâ particulariter agit: sed quòd invenire debeat aliquod *impedimentum speciale*, puta, infirmitas corporalis aut aliquid hujusmodi.

§. H. Ne quis verò decipiatur, existimans D. Thomam hîc asserere contrarium ei quod in præcedentibus ostendimus, quando spiritualem infirmitatem ait non impedire, quò minus aliquis consilia Christi sibi credere debeat esse convenientia, ubi nos ex Apostolo probavimus, consilium castitatis ob infirmitatem

Cap. 5.

mitatem ſpiritualem aliquibus non eſſe conveniens, advertendum eſt infirmitatem ſpiritualem eſſe duplicem: alia ſiquidem eſt *communis* ſive *naturalis*, alia verò eſt *vitioſa* ſive *particularis*.

Communem ſive *naturalem* illam appello, ſine quâ nullus hominum invenitur: & hæc eſt infirmitas illa, quam D. Thomas rectè docet non impedire, quo minus aliquis ſe praxi divinorum conſiliorum accingat: nam ſi talis infirmitas verum foret impedimentum executionis conſiliorum, vana prorſus & inutilia (quòd abſit) eſſent omnia Chriſti conſilia.

Vitioſam autem ſive *particularem infirmitatem* illam voco, quam aliquis in particulari proprio vitio contraxit. Et certum eſt hanc impedire praxim illius conſilii, cui vitium illud opponitur; quamdiu nimirum infirmitas illa perſeverat; quia ſi per actus contrarios illud vitium adeò ſuperatum ſit ac ſi non fuiſſet, particularitas etiam infirmitatis iſtius cenſetur abolita.

Ponamus v. g. perſonam aliquam integris moribus impudicitiæ vitium nunquam commiſiſſe, vel, ſi aliquando commiſerit, iam tamen, cum gra-

tiâ Dei, rursum illud extinxisse. Non potest hujusmodi persona suam infirmitatem allegare, tanquam impedimentum speciale, quò minus in castitate Domino famuletur: quoniam infirmitatem aliam non habet, quàm *communem*, quæ non est impedimentum speciale.

Quòd si verò ponamus aliam personam impudicitiæ vitiis irretitam, quæ recenter adhuc illius tentationi consensit, nemo prudens illi convenire dixerit apprehensionem bravii castitatis, de quo Christus ait: *Qui potest capere capiat*: quia videlicet non potest illud capere modò.

Math. 19.

Particulari verò diligentiâ notari debet hæc distinctio; quia non tantùm & illis, quæ dicta sunt, & quæ dicentur in posterum, intelligendis conducit: sed multum etiam luminis adfert in directione plurium animarum.

§. I. Illud porrò quid esse dicemus, quòd S. Doctor, impedimento speciali supposito, deliberationem cum his, de quibus speratur quòd prosint & non impediant, docet esse necessariam? Certum quippe videtur, impedimento tali

tali ſuppoſito, nullum debere ſupereſſe deliberationi locum: quia ſcilicet extra dubium videtur eo caſu conſilia non eſſe convenientia. Si non ſit opus deliberatione, quando clarum eſt impedimentum ſpeciale non ſubeſſe, cur, quando ſubeſſe creditur ad conſultationem eſt recurrendum, & quidem cum his qui non impediant.

Angelicè nimirum Sanctus Doctor advertit, homines, impedimenta ſpecialia ſubeſſe, nimis facilè ſibimetipſis perſuadere, & quæ tantùm apparentia ſunt, vera judicare, legitima credere: quia ſcilicet prudentia carnis in prudentiam ſpiritus ſe transfigurans, verum homini formare judicium in propriâ causâ non permittit: imò nec in alienâ communiter; quoniam *remiſſio diſcretio dicitur*. Unde recurſum ad eos tantùm oportet habere, qui veraciter in lege Domini meditantur die ac nocte.

Confirmat evidentiſſimè doctrinam hanc, id quod S. Bernardus, de lilio ſpirituali tractans, ait: *Vermes* (inquit) *truncum boni propoſiti corrumpentes, ſunt tentationes intrinſecæ, quæ tantò viciniores ſunt, quantò familiariores, ſæpè ſub omni ſpecie* Bern. de Paſſ. Domini cap. 23.

boni, bonum propositum corrumpentes. Est enim aliquis qui de bonæ cogitationis radice, boni propositi truncum emisit. Proponit omnia quæ mundi sunt relinquere, ut nudus Christum nudum sequatur: sed nascitur intrinsecus vermis pravæ suggestionis; dicens ita: Indotata tibi soror est, paupercula mater. &c. *Adduntur his vermibus alii vermes mortiferi.* Unde seriò monet Sanctus Abbas: *Omninò resistendum est his vermibus, omninò & sacrarum Scripturarum rationibus sunt evacuandæ.*

Sed quomodo, precor, his vermibus est resistendum? Imò quomodo cogitationes hujusmodi tanquam vermes debent haberi, cum certum sit, illi, cui mater est paupercula, statum Religiosum non convenire? Quia Doctoris Angelici dictamen est *quòd parentibus in necessitate existentibus, ita quòd eis commodè aliter quàm per obsequium filiorum subveniri non possit, non licet filiis, prætermisso parentum obsequio, Religionem intrare.* Hoc prudentiæ spiritus documentum est. Quì fit igitur quòd illam suggestionem, quæ matris paupertatem allegat ut aliquod impedimentum, vitiosam asserat D. Bernardus? An hoc non est *discretionis* dictamina

D. Thō. 2. 2. qu. 189. art. 6.

mina violare? Nequaquam certè: sciebat enim Religiosissimus Pater, in hoc puncto frequentissimè decipi plurimos, quòd eam, quam in parentibus vident, paupertatem, adeò magnam esse credant, ut Religionis ingressus eis non sit expediens.

Unde subnectit appositissimè præfatus Abbas: *Vermis, qui* INDISCRETE *adeò charitatem & misericordiæ compassionem persuadet, occidendus est unguento Dominicæ sententiæ: Si quis venit ad me & non odit patrem & matrem* &c. *non est me dignus.* Et hæc de primâ discretionis orthodoxæ regulâ, nimirum, *vivâ fide*, latiùs fortè quàm vera discretio requirit, sunt amplificata. Deum obtestor, ut per hanc meam insaniam saltem aliquam sanare possim animam.

§. L.

Quo-ad alteram *orthodoxæ discretionis* regulam, nimirum *obedientiam*, non est necessarium hîc multis agere: quia secundus liber abundantiùs illam explanat. Breviter igitur hîc observare sufficiet, quòd huic secundæ regulæ sit adeò tenaciter inhærendum, ut, licet aliquis arbitretur se per applicationem primæ regulæ certò videre talem, aut talem rem *divinæ voluntati* magis fore con-

conformem, eam tamen, aliud obedientiâ dictante, minus esse talem certo debeat credere: quoad illas nimirum actiones quæ sunt consilii, nam quoad alias quæ sunt præcepti quidnam sit statuendum posteà declarabitur: ubi patebit etiam non frustra Mellifluum Doctorem advertere, quòd, *in omnibus* DISCRETIONIS *spiritus optandus est & implorandus à Domino* (sine cujus beneficio singulari nullus eum habere potest) *ut ipso revelante sciamus, cui spiritui sit credendum, cui cordium nostrorum simplicium sit cogitatio revelanda, à quo salutis verbum audiendum: ne simplicitas nostra ab astuti serpentis fallaciâ capiatur, qui plerumque mala bonis, & falsa veris, erronea rectis admiscere consuevit.*

Lib. 2. c. 10. §. B. Bern. de Pass. Domini cap. 27.

CAPUT X.

Quoad scientiam divinæ voluntatis SECRETUM MAXIMUM.

§. A.

AD omnes illos qui *vincula cupiditatis* omnia diruperunt, ut in amore filiali Domino famulentur, hic sermo Christi, sicut olim ad Apostolos, dirigitur: *Iam non dicam vos servos, sed amicos meos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis.* Quem locum explanans glossa Lyrani dicit: *Hoc videmus in humanis* (quòd nimirum servus nesciat quid faciat Dominus ejus) SECRETA *tamen revelantur filiis: hujusmodi erant Apostoli, qui Christo erant subjecti amore filiali.* Joã. 15. v. 15.

Capite superiori duas *discretionis orthodoxæ* regulas explicavimus, ad intelligendum quænam actiones in particulari sint magis Deo gratæ sive perfectæ. Verùm quia videmus aliquos Sancto-

Sanctorum per actiones viliſſimas & infimæ conditionis, plus Deo placuiſſe, quàm fecerunt alii per actiones altiſſimas atque præclariſſimas, intelligere poſſumus, in actionibus ipſis aliquod latere *Secretum*, unde fiant primæ noviſſimæ & noviſſimæ primæ.

§. B. Audire deſideras *Hagiophile Secretum* iſtud? Audi priùs ubinam tam ſuave, quàm utile *Secretum* iſtud audiri ſoleat: Audi melliflua Divi Bernardi verba:

Bern. Epiſt. 107. *Cæterum tu ô chariſſime, huic voci Dei tui dulciori ſuper mel & favum ſi præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito & vacante interno ſenſu, dicas & tu cum Samuele: Loquere Domine, quia audit ſervus tuus: Vox hæc non ſonat in foro, ſed nec auditur in publico.* SECRETUM CONSILIUM, SECRETUM QUÆRIT AUDITUM. Audi quid ipſe Pater cœleſtis de loco doceat, ubi vult audiri; *Ducam* (inquit) *eam in* SOLITUDINEM *& loquar ad cor ejus.*

Poſſum quidem ad aures tuas *ſecreti maximi* ſonare verba, ſed niſi frequentare ſcholam volueris ubi loquitur ad cor Deus cordis, verba tantùm in ventum profero. Cordis igitur aures inquirens tam *Hagiophile* tibi, quàm cæte-

cæteris omnibus inclamo : *Qui habet aures audiendi audiat.* Audiat sanè quid cælestis Pater dicat singulis, qui conantur ipsius esse filii. §. C.

Præbe (ait) *fili mi* COR TUUM *mihi*. Q.D. Tu quicunque desideras non ut mancipium vel mercenarius, sed in verâ charitate, sicut filius, inservire mihi, memento semper, quòd non adeò requiram, ut facias actiones bonas, quàm ut quæ facis *benè* facias: eò quòd respicere magis soleam ad Abel, quàm ad munera eius, sive non tam quid homo faciat, quàm quid, dum aliquid facit, respiciat. Ose. 2. v. 14.

Unde possumus indubitatam hanc, in scientiâ *divinæ voluntatis*, MAXIMAM elicere, videlicet: Bonam, beneplacentem, imò perfectissimam *Dei voluntatem* esse, quòd, sicut ipse *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, sic & verus Christianus ad finem suum, qui Deus est, *interius* per amorem *fortiter* in quovis opere attingat, ejusque continuò majorem gloriam intendat: *exterius* autem opera sua, non anxiè, vel scrupulosè, sed *suaviter* disponat. Sap. 8. v. 1.

Explico me. Omnes actiones humanæ

næ duplex habent esse, *formale* scilicet ac *materiale*. *Materiale* dicitur ipsamet actio prout fit exterius; v. g. lectio, manducatio, carnis maceratio &c. *Formale* dicitur intentio, quæ latet interius, & ex quâ talis actio procedit: ex humano v. g. respectu, vel ex amore Dei, vel ex timore pœnarum, vel ut *divinam* impleat *voluntatem*.

§. D. Quia verò potest hoc remissiùs & intensiùs fieri, præcipuum ad quod præcipuè debet reflectere, qui nutui *divinæ voluntatis* se studet conformare, non est exterior actio, sed interior intentio: ut hæc videlicet adeò sit intensè bona, quàm sinit cujusque fragilitas. Hoc est, ut, quamvis negligere nequaquam debeat attentionem quoad ipsam actionis materiam, de materiali tamen ejus non tam debet esse sollicitus quàm de formali: nec tam scrupulosè vel anxiè trutinare *quid*, sed potius amorosè *quemadmodum* operetur.

Et hoc ob duplicem causam. Primò, quia principalis, imò ferè tota ratio bonitatis & perfectionis alicujus operis pendet ab intentione. Secundò, quia, cum sint limitatæ vires humanæ, qui multùm illas exerit quoad examen actio-

ctionum externarum, minus habere oterit pro ſtudio ſuarum intentionum. Ac proinde *voluntas Dei* requirit, ut lus reflectamus ſuper noſtras intenliones, quàm ſuper exteriores actiones: èò quòd hæ totam bonitatem ſuam (ut iam præfati ſumus) ab illis debeant mutuare; nec vitiari plerumque ſoleat ſubſtantia actionis, ſi vitium non fuerit intentionis.

Hoc eſt, quod nos Salvator docere voluit, quando dixit: *Si oculus tuus* (hoc eſt, intentio tua) *ſimplex fuerit*: *totum corpus lucidum* (hoc eſt, totum opus tuum bonum) *erit*. Ut igitur pura ſimplexque ſemper ſit intentio noſtra, nec aliud quàm amare Deum, illique ſoli placere, ſit ſtudium noſtrum, allaborare debemus, & omninò *fortiter* vires exerere. Quantum autem ad actiones noſtras exteriores attinet, non debet quidem nulla, ſed tamen poſterior & omninò *ſuavis* ac libera ſemper eſſe cura noſtra. Math. 6. v. 22.

Hinc elicitur doctrina mirabilis, nimirum, quòd in rebus etiam maximè dubiis alioquin, utrum ſint maioris perfectionis aut ſecus, quia ſcilicet nec obedientiæ determinationem, nec aliam §. E.

aliunde

aliunde certitudinem potest habere; sine dubitatione tamen possit aliquis resolvere, quænam maioris futuræ sint perfectionis: illæ scilicet (quæcunque tandem fuerint) quas cum intentione, quâ fieri potest optimâ, peraget.

Etenim cum dicat Apostolus: *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri* Iesu Christi facite. Et iterum: *Sive manducatis sive bibitis, sive quid aliud facitis*, omnia ad gloriam Dei facite: voluntatis divinæ beneplacitum ille maximè perfectissimeque videtur attingere, qui non tam ad hoc reflectit *quid* agat, utrum v.g. sit perfectius bibere vel non bibere, manducare, vel ieiunare, hoc vel illud facere: sed ut hoc quod facit, quantum fieri potest perfectissimè dirigat ad maiorem Dei gloriam, & operetur propter amorem amoris ipsius.

Col. 3. v. 17. 1. Cor. 10. v. 31.

Iam verò quia certum est hoc dictamen Apostoli esse *voluntatem Dei*, quænam sit *voluntas* eius, non cum dubiâ, sed cum conscientiâ certâ determinare possumus, etiam in rebus alioquin dubiis & incertis: de quibus videlicet nec per sacræ Scripturæ normam

nam, nec per obedientiæ regulam, quid à nobis *potior Dei voluntas* exigat, ſcire poſſemus.

Regnum Dei intra nos eſt. Et omnis gloria filiæ Regis ab intus. Non quod exteriores noſtras actiones non conſideret Deus, ſed hæc eſt exteriorum actionum conditio, quòd non tantùm ab internâ diſpoſitione valorem accipiant, ſed quòd ſecundùm illam quoque procedere ſoleant: Quia *non poteſt arbor bona malos fructus facere: nec arbor mala bonos fructus facere.* Math. 7 v. 18.

Dicitur, quòd, ſi quis amigdalo nomen aliquod inſcribat, deinde ſolerter includat cortici, taliterque plantet, omnes omninò fructus arboris illius idem nomen gerent inſcriptum. Eodem etiam modo ſi divinus Amor *voluntatem* ſuam inſculpſerit cordi noſtro, fructibus actionum noſtrarum eandem ineſſe perfectionem apparebit. Hinc eſt quòd prudenter Cœleſtis Sponſus ab Amatâ ſuâ primò petat: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*: quia facilè procedet inde quod poſteà ſequitur, *ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* *Vide Saleſ. Introd. part. 3. c. 23.* Cant. 8. v. 6.

Verumenimverò ne longiori fortè diſcurſu tenebras potius *ſecreto* noſtro, §. F.

quàm lumen adferamus, totum quod dixi, totum quod posse dici videtur, brevibus hisce verbis D. Augustinus includit: *Dilige, & fac quod vis.* Q. D. Necesse non est ut anxiè vel scrupulosè, quid foris agere debeas scruteris: prout tyrones plerumque faciendum existimant: debet hoc scrutinium cum magnâ fieri suavitate, cum magnâ libertate, cum magnâ securitate: quia nihil aliud requiritur, ut quis etiam perfectissimè Deo serviat, quàm ut eum sincerè fortiterque diligat. Ex hac enim cordis dilectione, talis solet operis prodire fructus, ut ille non possit aberrare à cumulo perfectionis. Quis unquam vidit ignem sine calore? Sic nec fervens veraque dilectio esse potest absque *divinæ voluntatis* executione. Et hæc executio tantò crescit ampliùs, quantò dilectionis intensio ferveſcit vehementiùs. Amor enim, Divo Gregorio teste, nunquam est otiosus: operatur enim magna, si est; si operari renuit, amor non est.

Non tantùm perfectionis initium, sed totum etiam illius augmentum, non secundùm actionum externarum debet attendi multiplicitatem, sed secundùm inter-

internam animæ charitatem : prout ex D. Thomâ pariter & Augustino didicimus. Unde quando monemur, ut, ca quæ retrò sunt obliti, ad anteriora nos extendamus, & semper in perfectione crescamus, semperque proficere studeamus, non hoc tam de externis actionibus, quàm cordis intentionibus debet intelligi: illæ siquidem limitibus debent discretionis arctari, hæ verò ad quandam, ut ita loquar, infinitatem aspirare. Sic ut de his non de illis à Sapiente sit dictum : *Iustorum semita quasi lux splendens crescit usque ad perfectam diem.* D. *Thom.* 2. 2. *qu.* 184. *a.* 1. *Aug. Tom.* 7. *lib.* 1. *de perf.* Prov. 3. 18.

§. 6. Quàm verò devient à veritatis agnitione, qui persuadent sibi, quòd eorum profectus quoad actiones exteriores debeat attendi, hoc argumento satis ostenditur. Supponamus te, cum novitius esses semel in hebdomadâ supererogatoriè consuetum fuisse jejunare: cùm professionem emisisses, unum adhuc diem superaddidisse: secundo posteà professionis anno diem alterum, & jam tum per 3. dies prolongasse jejunium. Anno deinde tertio tertium, quarto quartum, quinto quintum. Imò ne proficere desisteres, & jam dies fe-

riales in hebdomadâ, quos ſuperadda non inveniens, præter omnes jam dictos dies anno ſeptimo Dominicum etiam adjunxiſſe. Anno deinde ſequenti quid facies? Ipſum (fortaſsè reſpondebis) rigorem in modo jejunandi augebo; ſic ut qui primò tres in prandio ſumebam portiones, duas ſolummodò ſumam poſteà. Generosè profectò: nam ſi deinde velis unam adhuc minuere portionem, nec deſiſtere debes donec vivas in angelum, & nec vel cibum vel potum accipias.

Ecce quomodo falluntur illi, qui per hoc inquietantur, quòd exteriores ſuas auſteritates non augeant. Sciant ergo tales, proficere ſe quidem ſemper debere; ſed quòd profectus ille non tam attendi debeat quoad ea quæ faciunt exteriùs, quàm quoad charitatem interiorem, eò quòd in ſolâ charitate, Chriſtiana perfectio tota conſiſtat.

§. H. Porrò ne dum id extollo, ad quod præcipuè debet reflectere, qui *voluntatis divinæ conſilium* ſequi perfectiſſimè, quo-ad fieri poteſt, cupit in omnibus, nimirum charitatem, favere videar illis, qui mortificationes carnis exteriores, tanquam minus utiles, ſeponere conſue-

consueverunt, allegare mihi debere videor hîc illa Sancti Bernardi verba: me scilicet hæc nequaquam dicere, *quia exteriora negligenda sunt: aut qui se in illis non exercuerit mox spiritualis efficiatur: cum potius spiritualia (quamquam meliora) nisi per ista aut vix, aut nullatenus vel acquirantur vel obtineantur.* Bern. in Apol. ad Guilh. Abb.

Mysticos ergo carnales & plus æquo delicatulos, quibus non multum placere videtur illud Apostoli: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, qui cilicia, qui disciplinas & jejunia seponendo, cuticulam suam providè curant, & cordis puritatem ac mortificationem recantant sufficere, similes dico mysticos, quidnam D. Bernardus petat ab eis, & quid ipse respondeat, optarem expendere. *In habitu, inquis, non est religio, sed in corde* (ait præfatus Abbas) *At tu quando cucullam empturus lustras urbes*, ubinam melior sit pannus inquirens, *fora circuis* &c. *Rogo te ex corde hæc facis, an simpliciter? Ex cordis sine dubio thesauro procedit, quidquid foris apparet vitiosum.* 1. Cor. v. 27. Idē ubi suprà.

Fateor quidem in charitate cordis perfectionem consistere, non in exterioribus actionibus aut mortificationibus:

Sed si tamen inde sequi persuasum habeas æquè perfectum esse pretiosis indui vestibus ac cilicio, lautis indulgere conviviis & jejunare, paucula quædam & omnia sua pauperibus erogare, multum profectò deciperis: *Quia multum abest* (inquit S. Salesius) *ut charitas à virtutibus suas auferat excellentias & dignitates ipsis naturales, ut hoc ei potiùs è contra sit proprium, quod perfectiones illas quas invenit ad altiorem perfectionis gradum, elevet: unde quo majores invenit perfectiones, eò magis perficit illas. Sicut saccharum in confecturis aut condituris, ita fructus dulcedine suâ temperat & modificat, ut licet eos omnes reddat suaves, inæquales tamen illos reddat in sapore & suavitate, secundùm quòd inæqualiter sapidi sint à naturâ suâ: & nunquam mala persica vel nuces tantæ facit esse dulcedinis aut saporis, sicut armeniaca pruna.* Sic nimirum etiam charitas & intentio bona, licet non solùm jejunia, sed opipara quoque convivia, dum propter Deum Christianè fiunt, ei placere faciant, multò tamen excellentiùs ipsa jejunia.

Salesius de Amore Dei lib. 11. c. 5.

Etenim cum non sit possibile verum ac fervens amoris divini studium, animam non ad hoc inducere, ut sanctum quod-

quoddam sui corporis odium concipiat (non enim potest anima Deum amans eundem intueri pro se flagellatum, coronatum, irrisum, crucifixum, & delicata velle membra sub tam spinoso capite nutrire) in hoc studium diligenter incumbendum non cesso repetere: videtur enim de fornace cordis sui scintillas evomere S. Augustinus, quando scribit: *Dilige & fac quod vis.* Si quis adhuc in illis frigidus remaneat, vel in tanto lumine conqueratur quod *voluntatem divinam* non possit agnoscere, nolim ego cum hujusmodi verbis contendere, sed pro hujusmodi potius Deum obsecrare.

Intelligentibus jam satis dixisse videor: etenim quia non omnes capiunt verbum hoc, addamus ignes ignibus & lumina luminibus adjungamus: duasque Sanctorum doctrinas pro *voluntatis divinæ* scientiâ perutiles adhuc expendamus, Divi scilicet Bernardi ex Divi Salesii.

§. I.

Omni solis radio lucidior imprimis mihi videtur illa claritas, quam nobis in hac materiâ Clarævallensis Abbas affulgere facit, in illâ concione quâ docet: *Quomodo voluntas nostra*, DIVINÆ

næ voluntati *tripliciter subjici debeat.* Verba Sancti Patris sunt ista: *Quod certum est Deum* VELLE, *id nos velimus omninò: & quod certum est eum* NOLLE, *similiter execremur & nos. Quod autem incertum est, utrum* VELIT *aut* NOLIT (quoad opus externum videlicet) *neque velimus ex toto, neque penitus non velimus.*

Et post pauca: *Propterea rogo vos* (inquit) *fratres diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit, quod utilius possitis audire. Ubi certa est* Dei voluntas, *omninò nostra sequatur; in his videlicet de quibus certum aliquid in Scripturis invenimus, aut ipse Spiritus manifestè clamat in cordibus nostris, quid sentiendum sit, ut est charitas, castitas, obedientia: hæc approbemus indubitanter & appetamus, quæ placere Deo scimus indubitanter. Sed & ea omnimodè odisse debemus, de quibus certum est quod oderit ea Deus, ut est apostasia, fornicatio, iniquitas, impatientia. In his verò rebus in quibus nihil certi possumus invenire, nihil certum* voluntas *nostra definiat: pendeat inter utrumque, aut certè neutri parti nimis inhæreat, cogitans semper ne altera pars Deo magis placeat, & parati simus voluntatem ejus sequi in quamcumque partem eam noverimus inclinari.*

Ne-

Nemo super his quæ certa sunt hæsitet, nemo dubia pro certis admittat, nemo sibi in dubiis judicium vendicet, præcipitetve sententiam, & experiemur quod scriptum est: Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scandalum. Unde enim sunt scandala, unde turbatio, nisi quòd propriam sequimur voluntatem, & temerè quod volumus in corde nostro definientes, si quomodo id prohiberi contingat aut impediri, continuò etiam in impatientiam, in murmurationem, in scandala proni sumus: non attendentes quoniam omnia cooperantur in bonum his qui secundùm propositum vocati sunt sancti, & qui nobis casus videtur, sermo quidam Dei est, suam nobis indicans VOLUNTATEM. *At quicunque nihil certum de huiusmodi in corde posuerit, in quamcumque partem posteà convertatur, scandalizari non poterit.*

Hoc igitur modo quoad suavem externarum actionum dispositionem oportet procedere: quoad internam autem intentionem nihil aliud quàm fortiter diligere. Ne quis tamen advertens frequentem latis in suâ dilectione defectum, inde deficiat animo, reflectat ad ea quæ posteà subnectit idem S. Abbas. *Quòd dixi* (inquit) *voluntatem suam* DIVINÆ *subjiciat* VOLUNTATI,

TATI, *non de concupiscentiis desideriorum, non de affectionibus dico*; de semiplenis nimirum consensibus. *Illud enim impossibile est, dum adhuc in hoc peccati corpore, in hoc corpore mortis anima detinetur. Quid enim esset aliud quàm vita æterna, totâ affectione* DIVINAM *in omnibus sequi* VOLUNTATEM? *Sed consensum nostrum* (aliud enim de sensu ferri debet judicium) *necesse est* DIVINÆ *subjicere* VOLUNTATI.

Vide hoc libro c. 2.

Postquam deinde Sanctus Pater occasione sententiæ Vatis Regii, *Domine in lumine vultus tui ambulabunt*, dixisset, quòd *Alius ambulat in lumine vultus sui sollicitus facere suam voluntatem, & beneplacitum cordis sui considerans: alius ambulat in lumine vultus humani in eo semper intentus quod hominibus placeat*: Posteà subnectit: *Quantò benignior & dulcior est divina clementia quolibet homine, tantò suavius esse manifestum est jugum ejus cæteris omnibus. Propterea homines sibi aut aliis hominibus placere studentes, confusi sunt: sed qui in lumine vultus tui ambulant, Domine, id solum cogitantes quomodo tuam faciant* VOLUNTATEM, *ex toto corde contendentes placere tibi*, in nomine tuo exultabunt totâ die.

Ps. 88. v. 16.

Tam sunt suavia hæc Doctoris Melliflui

iflui documenta, ut ipsâ fruitione cre- §. L.
ſcat appetitus. Porrò cum dicatur:
Mel inveniſti? Comede quod ſufficit tibi, ne Prov.
fortè ſatiatus evomas illud, ad alium *divi-* 25. v.
næ voluntatis Magiſtrum; cujus etiam 16.
ſuper mel & favum dulciora ſolent
eloquia fluere, ad Sanctum, dico, Sa-
leſium accedamus. Hærere quidem non
licet, ut totam methodum illam ru-
minemus, quam ad cognoſcendam *vo-*
luntatem Dei ſuaviſſimè deducit: unam
tamen alteramve ſtillam, in tranſitu
quaſi, tantùm deguſtare, per quam,
ut oculi quondam Jonathæ, noſtri 1. Reg.
quoque lumen accipiant, piaculum non 14. v. 27.
erit.

Ad animarum illarum, quæ deſide-
rio fervent vehementiori ſemper id,
quod *voluntati divinæ* conformius eſt,
faciendi, tentationem amariſſimam,
quâ frequenter in actionibus, etiam
minutiſſimis anguſtiantur & inquietan-
tur, an hoc vel an potiùs illud ſit per-
fectius, eliminandam, perappoſitam
Author jam allegatus adducit ſimilitu-
dinem. *Pecunias minores al trutinam* (in- *Saleſ. de*
quit) *revocare non ſolemus, ſed tantùm* *Amor. Dei*
momenti majoris. Nimis foret pœnoſa negotia- *lib. 8. cap.*
tio, nimiumque temporis abſumeret, ſi pon- *ult.*
derandi

derandi essent v. g. solidi, asses puta nummi duorum crucigerorum, teruncij &c. Sic etiam non decent ponderari omnes istius generis minutulæ actiones, sintne videlicet illæ perfectiores quàm aliæ. Quin imò superstitiosum est sæpiùs hoc inquirere. Ad quid enim quæstionem movere, sitne melius in hac Ecclesiâ vel in illâ Missam audire? sitne melius nere vel suere? &c. Non benè Domino servitur si tantùm temporis impendatur in ejus, quid sit agendum consideratione, quantum in ipsâ actione. Attentio actioni debet esse proportionata, nec levia scrupulosè sunt ponderanda.

Prout narratur de quodam scrupuloso, qui, cùm domo deberet egredi, secum disputare cœpit, quemnam pedem extra januæ limen primò ponere perfectioni foret conformius: cumque jam dexterum extulisset statim eum retraxit, dicens, non ille, sed siniſter, debet præcedere: Cumque nec hoc jam satis perfectum ei videretur, eundem etiam retrahendum judicavit, & vix post longam discussionem resolvere potuit, quòd perfectius esset utrumque pedem simul extra januam saltando proferre. Quis hoc non rideat? Similiter illi procedunt qui hærent ad

singu-

singula, & tanquam si de reædificando Capitalio negotium ageretur ita de lanâ caprinâ deliberant. Tales autem minutias ita ponderando ad integram *spiritûs libertatem* nunquam pervenient. In illis quæ parvi sunt momenti, non anxiè sed bonâ semper fide, prout nos Salesius instruit, & omninò rotundè oportet procedere.

In illis autem quæ majoris sunt momenti, qualiter oportet agere, dum quis v. g. de status electione, de longinquâ peregrinatione, de *voti Seraphici* nuncupatione, deliberat? *Cum magnâ prorsus humilitate* (respondet Sanctus allegatus) *nec existimandum est, quòd quis examinis assiduitate, vel ingenii subtilitate* DEI VOLUNTATEM *inveniet. Sed postquam sancti Spiritus lumen petivimus, & per considerationem attentam illius beneplacitum inquisivimus, consilium etiam à directore, &, si fieri possit, à duobus adhuc vel tribus aliis personis spiritualibus postulavimus, oportet resolvere & in nomine Domini determinare; nec electionem nostram postmodum in dubium revocare: sed eandem cultivare & manutenere devotè, pacificè & constanter. Et licet difficultates, tentationes & successus varii, qui in progressu executionis propositi nostri* Idem ibid.

noſtri occurrunt, ſuſpicionem, nos in eligendo erraſſe, poſſent ingerere; non tamen oportet vacillare: ſed totum flocci facere, & conſiderare, quòd centuplo forſitan pejus ſucceſſiſſet, ſi contrarium elegiſſemus. Præſertim cum ignoremus, utrum nos Deus velit in conſolatione vel tribulatione, in pace vel bello exercere. Sanctè ſemel acceptâ reſolutione, de executionis ſanctitate nunquam oportet ambigere; hæc enim, niſi defuerimus ipſi, deeſſe non poteſt. Aliter agere magnum amoris proprii ſignum foret, vel puerilitatis, infirmitatis & nugacitatis ſpiritualis.

Sapientiſſimè profectò notavit hic Sanctus, quòd non ab eventu, reſolutionis bonitas ſit judicanda, eò quòd optima *Deique voluntati* maximè conformis reſolutio, infeliciſſimum quandoque videatur exitum ſortiri: prout apertè convincitur ex hoc, quod nemo non ſumnoperè laudet eam reſolutionem, quâ Sanctus Ludovicus Galliæ Rex de recuperandâ Jeroſolymorum poſſeſſione cogitavit; & tamen qualiter ei ſucceſſerit, ſatis ſciunt qui hiſtorias Eccleſiaſticas vel à limine ſalutarunt. Idem etiam ſæpè poteſt contingere quoad illos, qui Religionem intrant, quòd ſcilicet abſque dubio

bio *divinæ voluntatis* nutum in hoc ſe-
cuti fuerint, quamvis aliter, quàm
ſperabatur, eveniat.

CAPUT XI.

Quòd Deus *verè cupiat & deſideret, ut omnes ſemper faciant ea, quæ magis ei ſciunt accepta.*

§. A.

QUamvis hæc veritas, quam titulus exhibet, adeò clara ſit, ut longiori diſcurſu non egeat elucidari, eò quòd aſſerere contrarium apertam contradictionem involvat; quomodo enim Deus poteſt non velle quidpiam eorum quæ magis ei ſunt accepta, ſive quæ magis vult? nunquid hoc eſſet, non velle ſimul, & velle? Quia nihilominus attenta veritatis hujus conſideratio, mirificè confortare poteſt animam, ut, in arrepto de perfectio-

ne

ne majori propoſito, non deficiat, hinc obiter ſaltem hîc eam annotare conveniet.

Frequentiſſima ſunt divinæ Scripturæ loca, quibus edocemur omnes non tantùm facere taliter qualiter ea quæ *voluntati divinæ* ſunt conformia, ſed inſuper hæc ipſa perfectè diligenterque peragere. Sic apud Apoſtolum invenimus: *Obſecro vos fratres, per nomen Domini* Jesu Christi, *ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem* PERFECTI *in eodem ſenſu, & in eâdem ſententiâ.* Item S. Jacobus ait: ideò patientiæ occaſiones hominibus dari, *ut patientia virtutis ſtructuram perficiat, & ſint* PERFECTI, *& integri in* NULLO *deficientes.* Princeps etiam Apoſtolorum, *ſecundùm eum* (inquit) *qui vocavit vos ſanctum in omni converſatione* SANCTI *ſitis: quoniam ſcriptum eſt,* Sancti *eritis quoniam ego ſanctus ſum.* Imò Chriſtus ipſemet ore ſuo ſacroſancto, talem à nobis exigere dignatus eſt perfectionem, ut eâ nihil altius excogitari valeat. Dicit enim: *Eſtote* PERFECTI, SICUT *& Pater veſter cœleſtis perfectus eſt:* In quâ ſententiâ fatentur omnes illud, *ſicut*, non æqualitatem denotare, ſed imi-

1. Cor. 1. v. 10.

Iac. 1. v. 4.

1. Pet. 1. v. 15.

Math. 5. v. 48.

mitationem, sed similitudinem.

Quomodo posset Deus suam nobis apertiùs *voluntatem*, de sublimissimâ perfectione per nos inquirendâ, declarare, quàm tot totiesque repetitis exhortationibus nos excitando, nos invitando, monendo, compellendo? Quis dubitare poterit adhuc verum esse illud Apostoli: *Hæc est* VOLUNTAS DEI, *sanctificatio vestra.* Præsertim cum ex eodem Apostolo constet, omnem sacram Scripturam ad hunc collimare scopum, *ut* PERFECTUS *sit homo Dei & ad omne opus bonum instructus?* 1. Thess. 4. v. 3.

§. C.

Cum in ditione Dei cuncta sint posita, nec sit qui possit ipsius resistere *voluntati*, quomodo (replicabis) ergo fit, quòd tam exiguus eorum sit numerus, qui sanctificationis, hoc est, solidæ perfectionis studio veraciter incumbunt, & plures frequenter omittunt ea quæ Deo magis placere non dubitant? Ad hoc respondeo, *Dei voluntatem* quoad nostram sanctificationem non absolutam esse, vel, ut vocant, *beneplaciti*, quæ velimus nolimus suum sortitur effectum; sed *voluntatem* nihilominus verè desiderantem & exoptantem, quam vocare solemus *voluntatem*

ſigni, propterea quod abundè nobis Deus ſignificet hoc *voluntatem* ſuam à nobis expetere, non cogendo tamen libertatem arbitrii noſtri, ſed eam facultati ſuæ ſuaviſſimè relinquendo.

§. D.

Notatu digniſſimâ ſimilitudine rem declarat Sanctus Epiſcopus Genevenſis. *Quomodo genuinè magis* (inquit) *exprimi poteſt deſiderium quod habetur, ut amicus lautè reficiatur, quàm bonum opiparumque convivium præparando, prout faciebat Rex Evangelicæ parabolæ, poſtmodum invitando, urgendo, & quaſi cogendo precibus, exhortationibus, inſtantiis ut veniat, menſæ accumbat, epuletur? Ille profectò qui violenter amico aperiret os, cibumque gutturi ingereret, ac ita deglutire cogeret, non eum civiliter ut hominem tractaret, ſed velut belluam & caponem, quem impinguare contendimus.* Non ergo Deus ob hoc minus eſt credendus, totalem noſtram perfectionem, ad quam toties & tam ſuaviter nos invitat, deſiderare, quia voluntati noſtræ nullam infert violentiam: ſed potius non aliter illam deſiderare, quàm ſicut verum decet amicum.

Sales de Anno. Dei lib. 8. cap. 5.

Igiturne minus illi conabimur amici fieri, quia ſummæ nobiſcum amicitiæ leges implet, ut nos ſuos amicos

os faciat? Quid ad hoc fidelis anima? i tam est amans tui Creator tuus, ut on orationem solummodò tuam, sed tiam desiderium exaudiat, poterisne elinquere vacuum desiderium ipsius? præcipuè cum nihil desideret aliud, quàm quod expedit nobis; ipse siquiem bonorum nostrorum non eget: um nihil sitiat aliud, quàm sitim nostram, sitim videlicet illam, in quâ consistit beatitudo nostra, de quâ dictum est: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Math. 5. v. 6.

Etenim quem putamus sibi finem §. E. propositisse Unigenitum Dei Filium, quando carnem nostram assumpsit, & in hæc inferiora descendit? Nemo rectiùs, quàm ipsemet hoc docere nos poterit. Audiamus igitur. *Ego* (inquit) *veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*: illam nimirum vitam, quâ vivit anima nostra, quæ non est nisi in *voluntate* ejus. Ioan. 10. v. 10.

Et hic est finis, ad quem adeò respexit, ut nullos fines alios oculorum suorum aciem divertere permiserit. Non alium rursus quàm ipsummet testem adduco: *Ignem* (ait) *veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Non dicit Christus: Ignem veni mittere in Luc. 12. v. 49.

terram & volo ut accendatur: sed, *quid volo, nisi ut accendatur?* Quo significat se non tantùm hanc habere *voluntatem*; sed ita totam *voluntatem* suam in hoc absorberi, ut nihil omninò aliud intendat, nihil aliud velit, quàm ut in illâ terrâ cui dictum est: *Reverteris in terram de quâ sumptus es*, ignis divinæ charitatis non tantummodò suum habeat esse, verùm etiam, ut accendatur, hoc est, fervorem habeat & perfectionem: rectè siquidem Salesius ait, quòd, sicut charitas assimilatur igni, sic perfecta charitas sive devotio igni accenso.

Gen. 3. v. 19.

Salesius Introd. p. 1. c. 2.

§. F.

Sed qualem obsecro fervorem habere voluit Redemptor noster ignem illũ amoris? Eum tantoperè vult accendi, ut ipsi Seraphinorum fervori valeat assimulari. Quod ne fortè liberiùs à me dictum quis arbitretur, audiamus Abbatem Mellifluum, quid ipse declarans illud Isaiæ, *Duo* Seraphim *stabant*, instructionis adducat. Seraphim (inquit) *nomen est supernorum spirituum ordinis unius de novem summi atque supremi. Verùm hoc loco, ut arbitror, non in eâ ponitur significatione præsertim cum innumera illa sint agmina, hîc duo tantùm* Seraphim *describan-*

Bern. de verb. Isa. serm. 3.

ribantur. Et ego quidem, fratres, si licet n hac parte unicuique abundare in suo sen- u, in duobus SERAPHIM *duplicem arbitror ntelligi creaturam rationalem, Angelicam ilicet & humanam. Nec mireris hominem* ERAPHIM *factum, memento quia Creator & Dominus* SERAPHIM *factus est homo. Ad contumeliam tuam ô superbe, qui crea- us inter Angelos stare non meruisti, ecce Rex noster novos in terrâ Angelos fabrica- urus advenit: atque ut tabescas amplius, & ivore proprio torquearis, non qualescunque, nec inferioris ordinis, Angelos, sed* SERA- PHIM. *Audi enim quid ipse loquatur: Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid vo- lo, nisi ut* ACCENDATUR? *Vult ergo* SE- RAPHIM *fabricari, ut isti stent unde tu corruisti.*

Ecquis igitur hîc non exclamet cum Augustino: O ignis qui semper ardes, & nunquam extingueris accende me? Ecce cor meum Domine, ecce cor meum quod miseratus es in imo abyssi, incertum quidem an amet tè, sed tamen certum quod amet amare te. En itaque cor meum, quod meum non amplius esse vehementer exopto.

Eja totum comburatur
In favillam redigatur
Cor amoris ignibus.

Clama tu quicunque volueris adhuc, *discretio, discretio.* Alteri ego clamori aures præbere meas exopto, videlicet illi quem sonat hic ignis inclamans *affer. affer.* Imò potiùs orabo Deum, ut ipse valeas addiscere, quàm verum sit illud Sapientis: *Ignis nunquam dicit, sufficit.*

Prov. 30.v.16.

CA-

CAPUT XII.

Quòd nulli Christianorum *dicere liceat*: hoc vel illud consilii nolo facere, quia non obligor. *Et quomodo teneantur omnes habere verum propositum, hoc est, intentionem sive prætentionem faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius.*

§. A.

POstquam Seraphica Mater nostra Teresia doctissimam suam fassa fuisset ignorantiam, dicendo: *Nescio quid sit, quòd perfectionis viam inire multi ita reformident*: ad orationem se convertit, inquiens *Dominus Deus pro eâ quâ est bonitate, declarare nobis dignetur, quàm infida & noxia sit securitas in tam manifestis periculis, qualia sunt communem hominum*

Ter. in vitâ suâ cap. 35.

num consuetudinem in vivendo sequi: nec non etiam quomodo vera sinceraque securitas in hoc sita sit, ut annitamur insignem in viâ Domini progressum facere.

Quàm justam S. Mater N. Theresia causam habuerit affectuosum hoc suspirium ejaculandi, colligere possumus ex eo quod scribit alibi dicens: *Adeò nunc honorum & recreationum*, apud eas etiam personas quæ Deo se consecrarunt, *invaluit æstimatio, tamque parum quid obligationis habeant intelligitur, ut, faxit Deus, virtutis loco non habeant id quod reipsâ peccatum est. Tantam porrò difficultatem includit hoc eis persuadere, ut suam huic rei manum seriò admovere Dominum sit necesse.*

Ter. in vitâ suâ cap. 7.

§. B. Unde nihil minus exiguitati meæ video congruere, quàm ut in hoc meo conatu, quo nitor ostendere, quòd nemo non sit obligatus conversum habere semper vultum suæ voluntatis ad eminentissimum perfectionis illimitatæ fastigium, aliquam in stylo meo fiduciam reponat. Absit illud à me. Non hoc faciam: sed ad clementiam supérni Patris oculos elevando clamare non desistam: *Fiat* VOLUNTAS *tua sicut in cœlo & in terrâ.* Fiat, oro, fiat: & aperire

rire dignetur eorum corda, qui voces istas ingeminare non cessant, ut, quid orent, intelligant, &, non tantùm labiis Deum honorando, corde verò procul aberrando, reflectant, quomodo non possint veram simul habere voluntatem, ut fiat *voluntas Dei* sicut in cœlo & in terrâ, & simul aversum habere vultum voluntatis suæ ab aliquâ re quam *voluntati divinæ* magis intelligunt esse conformem : quomodo non possint illud, *fiat*, affectu sincero dicere, qui videntes hoc aut illud esse Deo gratius, nolunt ut hoc ipsum fiat, & respondere monentibus audent : *Non sum ad hoc obligatus, non teneor, illud mihi non est ad salutem necessarium, possum salvari sine eo*, vel aliquid hujusmodi.

Sufficit quidem ad salutem, quòd præcepta quis custodiat, si modò conetur etiam alia quæ videt esse Deo gratiora perficere, huic verò conatui si renuntiet, si dicat sibi præcepta sufficere, periculo deficiendi non exiguo semetipsum exponit, & parvam divinæ Majestatis æstimationem se habere, ut non dicam, aliqualem etiam contemptum, ostendit.

Non est inventionis meæ documentum

§. C. tum istud, sed ipsum ita docere S. Thomam inveniet ille, qui ponderare voluerit hoc ipsius prolatum: *Omnes tam Religiosi quàm sæculares* TENENTUR ALIQUALITER *facere quidquid boni possunt: Omnibus enim communiter dicitur Eccl.* 9. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare.* &c.

D. Thō. 2.2. qu. 186. art. 2. ad 2.

Ponderavit olim doctrinam hanc eminentissimus ille Purpuratorum Patrum Cajetanus, qui postquam dixisset in eis quæ sunt perfectionis tria reperiri, videlicet *executionem, intentionem, & contemptum*, ita loquitur.

Cajet. in locum præfat. D. Thō.

De EXECUTIONE *quidem tam interioris quàm exterioris profectus in hoc vel illo singulari actu seu opere occurrente, constat, quòd si omittatur, non propterea peccatum à quolibet omittente incurritur, ut clarè in litterâ dicitur. Unde non peccat etiam venialiter, qui potens dare eleemosynam, si occurrenti huic pauperi non dat, & sic de aliis, quia ad singulare hoc nullâ lege astringitur.*

De INTENTIONE *verò quâ quis intendit non proficere in charitate, aut bonis operibus; sed solùm præcepta divina servare communi modo, dicendum est, quòd hujusmodi intentio peccatum est: quia firmando quis animum contra spiritualem profectum, ponit,*

nit, quantùm in se est, obicem directè Spiritui sancto. Non est tamen peccatum mortale; quia intra limites præceptorum communi modo servandorum sistendo, salvatur dilectio Dei super omnia, & intentio progressus ad vitam æternam, ac per hoc & perfectissimæ charitatis tanquam finis. Charitas enim viæ maximè perficitur in ingressu Patriæ: & multorum bonorum operum tanquam mediorum necessariorum ad conservandam charitatem, & eundum ad Patriam.

DE CONTEMPTU *autem scito, quòd, ut Author in quæst. de veritate, qu. 15. art. 5. ad 2. dicit, non omnis contemptus facit peccatum mortale, sed solùm contemptus Dei. Et propterea si in proposito contemptus intervenit non præceptorum, sed consiliorum Dei, quoniam in ipsis contemnitur Deus consilians, sicut contemnendo præcepta contemnitur Deus præcipiens: Ideò peccatum mortale esset, ex contemptu consiliorum consilia aut profectum charitatis omittere. Intervenit autem talis contemptus, quando homo refugit subjici consiliis divinis, ut consiliis; & profectui charitatis, ut perfectiori viæ. Contemptus enim Dei est nolle subjici divinæ regulæ, quòd hîc manifestè acciderет. Si quis autem spiritualem profectum, & divina consilia, ut posteà à Deo ordinata reveretur: sed,* QUIA NON

EST

EST OBLIGATUS AD ILLA, & NON SUNT NECESSARIA AD SALUTEM; *non vult illa amplecti, & nihil curat de illis pro se: talis non contemnit Deum, sed potiùs operum executionem: ac per hoc non peccat mortaliter ex hujusmodi incuriâ deliberatâ, quæ* NON-NULLUS CONTEMPTUS EST, *omittendo intentionem & executionem profectûs spiritualis & operum quæ posset facere.*

Thom. à Iesu in Epilgo super Regulam nostram.

Ex hac doctrinâ rectè concludit Ven. P. N. Thomas à Jesu duo sequentia. Primò, quòd opera supererogationis, licet absolutè nullo modo sint sub præcepto; tamen contemptus ipsorum, ut absit, est sub præcepto. Deinde non habere intentionem contrariam ad illa, est sub præcepto: licet tantùm obliget ad veniale.

§. D.

Salesius de Am. Dei lib.8.c.8.

Adjungamus huic auctoritati aliam non minorem, Sancti nimirum Salesii, qui sic loquitur: *Verba quibus nos Dominus exhortatur, ut tendamus & prætendamus ad perfectionem, adeò nos urgent & impellunt, ut obligationem efformandi propositum hujusmodi vel intentionem nullo sanè modo dissimulare valeamus.* Horum autem verborum aliqua postquam citavit (& à me superiori capite citata lector inveniet)

veniet) vehementer instat, ostendens neminem esse justum, qui dicit: *Satis est.*

Deinde ponit omni dignissimam acceptione doctrinam hanc: *Non dico* (inquit) *esse peccatum non practicare consilia. Nequaquam* THEOTIME: *præcepti siquidem & consilii hæc est differentia propria, quòd præceptum nos obliget sub reatu peccati, & consilium nos invitet absque reatu peccati. Dico nihilominus grande peccatum esse contemnere prætensionem ad perfectionem Christianam, & magis adhuc invitationem contemnere, quâ nos Dominus ad illam vocat: quin imò non supportabilis impietas est consilia & media, quibus ad perfectionem tendendum Dominus ostendit, vilipendere. Hæresis est affirmare, non rectè nobis Dominum consuluisse; & blasphemia Deo dicere: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*

Notentur ea præcipuè quæ sequuntur. *Horribilis* (ait) *est irreverentia, adversus eum, qui tantâ cum charitate, tantâque cum suavitate vocat & invitat ad perfectionem, asserere: Nolo sanctus nolo perfectus esse, nec tuæ benevolentiæ particeps adhuc effici, nec sequi consilia, quæ mihi præbes*, Domine, *ut progressum in eâ faciam.*

Con-

Consiliorum praxim absque peccato quidem possumus omittere, propter affectum rebus aliis implicatum: sic v. g. licitum quidem est id quod habemus non vendere, nec pauperibus illud erogare, quia deest animus abnegationem adeò magnam exequendi: licitum est etiam inire matrimonium, quia mulierem amamus, vel quia deficiunt animæ vires prælium adversus carnem assumendi. Profiteri verò voluntatem non sequendi consilia, nec aliquod eorum, hoc absque contemptu illius, qui dedit illa, fieri non potest. Omittere consilium virginitatis, ut matrimonium ineatur, malum non est: sed inire matrimonium eo fine, ut matrimonium castitati præferatur, sicut hæretici faciunt, magnus est aut consultoris aut consilii contemptus.

Vinum bibere contra consilium medici, quando vel siti vel phantasiâ bibendi quis vincitur, propriè non est contemnere medicum vel ipsius consilium; dicere verò: nolo sequi consilium medici, certum est, ex opinione siniſtrâ, quàm de illo formamus, hoc provenire. Etenim quoad homines, illorum sæpè contemni potest consilium, absque eo quod contemnatur ille qui consilium dedit: existimare siquidem quòd erraverit homo, hoc non est eum contemnere. Quoad Deum verò, consilium ipsius abjicere vel contemnere, hoc pro-

provenire non potest, nisi ex opinione quâ non rectè consuluisse creditur, quod absque spiritu blasphemiæ cogitari non potest; quasi Deus vel satis non esset sapiens ad sciendum, vel non satis bonus ad volendum benè consulere.

Quò magis rumino sententiam illam Salesii, quâ indicat absque aliquali contemptu medici neminem posse dicere: *Nolo sequi consilium ipsius*, eò minus intelligere possum eos non aliqualiter etiam Deum contemnere, qui dicunt: *Nolo sequi consilium ipsius*, quia non sum obligatus, aut aliquid simile.

Ingenuè fateor me difficultatem invenire concipiendi, quomodo quis, dictante conscientiâ, persuasum habens hanc vel illam actionem hîc & nunc *voluntati divinæ* magis esse conformem, ab eâ deliberatè possit abstinere sine peccato. Si meo vellem abundare sensu, non dubitarem asseverare, quòd, licet absque peccato seponi possint consilia Christi, quando sincerè judicamus ea nobis non esse convenientia propter defectum virium aut propter aliquid simile, quando putamus v. g. matrimonium potiùs infirmitati nostræ congruere, quàm castitatem: attamen

§. E.

si conscientia clamet (uti non raro facit) se nullam habere legitimam dubitandi causam, non eligendi castitatem, sic ut persuasum habeat eam *voluntati divinæ* magis acceptam fore, vix aut non fieri possit quòd talis absque peccato matrimonium ineat.

Verumtamen quia nihil dicere propòsui, quod meum posset existimari, nihil aliud obsecro, quàm ut attentè consideretur, non esse consilium, sed præceptum, imò præceptorum omnium, ipsâ veritate perhibente, primum atque præcipuum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ, & ex totâ virtute tuâ.*

Mat. 12. v. 30.

§. F.

Quis, obsecro, præceptum hoc attentè ruminans affirmare dubitabit, non esse sufficiens abstinere ab adulteriis, furtis, homicidiis, & aliis à lege divinâ prohibitis, nisi super hæc omnia veras erga Deum amicitiæ partes studeamus explere, quibus illud præcipuè proprium est, ut ab amici voluntate conemur saltem nunquam recedere; sed quantum possumus allaboremus in illius gratiâ proficere, semperque magis ac magis illius benevolentiam promereri.

Du-

Dubitatne forsitan aliquis ? Hujusmodi rogarem ut verba magis apta vel urgentia proferat, quibus hoc possit imperari, quàm sunt illa quæ jam ex re Veritatis attulimus. Itaque si verba magis apta vel urgentia nequeant inveniri, quibus veras erga Deum amicitiæ partes jubemur explere, omninò attendum est nos obligatos veraciter esse non omittere conatum in omnibus *divinam voluntatem* adimplendi; sicut etiam nihil dicere quod omissionem hujusmodi conatus aliquo modo significet.

Etenim quòd amico flagitanti quidpiam, amicitiæ leges non sinant respondere: *Non sum ad hoc obligatus, ad hoc non teneor*, nemo tam cæcus est qui non videat. Unde si quid audiamus amicum exigere, cujus amicitiam nolumus abjicere, nunquam simile quid respondebimus; sed dicemus: libenter illud facerem, verùm habeo tale vel tale impedimentum: propter hoc vel illud non possem vel non auderem quod petit facere. Quis, obsecro, non offenderetur & quidem graviter, si rem petens exiguam ab amico, quam ille non tantùm sine damno proprio,

ſed etiam cum lucro poteſt facere, reſponſum acciperet: *Non ſum ad hoc obligatus*? Nonne tali reſponſo judicaret illum amicitiæ quodammodò velle renuntiare?

§. G. Tantam eſſe divinam clementiam non ignoro, quòd (ut nobilium plurimi facerent) propter hujuſmodi voces nec plumbeas iras gerat nec amicitiam reſcindat, & quòd etiam diſſimulare noverit etiamſi quis hîc & nunc omittat illud quod *æternæ voluntati* perſuaſum habet eſſe conformius: attamen ſi quis opinaretur eum, qui ſic operatur & avertit vultum ſuæ voluntatis ab eo quod perfectius eſt extra periculum deficiendi non eſſe, nollem ego ſic opinantem arguere. Si arguerem illum, arguere me crederem D. Thomam, dicentem: *Homo* DEBET *habere propoſitum ſe præparandi ad peccata venalia minuenda: alioquin eſſet ei periculum deficiendi* (notentur verba præſertim ſequentia) *cùm deſereret appetitum proficiendi.* Si hoc ipſo quo deſerit quis appetitum proficiendi, verſetur in periculo deficiendi, nonne perſpicuum eſt, eum extra periculum non eſſe qui ſcienter omittit illud, quod hîc & nunc intelligit eſſe Deo magis

D. Thō. part. 3. qu. 87. art. 1. ad 1.

acce-

.cceptum ? præcipuè cum, ſecundùm ſeceptiſſimam ejuſdem Sancti Doctoris ſententiam, non dentur actiones, quæ cum deliberatione fiunt, in individuo indifferentes. *D. Thom. 1. 2. qu. 18. art. 9.*

Et nihil certè frequentiùs Sanctorum nobis ſcripta reiterant, quàm quòd in viâ virtutis non poſſimus habere ſtatum, aut in eodem ſtatu permanere, ſed quòd omni tempore neceſſariò proficere debeamus vel deficere. Undę cum nemo dixerit, quòd hîc & nunc omittens quæ ſcit eſſe Deo gratiora, proficiat, errare mihi non poſſe videtur, qui perſuaſum habet, quòd deficiat. *Vide Bern. Epiſt. 253. Item. P. Alphonſ. in Max. pernic. Tom. 2. p. 2. diſc. 3. §. 2. D. Thō. Opuſc. 62.*

Non angelos, ſed homines olim inſtruens Doctor Angelicus, ita ſcripſit: *Diligentiam apponere* DEBEMUS, *ut ſingula opera noſtra, quantum unquam melius poſſumus faciamus, ex virtute Domini noſtri I. C. & cum omni deſiderio triumphantis & militantis Eccleſiæ & ſub nomine Creatoris: quaſi tota ſalus noſtra, & omnis laus Dei, & univerſitatis utilitas ex uno opere dependeat; quaſi nunquam ad id operis reverſuri, neque opus aliud poſtmodum incæpturi.* Prima verba primam omninò merentur attentionem, quòd non dicat ſcilicet, dili-

gentiam apponere bonum est, sed ūtatur verbo, *debemus*, indicans tam liberum esse neminem, ut eâ, quam ibi depingit, perfectione, operetur, quin se debitorem illius fateri compellatur.

§. H.

Si quis autem perpendere velit articulum in quo Divus Thomas inquirit: *Utrum perfectio consistat in præceptis, an in consiliis?* Ibi quoque docentem inveniet, quòd *dilectio Dei & proximi non cadit sub præcepto secundùm aliquam mensuram, ita quod id quod est plus sub consilio remaneat, ut patet ex ipsâ formâ præcepti, quæ perfectionem demonstrat, cùm dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo (totum enim & perfectum idem sunt) & cùm dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Unusquisque enim seipsum maximè diligit.*

D. Thō. 2.2. qu. 184.a.3.

Et hoc ideò est, quia finis præcepti charitas est, ut Apostolus dicit 1. Tim. 1. *In fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed solùm in his quæ sunt ad finem. Sicut medicus non adhibet mensuram quantum sanet, sed quanta medicina vel dieta utatur ad sanandum.*

Et hoc adeò quidem, ut in responsione ad 2. dicat: *Perfectio divinæ dilectionis universaliter cadit sub præcepto ita*

quòd

quòd etiam perfectio Patriæ non excludatur ab illo præcepto.

Non parum etiam D. Auguſtinus huic intento favet, cum de præfatis iam præceptis docet; aptiſſimè nobis per illa mandari cœleſtem perfectionem: non ut eam actu poſſideamus, ſed ut ad illam aſſequendam ſeriò tendamus: prout in ipſo Tractatus principio fuit explicatum. *Aug. lib. de perf. juſt. Tom. 7. ante medium.*

Unde ſcribit idem alibi: *Quæcunque mandat Deus, ex quibus unum eſt: Non mœchaberis; & quæcunque non jubentur, ſed ſpeciali conſilio monentur, ex quibus unum eſt: Bonum eſt homini mulierem non tangere; tunc rectè fiunt, cùm diriguntur ad diligendum Deum & proximum propter Deum, & in hoc ſæculo & in futuro.* Aug. in Enchrid. cap. 121.

Debent etiam illi qui matrimonium eligunt, ipſam hanc electionem ad diligendum Deum, hoc eſt, ad *voluntatem* ipſius implendam, dirigere; ſive quia credunt non eſſe *Dei voluntatem*, ut in caſtitate permaneant; quàm virtutem abjicere non vellent, ſi perſuaſum haberent eam, in *voluntate divinâ*, ſuo ſtatui ſive conditioni congruere: ſic ut ſeponentes caſtitatem, caſtitatis amorem non deponant.

§. I. Salesius de Am. Dei lib. 8. c. 9.

Licet omnia consilia nec valeant (inquit Salesius) *nec debeant practicari ab unoquoque Christiano in particulari, unusquisque tamen illa tenetur omnia diligere, quoniam omnia sunt optima.* Quod hac similitudine congruenter evincit. *Si annulus tuo non quadret digito, an in lutum propterea projicies illum?* Hinc ita concludit: *Itaque lauda* Theotime *tenerrimoque cordis affectu dilige nulla-non consilia quæ Deus dedit hominibus.*

Et post pauca: *Gaudeamus* (inquit) *ô* Theotime *quando personas aliquas consiliorum praxi se consecrare videbimus, quæ nos vel non valemus vel non debemus observare. Oremus pro ipsis, benedicamus illis, faveamus illis, adjuvemus illas. Quia charitas urget, ut non amemus tantùm id quod nobis expedit, sed etiam ut amemus id quod expedit proximo. Consiliorum universorum amorem nostrum sufficienter ostendemus, illa devotè practicando quæ nobis sunt convenientia.*

Vide offic. Rom. Sancti Salesi.

Hæc Sedis Apostolicæ calculo solidissima perfectionis documenta, perpendere diligentiùs optarem illos, qui vel alios à consiliorum praxi retrahunt, vel ab eâdem praxi videntur fugere, dicentes: *Non sumus ad eam obligati.* Cogitent & recogitent, an per has & alias simi-

ãmiles tepiditatis oſcitationes, ſufficienter amorem divinorum conſiliorum oſtendant.

Diebus ferialibus omittere Sacrum, quando quis occupatur in aliis, etiam non neceſſariis, certum eſt quòd ſecundùm ſe non ſit peccatum: verùm illud omittere, quando quis impedimentum nullum habens admonetur aut interius à Deo, aut exterius ab homine, cogitando, vel dicendo, quòd non ſit obligatus, quòd ſufficiat illi diebus feſtis & Dominicis intereſſe Sacro, licet fortè non ſit peccatum, quando fit hoc ſemel aut iterum; per conſuetudinem tamen & non tam ex infirmitate, quàm de induſtriâ ſic monentibus adverſari, valdè periculoſum eſſe non dubito.

§. L.

Idem etiam, & jure potiori, locum habet, quando quis in electione ſtatûs omittit illud quod conſcientia clamat illius ſaluti, *divinæque voluntati* fore conformius. Imò Rev. P. Henricus Engelgrave Soc. Jeſu probat expreſsè, quòd negligere vel differre vocationem ad aliquam Religionem, ſit *certiſſimum ſignum reprobationis.* Inter cætera verò profert exemplum ex Reverendo P.

Nicolao Lancicio, quod, quia propoſito meo valdè cõducit, hîc omittere nõ valeo.

Engel. lux Evang. Part. 2. Dom. 4. poſt Paſcha.

„ Habui (inquit ſupradictus Author) „ Romæ circa annum Domini 1602 „ nepotem Patriarchæ cujuſdam, con- „ victorem in Seminario Romano, „ præclaro ingenio, & omnibus natu- „ ræ dotibus eximiè ornatum, 18 an- „ nos natum: is cum petiiſſet à me, „ ut eum ſpiritualibus exercitiis Sancti „ Ignatii excolerem, eaque feciſſet piè „ & diligenter: ac in eorum fine, con- „ feſſionem generalem totius vitæ pul- „ cherrimè & ſinceriſſimè coram me „ inſtituiſſet; antequam ei darem ab- „ ſolutionem, petiit à me: an eſſet pec- „ catum, non exequi Dei vocationem, „ aliquem ad Religionem evocantis? „ Sciebam quò collimaret talis interro- „ gatio (dictum enim mihi erat, eum „ à Deo ad Societatem noſtram voca- „ ri) ideò, nullâ factâ hujus mentio- „ ne, cautè illi ſic reſpondi: poſſe qui- „ dem ſine peccato, vocationem ad ſta- „ tum Religioſum non mandari exe- „ cutioni, quia merum Dei conſilium „ eſt, & non præceptum, ſed multos „ damnari ob id quod non executi ſint „ talem vocationem; non quidem ob eam

„ eam neglectam, ſed ob peccata mor-
„ talia in quibus tales morituros Deus
„ præviderat, ſi in ſæculo morerentur:
„ & ideò ne in iis morerentur, ſed ſal-
„ varentur, volebat Deus eos abſtra-
„ here ab occaſionibus proximis talium
„ peccatorum, & ab ipſis peccatis, ac
„ proinde ad ſtatum Religioſum, in
„ quo forent ab iis præſervati, vocabat.
„ Et ita huic Adoleſcenti contigit: nam
„ paulò poſt, relictis in Collegio Ro-
„ mano ſtudiis, Juris-prudentiæ datu-
„ rus operam: ubi (uti quotidie con-
„ tingere ſolet) rarò ad confeſſionem
„ & communionem accedens; ſociis
„ impura loquentibus & liberè viven-
„ tibus ſe adjungens, libros laſcivos le-
„ gens, & quæ inde ſequi ſolent pec-
„ cata committens, tandem cujuſdam
„ fæminæ amore captus eſt: ad quam
„ eo inſcio alter ſocius natu major,
„ turpis commercii cauſa venire ſolebat.
„ Igitur dum quadam vice, hic Ado-
„ leſcens inventus eſſet in domo illius
„ fæminæ à natu majore, is mortem
„ ei minatus eſt, ſi amplius ad illam
„ rediret. Contempſit ille minas, & ra-
„ tus alterum non ſolere horis intem-
„ peſtivis ad illam accedere, ipſe nocte

„ intem-

„ intempestâ (quando nullum putabat „ esse in domo illius fœminæ) eò se „ contulit lucente lunâ: sed cùm esset „ in medio itinere prope Collegium, & „ sub ipsis fenestris, occurrit ille alter „ & videns hunc ad illius fœminæ do- „ mum euntem, à se vetitam, evagi- „ nato pugione statim eum confodit. „ Confossus miser, & in terram deje- „ ctus, altâ voce inclamavit Confes- „ sarium; sed antequam Confessarius „ accurreret, infelicem animam jam „ exhalarat. Atque in seipso ostendit „ terribile illud reprobationis certæ de- cretum Proverb. 1. *Vocavi & renuistis: & despexistis: Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis evenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit. Tunc invocabunt me, & non exaudiam, eò quòd exosam habuerint disciplinam* (statûs melioris) *& timorem Domini non susceperint* (malè vivendo in statu sæculari) *nec acquieverint consilio meo.*

Ioan. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*: inquit Salvator. Unde qui vocante Domino suis inspirationibus ad hæc vel illa perfectionis opera, aures obturatas habere non curant, & dissimulant cogitando

ando quòd ſufficit eis adimplere quæ præcepta ſunt, & non attendunt ad præceptum illud præceptorum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, habent certè quod timeant, ne ſeparentur ab ovibus in die noviſſimo, & experiantur non fruſtra dictum ab Auguſtino: *Ubi tibi placuiſti, ibi remansiſti. Si autem dixeris*, SUFFICIT, *& periſti.* Auguſt. Tom. 10 ſerm. 15. de verb. Apoſt.

CAPUT XIII.

Quòd nemo Chriſtianus *rectè dicatur niſi qui conatur amare* crucem *& niſi qui* Chriſto *moribus, prout valet, coæquatur.*

§. A.

COram Chriſto crucifixo, qui poſitus eſt in ſignum cui contradicitur à multis, & quod dolendum magis eſt, etiam à Chriſtianis, attentè conſideremus, an ſecurâ ſalutis viâ procedat, & nomini Chriſtiano, multoque magis Religioſo nihil indignum faciat,

faciat, qui propositum format hujusmodi: Cum ad salutem sufficiat, ut Deus appretiativè super omnia diligatur & hæc dilectio tam diu perseverare censeatur quamdiu mandata non violantur, à furtis, ab adulteriis, & homicidiis atque votorum infractionibus, aliisque similibus in lege prohibitis me cavebo, de cætero, quantum, his manentibus integris, in divitiis, in honoribus, in voluptatibus, omni vitâ meâ potero, proficere studebo. Nihil quidem supra Deum vel æqualiter amabo, sed tamen cum non sit illicitum plura cum eo diligere, dummodò caveatur à supradictis, sat mihi fore credam, si ultimum in cœlo locum obtineam.

Hujusmodi propositum si reprobare voluero, vix ullos hanc resolutionem approbaturos existimo: Verùm quia docentem audio S. Hilarium, & dicentem: *Constanter Dei ingerenda cognitio est, & profundum doctrinæ Evangelicæ secretum in lumine prædicationis Apostolicæ revelandum; non timentes eos, quibus cum sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est.* Quia promittentem audio Christum: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confi-*

Hilar. in Math. cap. 10.

Mat. 10. v. 32.

confitebor & ego eum coram Patre meo: dicam sanè dicam quod sentio, præsumptuosus fortè dicar aut indiscretus, sed tamen verum dicam: Aut reprobare debemus hujusmodi propositum, aut reprobare debemus Christianismum.

§. B. Si cui Christianorum hæc doctrina minus arrideat, edifferat ille, precor, an inficiari præsumat, quòd inter præcipuas novi testamenti gratias illa numerari soleat, quod illud nobis ostendat non terrena quærere, sicut antiquum olim Judæis, sed generosè contemnere? Christianismus Judaismum non superat in hoc quod instruat non occidere, non mæchari, vota non violare, vel aliquid hujusmodi: nam hæc Judæis etiam præcepta fuerunt; nec ut illa doceret Christus in hæc inferiora descendit, sed ut contemptum mundi in universo mundo, persuaderet.

Utinam arrectis auribus audire vellent aliqui Doctorem Angelicum, contra pestiferam sui temporis (utinam non & nostri) doctrinam laxiorem intrepidè detonantem & suum his verbis quendam librum auspicantem. CHRISTIANÆ RELIGIONIS PROPOSITUM *in hoc præcipuè videtur consistere, ut à terrenis homines* D. Th. Opusc. 17.

homines abstrahat, & spiritualibus faciat esse intentos. Hinc est quòd Auctor fidei & consummator Jesus *in hunc mundum veniens sæcularium rerum* CONTEMPTUM *& facto & verbo suis fidelibus demonstravit. Facto quidem, quia, sicut dicit Augustinus: Omnia terrena bona* CONTEMPSIT *homo factus Dominus* Iesus, *ut* CONTEMNENDA *monstraret: & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat: ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de matre, quæ fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis extinxit. Pauper factus est cujus omnia &c. Hoc idem verbis ostendit: nam in sua prædicationis exordio, non aliqua regna terrena, sed regnum cœlorum pœnitentibus repromisit, discipulis primam* BEATITUDINEM IN PAUPERTATE *ostendit.*

Aureo quondam stylo veritatem eandem à D. Chrysostomo reperimus depictam, qui novi Testamenti cultoribus longè perfectius propositum quàm veteris convenire sic ostendit: *Lex vetus delicias non prohibebat, neque aliis frui supervacuis dicebat vanum. Nos verò ad majorem vocati vitam & ad excellentius fastigium ascendimus, & in majoribus exercemur palæstris: & quid aliud quàm quòd, sicut*

Chry. Tom. 5. Serm. contra concubinar.

ut ſuperna virtutes intellectuales & incorpo-
ea illæ, vitam inſtituere jubemur. Unde
S. Bernardus irridet illos qui divitia-
rum poſſeſſionem per exempla San-
ctorum Antiqui Teſtamenti conantur
ut meliorem aſtruere, vocans eos, *San-*
ctorum veterum novos imitatores.

Si non occidentes, non adulteran-
tes accumulandis inhiamus divitiis, ho-
noribus, voluptatibus, quid nobis erit
amplius quàm Iudæis, imò quàm gen-
tilibus, inter quos fuiſſe non-nullos
ſcimus, qui viderunt in ſuis etiam te-
nebris contemnendas eſſe voluptates,
divitias, honores & hos ipſos etiam
contempſerunt? Sed in hoc errabant,
quòd de ipſo vanæ gloriæ contemptu
vaniùs gloriabantur: illi verò qui Chri-
ſtianas *Maximas* & dictamina ſequi vo-
lunt, ad ipſum uſque fundum appe-
titum gloriæ debent in ſemetipſis exi-
nanire.

Sic debet quidem fieri: ſed quid fit? §. C.
Inter Chriſtianos iidem ſunt errores
(inquit Ven. P. N. Thomas à Ieſu)
ſicut inter gentiles, non aliter quàm ſi
fides Chriſtiana non foret. Fuitne in-
ter gentiles Romanos major olim am-
bitio, quàm modò viget inter Chriſtia-
nos,

P. Thom. de vivâ fide lib. 1. cap. 10.

nos. Minorne reperitur divitiarum & voluptatum appetitus nunc inter eos, quàm olim inter Epicureos? Blandiantur illi sibi quantum voluerint, quòd post hujus vitæ quæsitas delicias, ad æterna gaudia poterunt transmeare: ego credo non frustra Salvatorem dixisse:

Math. 7. v. 14. *Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniunt eam!* quia reverà pauci sunt, qui pati quærunt cum Christo nunc, ut postmodum glorificentur cum eo.

Bern. in declam. *Fortè aliqui dicant* (inquit S. Bernardus) *Quid peccamus? nostris utimur facultatibus, à rapinis & latrociniis abstinemus.* Quibus ita respondet: *Ego sanè divitem illum cujus Salvator meminit in Evangelio in nullo horum audio accusari. Induebatur purpurâ & bysso, quotidie epulabatur splendidè. Si crudelitatis arguitur quòd substantiam mundi habens & videns fratrem suum egere, clauserit viscera sua ab eo: Quando hæc diviti deest? Quantos & ipsi videtis Lazaros esurientes, nudos, ægrotos, & plus de jumentis vestris, plus de eorum phaleris, quàm de istorum miseriis cogitatis. Sed ad tremendum Abrahæ judicium veniamus. Non enim Abrahæ, sed Dei sententia est. Memento, inquit, fili, quòd recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus simili-*

militer mala. Verum utrumque est, non potest omninò negari. Per sententiam, quia paucis expressa summa negotii est. Ille bona, & iste mala recepit. Quid modò? Nunc autem, inquit, hic consolatur, tu verò cruciaris. Expergiscimini ebrii & flete: Terribilis enim Deus in judiciis super filios hominum. Hæccine cruciatuum causa tota, quòd in hoc sæculo bona recepit? Ipsa planè. Neque enim ad hoc nos de paradiso voluptatis animadversio divina ejecisse videtur, ut alterum sibi hîc paradisum adinventio humana pararet. Ita Bernardus: qui vehementer etiam suo pungit aculeo *discretos* illos qui secundùm carnem sciunt in omnibus reprobare malum & eligere bonum.

Hanc verò *discretionem* cum nobis non cessent occinere plurimi, quid faciemus? Aurefne præbebimus illis? §. D. Absit: quia per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux divinæ claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.

Unde Ven. Pater N. Ioannes à Cruce filio cuidam suo spirituali, cui moderationem austeritatis aliqui persuadere conabantur, ita quondam scripsisse legitur: *Si unquam, charissime frater,*

Vide vitam ipsius præfixam operibus.

persuadere tibi quis annitatur (sive Prælatus ille sit sive non) doctrinam quæ laxitatem redoleat, etiamsi miraculis eam confirmet, noli credere: neque sectaris, nisi profectum pœnitentiæ & abnegationis in omnibus rebus. Et nunquam, si tendis ad hoc ut Christum possideas, eum quæras sine Cruce.

Sed ob quam, oro causam universalis abnegationis tantoperè necessitatem æstimat Venerabilis Pater? Ipsum audiamus. *Quisquis aliam rem cum Deo cupit amare, is absque dubio parvi Deum facit: in staterâ siquidem appendit cum Deo, quod ab illo summam habet distantiam.*

V. P. Ioan. à Cruce lib. 1. c. 5. §. E.

Non quidem Deum contemnit, qui magis eum quàm creaturas omnes appretiativè diligit: sic ut in illius cordis staterâ Deus absolutè præponderet, omnibusque malit creaturis exui, quàm Creatorem offendere: prout sæcularium animæ, Deum timentium, solent esse constitutæ.

Longiùs præterea recedit à contemptu Numinis ille, qui sic in corde suo creaturæ cuilibet Creatorem præponit, ut multas etiam, quibus frui licebat, delicias abjiciat, eò quòd vanitatem earum vix dignam existimet ad stateram seu comparationem adduci, &

pro-

propterea vanitatibus illis sæculi, quibus impeditur tota vita hominis, ne feratur in Deum, laudabiliter abrenunciat; vovendo nimirum obedientiam, castitatē, & paupertatē secundùm aliquā Regulam, prout faciunt Religiosi.

Verùm si licitis adhuc rebus cor adhæresçat, sic ut propter illarum amorem ad omnimodā perfectionem se resolvere timeant, tales profectò nondum vacant & vident, quoniam suavis est Dominus. Quin imò si in hac adhæresçentiâ sibi complaceant, ita scilicet ut non sit eis curæ paulatim adhæresçentiam hanc diminuere, quatenus aliquando valeant, abjectâ statērâ, nihil in corde suo cum Deo comparare, vel appendere, nihilque cum Deo diligere, quod non in Deo & propter Deum diligatur; primò quidem rem faciunt sibi valdè periculosam: quia nimirum non raro videmus quòd in corde similium, creaturis aliquod paulatim pondus accresçat, sic ut succesſu temporis vix etiam Deus præponderet ac appretiativè magis diligatur, ac tandem etiam infeliciſſimè postponatur.

Deinde rem faciunt Christiano statui satis indecoram, cujus excellentia

præcipuè consistit in hoc, quod calcatis honoribus, divitiis, voluptatibus, in solo sui Creatoris desiderio inardescat: ita videlicet ut nomine Christiano sit indignus qui non aliquo saltem modo, pro suo posse, conatur ad plenum atque perfectum universæ creaturę contemptum pervenire.

§. F. Et hujus quidem veritatis indubitatam fidem astruunt illa, quæ capite superiori consideravimus, ad intelligendum, quomodo lex charitatis & gratiæ cunctos obliget, ut vultum & non dorsum suæ voluntatis ad eminentissimam perfectionem habeant conversum; & qualiter omnes omninò Christiani sint obligati, non quidem practicare, sed amare tamen omnia Christi consilia, sive cursum & intentionem suam ad charitatis apicem dirigere. Ex hoc autem manifestè sequitur id quod hîc ostendere nitimur: quia videlicet consilia Christi non suadent nobis accumulare divitias, aut honores, aut voluptates; sed hæc omnia contemnere. Unde si non sufficiat homini Christiano cavere furta, rapinas, adulteria & omnia quæ mandatis prohibentur, sed necessarium est insuper ut

ut pro viribus ſuis perfectam conſiliorum obſervantiam habeat in affectu, & ita facere prætendat, licet necdum faciat *voluntatem Patris* in terrâ, *ſicut* angeli faciunt in cœlo, Chriſtianus verè dici poteſt nemo, qui ſibi complacet in amore vanitatum etiam licitarum, ſed quæ tamen contemni docentur à Chriſto.

Præcipuum hunc & ſanguineis deplorandum lachrymis, nec non etiam frequentiſſimum inter fideles errorem eſſe modò conſpicimus, quòd bonam eos credant viam incedere, qui peccata fugiunt, quamvis de cætero quantum poſſunt accumulare divitias, honores, voluptates, intendant. Unde magnam conſcientiæ puritatem ſe plures autumant ſectari, cùm frequenter inquirunt: *Eſtne hoc vel illud peccatum? Eſtne licitum hoc aut illud facere? Nunquid eſt probabile quòd actus ille non ſit vitioſus?* &c. Quaſi forent inclinati quidquid ſine peccato poteſt fieri, quidquid non eſt improbabile, carnis appetitui nunquam non indulgere.

O quàm ſollicitum eſt hoc modò ſæculum noſtrum in probabilitatibus novis adinveniendis, in arctâ cœli viâ

ſpatioſiſſimè dilatandâ, in conſcientiæ caſibus amori corporis accommodandis. Verè ſic multi tractant conſcientiæ caſus, ut non aliud quàm puros caſus, quàm ruinas animarum, quàm viam, viæ ſalutis directè contrariam, doceant. Recta ſiquidem ſalutis via requirit, ut, licet in eâ remiſsè forſitan ambulemus, ad Crucem tamen vultum & non dorſum animæ noſtræ convertamus, allaborando nimirum fieri conformes imagini Redemptoris Crucifixi, quantum poſſumus: amandus quippe Deus eſt ex omnibus viribus. Heu! quàm exiguus eorum eſt numerus, qui rectam hanc viam ambulant; & quàm ſuperant numerum, qui viam rectè contrariam ineunt, dorſum habentes ad Crucem, & quantum poſſunt fugientes ea, quæ carni minus placent, vultum autem ad ea quæ carni ſunt magis accepta?

Tanquam durum nimis à pleriſque video rejici, frequenter inculcatum à D. Chryſoſtomo documentum, perhibente, vix ullas Chriſtianorum animas ad ſalutis metam pertingere: quia videlicet ab ipſis quoque teneris unguiculis inſtruuntur parvuli, doctri-

nam

nam Christi, quæ non aliud quàm Crucem clamat, violare, dorsum Cruci, mundo vultum ostendere. *Veluti deditâ operâ liberos vestros perdere curetis* (inquit) *ita universa facere jubetis, quæ qui faciunt salvi esse non possunt. Id si placet parum altiùs consideremus. Cœlestibus Evangelium vocibus intonans; væ, inquit, ridentibus: vos illis quotidie innumeras risus occasiones præbetis. Væ divitibus: vos contra ut illi pecuniosissimi fiant universa molimini. Qui amat, inquit Christus, animam suam perdet eam: vos ad hujusmodi amorem semper hortamini.* Chrys. lib. 3. cõtra oppug. vitę monast.

Etenim si ab illo tempore verum fuit, quòd *hæc pestis indies procedit, augetur, insanit, & quæ supra fuerunt infra fecit*, uti scriptum ab eodem sanctissimo Præsule reperimus, in quonam obsecro statu res nostras hodie positas esse credimus? Ubi nunc est ille rerum terrenarum, honoris, possessionum, voluptatum contemptus, quem nos è cathedrâ S. Crucis Christus edocuit, quem tanta discipulorum frequentia tam accuratè didicit? Evanescit indies hoc studium salutare: ac illius vice jam studemus in multiplicandis probabilitatibus carni faventibus: adeò ut notatum Idem ibid.

Mercor. Basis Theol. Moral. part. 3. art. 5.

sit à R. P. Julio Mercorio Ord. Prædicatorum, Inquisitore Mantuano, quadraginta vel quinquaginta ab hinc „annis plures quàm centum opiniones „laxas anteà singulares factas esse com„munes; & illas oppositas communes „ut antiquatas nunc communiter reji„ci: Nec invenies toto (inquit) hoc „tempore unam laxam anteà commu„nem esse antiquatam, oppositamque „rigidam factam esse communem. Unde magis indies ac magis verificari posse videtur illud olim dictum Oris aurei: *Ex hoc jam necessariò quasi* LICITE PECCAMUS.

Nimis pretiosa sunt doctoris hujus documenta, ut exiguis adeò verbulis exsatiemur. Qui verum in Deo gaudium quærunt, oneroſum non judicabunt hoc ejus lamentum: *Lugendum est & verè lugendum: sic enim omnia confusa, sic sunt cuncta resoluta, ut ne vestigium quidem virtutis usquam videas: &, quod est infœlicius, perurgentium nos malorum jam nec ipsi sensum capimus nec aliis præbemus, nec alios monemus; sed sumus velut corpus extrinsecùs quidem indumentis adornatum, intrinsecùs vero tabe pessimi languoris absumptum.*

Chrys. lib. 1. de cõpũct. cordis

Etenim si quis extrinsecùs (aut externus gen-

gentilis v. g.) *undecumque adesset, & præceptorum Christi ac nostræ conversationis confusionem ac perturbationem videret: nescio si alios magis ullos quàm nos inimicos esse & contrarios præceptorum Christi judicaret: & quasi qui studium quoddam habuerimus contraria in omnibus gerere, quàm mandavit.*

Sed ne quis fortè putet exaggerationis causâ à nobis hæc verba proferri, probamenta jam nunc adhibeo, non aliunde quàm ex ipsis Christi mandatis. Quid ergo dicit Christus? Dictum est antiquis. Non occides, ego autem dico vobis, quia omnis qui iratscitur fratri suo sine causâ, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Hæc quidem Christus. Nos autem plus quàm incredulí & infideles calcamus hanc legem, & quotidie innumeris injuriis fratres nostros afficimus. Denique Apostolus ait; maledici regnum Dei non possidebunt. Math. 5.

Illa diabolica deceptio est, quæ hæc ad terrorem dicit hominibus scripta, ut resolvat divini judicii ac futuri supplicii metum, & remissiores nos erga obedientiam reddat & custodiam mandatorum Dei. Ob hoc enim tales diabolus suggerit sensus.

Et ob quam, obsecro, causam laxio-

res

Idem Ibid. res inquirimus opiniones? *Ne fortè rei videamur contemptus* (inquit idem S. Pater) *& conscientiæ pondere prægravemur, ad abjiciendum prævaricationis metum aliis nosmetipsos pravæ intelligentiæ laqueis irretimus.* Ita loquitur S. Doctor in personâ non tantùm sæcularium sed etiam Religiosorum, quos etiam hujusmodi miseriis obnoxios esse postmodum ingemiscit acerbiùs, his verbis: *Quòd homines sæculi latam viam spatiosamque gradiantur non valdè mirum est: eos autem qui videntur crucem suam sustulisse & sequi Christum, per hanc latam & spatiosam velle incedere non tibi prodigiosum videtur? Denique Monachi cùm de monasteriis & locis habitationum percontantur, ante omnia requirunt, si requies sit in loco, si abundent omnia, si aquarum copiæ fluant? Quid vis, ô homo, quid loqueris? Arctam viam & angustam jussus es ambulare: ut quid de requie, ut quid de abundantiâ percontaris? Estne aliquid istâ perversitate deterius?*

§. G. Ad quid Christus fuit exaltatus, ut Moyses olim exaltavit serpentem in deserto: nunquid *ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam?* Sed quali, precor, fide tenemur in Christum crucifixum credere? Suffi-

Ioan. 3. v. 14.

citne

:itne leviter in ſpeculatione mentis exé-
)lar illud omnimodæ virtutis inſpice-
:e ? Nequaquam. Sed audi quid olim
Moyſi dictum ſit, & idem tibi dici ſi-
militer abſque dubio crede : *Inſpice &*
FAC *ſecundùm exemplar quod tibi in monte*
monſtratum eſt. Audiſne non tantùm in-
ſpiciendum exemplar hoc, ſed etiam
faciendum ſimiliter ? Crediſne præte-
reà non Moyſi tantùm, ſed etiam ti-
bi hoc ipſum dici ? Crediſne teneri te
Crucifixi virtutes, dolores, paſſiones,
ignominias affectu cordis imitari ?

Exod. 25. v. 40.

Mihi fortè non credis, nec illud etiam à te requiro. Nolo meis fidem verbis habeas, ſed illius qui dixit : *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens* EXEMPLUM, *ut ſequamini veſtigia ejus.* Non loquitur hîc Petrus, vel potius in Petro Spiritus ſanctus, illis ſolummodò qui tunc vivebant Chriſtianis, ſed omnibus etiam poſt futuris.

1 Pet. 2. v. 21.

Omnibus omninò Chriſtianis, unde etiam nobis repetitis frequenter exhortationibus inculcatur, ut exempla Chriſti ſtudeamus imitari, Chriſtum ſequamur, veſtigiis ipſius inhæreamus. Unde conſequens eſt, quòd affectum & vultum noſtræ voluntatis converſum

ſum habeamus, non ad honores, divitias, voluptates, ſed ad opprobria, paupertatem, auſteritates, ſtudendo ſaltem addiſcere perfectionem eorum, qui *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine* Iesu *contumeliam pati.*

Act. 5. v. 41.

§. H. Quamvis (inquies) Chriſtus multa ſit paſſus, & optimè faciant qui conantur ipſum in his imitari: ſcimus tamen etiam, quòd ad nuptias iverit, & conviviis non ſemel interfuerit; ac propterea meum potius propoſitum erit ipſum in hujuſmodi ſequi. Non meum, ſed D. Bonaventuræ convenientiſſimum ſuper hoc reſponſum accipe. *Refulgent* (inquit is) *in Chriſto tanquam à totius noſtræ ſalutis exemplari actus multiformes. Nam*

Bonav. in Apol. paup. Reſp. 1. cap. 2.

1. *Quidam actus in ipſo reſpiciunt ſublimitatem potentiæ: ut ſuper aquas ambulare.*
2. *Quidam ſapientiæ lucem: ut futura prædicere.*
3. *Quidam ſeveritatem judicij: ut durâ increpatione ferire Pontifices.*
4. *Quidam officii dignitatem: ut relaxare peccata.*
5. *Quidam condeſcenſionem miſeriæ: ut latere in perſecutione, pro amotione calicis*

Patrem

Patrem rogare; ad nuptias ire, conviviis interesse, loculos possidere: prout nos etiam anteà demonstravimus ex præfato Doctore. Cap. 5.

6. *Quidam informationem vitæ perfectæ: ut paupertatem servare, noctes in oratione pervigiles ducere, pro crucifixoribus orare.*

Cum igitur sex hujusmodi actuum sint varietates: in his ul imis dumtaxat illum imitari est perfectum. Nam in his quæ sunt excellentiæ singularis, est impium: in his quæ sunt severitatis est Præsidentium & Prælatorum: in his quæ condescensionis est infirmorum, in quantum loquimur ad actum extrinsecum. Unde sic infert S. Bonaventura. *Nequaquam igitur summa Christianæ perfectionis consistit in universali imitatione actuum Christi, sed tantùm illorum qui vitæ perfectæ imitationem respiciunt.*

His ita suppositis, perpende, precor, illam Sancti Leonis doctrinam: *Frustra* (inquit ille) *appellamur* CHRISTIANI, *si imitatores non sumus* CHRISTI, *qui ideò se viam dicit esse, ut conversatio Magistri, forma sit discipuli*: ut sicut ille fugit honores, divitias, commoditates, ita, quantum patitur infirmitas, allaboremus etiam erga prædictas vanitates

§. I.

Leo serm. 6. de nativ.

tes affectum omnem exuere. Videamus igitur ne quadret nobis illa severissima Sancti Patris Augustini censura: *Quid tibi prodest vocari quod non es, & nomen tibi usurpare alienum? Si* Christianum *te esse delectet, quæ* Christi *sunt gere.*

Aug. lib. 1. de vitâ Christi cap. 1. Tom. 9.

Rectè quondam S. Bonifacius, virtute nominis sui ad excelsam & hericam Martyrii palmam inflammatus, sic interpellabat Othonem Imp. *Quid vanam ego nominis umbram gero? Quid Martyris titulum circumfero si non victorias etiam & palmas? Superos testor & cognomen Divum, aut non dicar* Bonifacius, *aut ero simul.* Ad monasterium abiit, Martyrii tyrocinia positurus, quod denique in Prussiâ invenit. Hortatur & nos aureâ suâ eloquentiâ Chrysostomus, ut appellatione nominis Christiani, ad virtutem amplectendam excitemur & perfectionem Christi veraciter imitemur.

B. Pe. Damiani apud Engelg. in Circūcis. Dō.

Chrysost. hom. 18. in Ioan.

§. I.

Sed objicies iterum, sufficienter eos & quantùm sunt obligati, Christi perfectionem imitari, qui mandatis obediunt: & cum non sit necesse Christum in illis actionibus, quæ summam ostendunt perfectionem sequi, sed sufficiat illas peragere, quæ sunt infirmorum, sive quas Christus per condescensionem

nem operatus est : uti nos jam docuit S. Bonaventura: redargui non posse, dices, illos qui, firmato proposito sic operandi, simul etiam statuunt in sibi non illicitis honoribus, divitiis, commoditatibus omni vitâ proficere. Sequi Christum quidem debemus, sed non assequi, imò non possumus. Unde videtur etiam *discretionis* esse, quæ sunt impossibilia non attentare. Sufficiat nobis igitur ea quæ sunt mundi contemnere, prout leges obligant: in reliquis autem curam omittamus.

Excidisse tibi videtur, quisquis ita loqueris, lex ista legum, quam capite superiori proposuimus, nimirum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Legem istam dilectionis si diligenter expenderes, & aures cordis præbere velles illis Theodidactorum sententiis, quibus dicto jam capite probavimus nemini licitum esse perfectionis omnimodæ prætentionem deponere, non aberrasse confitereris illos, qui docuerunt, amori vero non esse sufficiens à longè Christum sequi, prout feciisse quondam S. Petrum novimus, sed illius, quam fieri potest proximè, vestigiis inhærendum esse. Amor certè similitudi-

tudinem affectare solet : nec unquam veraciter amare judicatur, cui non est curæ, pro viribus, amati moribus assimilari.

Etenim ut omnia quæ dicta sunt hactenus, inventionis meæ, non esse certò sciatur, ad illa quæ D. Cyprianus ait advertere conveniet; ipsius enim hæc verba sunt: CHRISTIANUS NEMO RECTE DICITUR, NISI QUI CHRISTO MORIBUS, PROUT VALET, COÆQUATUR. Infra limites Christianæ virtutis ille non jacet, qui sola quoque præcepta custodit, dummodò, quia recenter adhuc v. g. conversus est, ulteriores ipsi vires non suppetant; quas cùm acquisierit ad altiora quoque gradum facere conabitur : Adhærere quidem videt cor suum rebus terrenis, adeò ut vix, abnegare possit illas quantum præcepta requirunt : sed hæc adhærescentia si non placeat, si pro modulo suo minuere proponat, ut Christo perfectiùs assimiletur, argui non debet, sed animari potius & adjuvari.

Cypr. lib. 12. de abusionibus sæculi.

§. M. Jam verò quidnam dicemus sæcularibus illis, quos ad honestatis atque perfectionis intentionem excitare si voluerit,

ieris, in promptu ſtatim habent iſtas
el ſimiles replicas: *Non ſumus Religioſi,*
m habitamus in clauſtris, nec vitæ mona-
icæ profeſſionem emiſimus; quidnam ob-
ecro dicemus hujuſmodi? Nihil om-
inò: quia Divo Chryſoſtomo pero-
ante, conveniens eſt nobis ori digi-
um apponere. Aures itaque noſtras
Os aureum impleat, magis autem ani-
nas. *Fallis teipſum prorſus* (inquit) *ac de-*
ipis, ſi putas aliud à ſæcularibus viris, aliud
monachis requiri. Hæc enim ferè ſola eſt
n utroque genere vitæ differentia, quòd illi
uidem matrimonii vinculis ſe conſtringunt:
i verò his liberi perdurant. In reliquis verò
ommunis atque eadem ab utriſque vitæ ratio
equiritur, eiſdem pro culpis, pœna omnibus
na debetur. Nam qui fratri ſuo iraſcitur
ine causâ, ſive ille ſæcularis fuerit, ſive
monachus, Deum ſimiliter offendit. Cùm di-
eret Chriſtus, væ ridentibus, non addidit,
monachis: ſed abſolutiſſimam de omnibus ſen-
entiam tulit. Cùm dicit: Beati pauperes ſpi-
ritu, beati qui lugent &c. nec monachi nec
ecularis nomen adjecit. Cæterùm iſta diſtin-
ctio ex hominum æſtimatione introducta eſt;
ſacræ verò paginæ nihil horum penitus nove-
runt. Chryſ. lib. 3. adverſ. oppug. vitæ monaſt.

Et poſt pauca: *Hoc* (ait) *eſt planè*

quod evertit orbem universum, quòd summâ vitæ benè agendæ diligentiâ monachis opus esse arbitramur: cæteris negligenter vivere licere. Quod postquam à doctrinâ veritatis alienissimum esse demonstravit, hanc infert conclusionem. *Itaque quòd ad eandem vitæ diligentiam*, SUPREMUMQUE PERFECTIONIS FASTIGIUM, *per divinas leges, pariter & sæcularis & monachus cogantur; quodque ambo, si ceciderint, æqualia sint accepturi vulnera, neminem jam, quantumlibet ille sit contentiosus & impudens, contradicturum existimo.*

§. N. Qui contradicere voluerit in hoc D. Chrysostomo, contradicet etiam D. Ambrosio, quem ita scripsisse reperimus: *Benignissimus Deus, ut saluti nostræ provideret hominum res duplici vitæ genere distinxit, Conjugio videlicet Virginitatéque: ut qui virginitatis ferendo certamini pares esse non possent, hi sibi uxorem adjungerent: eâ tamen conditione, ut scirent, eâ ductâ, nihilominus temperantiæ cibi ac castitatis, consimiliséque modi in conjugio ac liberorum educatione, ejus quem sancti viri, dum hic viverent, tenuerunt, reddendam sibi esse rationem: qualis in veteri Testamento Abraham fuit.* Interjectis deinde paucis, ita concludit: *Non est igitur quamobrem tu, qui*

Basil. serm. de abdic. rerum.

ri ad uxorem applicare animum maluisti, perinde quasi e re tibi mundum amplecti liceat, desidiæ te des: quando eò majore tibi labore contendendum est, attentioreque animi intendum vigilantia, ut salutem invenias: veluti qui sedem tib in mediis laqueis, mediáque rebellium potestatum ditione delegeris, ubi peccatorum irritamenta assidua ante oculos posita habeas, ad quæ concupiscenda omnes sensuum libidines tuorum assiduè, loco veluti emotæ, impellantur.

Contra licet magis adhuc D. Thomæ docenti: *Si Religiosus non ex contemptu, sed ex infirmitate vel ignorantiâ aliquod peccatum, quod non est contra votum suæ professionis, committat absque scandalo (puta in occulto) leviùs peccat eodem genere peccati, quàm sæculares: Quia peccatum ejus si sit leve quasi absorbetur à multis operibus bonis, quæ facit: & si sit mortale, facilius ab eo resurgit.* D. Th. 2. 2. qu. 186. art. 10.

CAPUT XIV.

Vtrum bonus dici possit Religiosus, *qui non proponit altius ascendere quàm illi præscribitur à legibus suæ professionis?*

§. A. Divi Thomæ doctrina, quàm statim citavimus, valdè favorabilis est Religiosis: sed observa, quando: *si non ex contemptu* (inquit) *sed ex infirmitate vel ignorantiâ* peccent. Videtur hîc Divus Thomas triplicem illum peccandi modum distinguere, quem ex eodem posteà latiùs explicabimus & ostendemus defectus illos, qui procedunt vel ex ignorantiâ vel ex infirmitate, non incompatibiles esse, cum, non tantùm vero, sed etiam optimo perfectoque proposito faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius, sive cum ardenti studio summæ perfectionis: alios autem defectus qui fiunt ex contemptu

Cap. 18.

u sive de industriâ, quando nimi-
im voluntas cum deliberatione plena-
â consentit illis, cum vero perfectio-
is proposito non posse consistere.

Ponamus ergo Religiosum & sæcu-
rem, illum committere defectum,
uòd ad perfectionem supremam vul-
um suæ voluntatis non convertant;
ed uterque solam adhibeat diligentiam,
t ea quæ legibus sibi proportionatis
nperantur, non omittant: moniti ve-
ò quòd conatum adhibere debeant
mulandi charismata meliora, perfe-
tionem Apostolorum, aliorumque San-
torum, cum advertentiâ plenâ respon-
eant: *Non habemus ad hoc obligationem*,
uam tamen obligationem omnibus
ncumbere demonstravimus, ex illo
præcipuè mandatorum præcipuo: *Di-
ges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*:
Quemnam ex his duobus delinquere
graviùs existimandum est, an Reli-
gioſum, an verò sęcularem, eo casu
quo neuter aliquod præbet scandalum?
Religiosum peccare graviùs expressam
lat rationem Sanctus Aquinas, si ex
contemptu vel de industriâ sic loqua-
ur: *quia ex hoc* (inquit) *videtur esse ma-* Idē ubi
gis ingratus divinis beneficiis, quibus est sub- suprà.

limatus ad ſtatum perfectionis: in quo videlicet ad opportuniora perficiendi ſemetipſum exercitia vinculum aſſumpſit, qui propterea ſtatus perfectionis appellatur.

Si verum eſt igitur illud Cypriani, quòd *Chriſtianus* nemo rectè dicatur (prout eum docentem jam capite ſuperiori audivimus) niſi qui Chriſto moribus, prout valet, coæquatur, quantò minus rectè dici poteſt *Religioſus*?

§. B. Inter omnes doctrinas cœlestes, quas poſteritati reliquit Seraphica Mater N. Tereſia, pluribus animabus mirificè placuiſſe comperi, quod habetur initio capitis 13 in Viâ perfectionis: ubi ſic loquitur ſuis monialibus: *Sæpiùs vobis dico, charissimæ, & jam id ſcripto hîc committere volo, & poſteris traditum relinquere, ne quæ veſtrûm eius obliviſcatur: hujus nimirum familiæ Religioſis (nec non adeò omnibus qui ad perfectionem aſpirant) remis veliſque quàm maximè procul fugiendum eſſe, ut dicant: Ratione nitebar & jure: facta mihi eſt injuria, & qui mihi illam intulit immeritò intulit. Liberet nos Deus ab hujuſmodi malis rationibus. Quid? æquum & juſtum fuiſſe putatis, ut benigniſſimus Dominus noſter* Iesus *tantas injurias pateretur, & hæ*

Ter. in viâ perf. cap. 13.

pre-

præter omne fas & justitiam inferrentur? Quæ Crucem aliam ferre non vult, quàm quæ illi equissimo jure & meritiss.mo imponitur, ad quid in monasterio agat, nescio : revertatur ad mundum, ubi horum argumentorum (quæ sumuntur ex obligatione Christum perfectè sequendi) *ac rationum nulla habebitur ratio.*

Multum quidem hæc omnia confirmant id quod intendo, sed paucula tamen verba quæ subnectit singulariter annotari rogarem, videlicet : *An fortassis tantum pati poteritis, ut plura pati non debeatis?* Estne Religiosorum aliquis tam insanæ mentis, qui respondere præsumat affirmativè, qui se defendere cogitet ac replicare se pati sufficientia quando patitur ea quæ suæ leges ostendunt patienda; quoad alia verò quæ legum terminis non includuntur, se nullam obligationem habere; propter hanc nimirum causam, quia professionem emittens plura non promisit: unde si quis eum v. g. proscindat aliquo convitio, se nihil statui suo indignum facturum, proponendo tueri suum honorem.

Aliam ille, quisquis ita sentit, frequentare scholam convincitur, quàm

cujus limen terere S. Mater N. Teresia consueverat, prosequitur enim: *Quænam hæc est ratio? Equidem verè eam non intelligo. Cùm aliquis nobis honor, aut applausus, aut bona tractatio contingit, tunc hujusmodi rationes proferre possumus* (quod secundùm nostram videlicet professionem vivere debeamus) *nam profectò rationi planè dissentaneum est, tale quid nobis in hac vitâ fieri. Sed cùm nobis injuria fit* (*ita quippe id vocant, non autem quod verè nobis injuria irrogetur*) *nescio quid sibi velit quòd ita loquamur, Quid? Sponsæne tam potentis Regis sumus, an non? Si sumus: ecquæ mulier honesta non particeps fieri velit infamiæ & probri sponso & marito suo irrogati, esto suâ ipsa id voluntate non velit? Adeò ut honoris & infamiæ, maritus & uxor invicem participes sint. Quocirca stultum & indignum est in honore & regno ejus partem habere velle, nec non ipso frui, & nullum in opprobrio seu tribulatione portionem quærere.*

Quàm procul absint ab hujusmodi *Maximis* illi, qui dignitates, etiam non ambiri prohibitas, appetunt, qui cathedras honorabiliores ambiunt, qui alios sibi præferri sustinere non volunt, res ipsa, me quoque tacente, clamitat;

it; & apertè demonstrat eos, qui si- i vim inferre nolunt, ut has infir- nitates eliminent, *bonos* nequaquam *eligiosos* esse, quantumvis non tan- ùm ipsi se tales esse persuadeant, sed tiam ab aliis titulo *bonitatis*, imò (quod anius adhuc est) *sanctitatus*, honoren- ur; & dicatur de ipsis, quòd sint *boni Religiosi*, quòd vivant ut sancti.

Manifestam omninò Seraphicæ Virgi- nis in hoc doctrinam invenimus, quæ non posset apertiùs insinuare, quòd hujusmodi *Religiosi* non debeant, in re- formatis præsertim Monasteriis, tan- quam *boni* reputari, quorum cor ab om- ni creaturarum adhæsione non est libe- rum, quàm scribendo: NON BONAM *voco* RELIGIOSAM, *quæ non est mortifica- ta, sed mundi rebus adhuc adhæret*, quam- vis illæ res absint à vanitate malâ. Ter. viâ perfect. c. 13.

Memini me Doctorum aliquem au- diviſse dicentem; Multi vocantur hodie *boni Religiosi*, qui ne quidem vocari me- rentur *boni Christiani*: quia scilicet non sequuntur Maximas Christi.

§. C.

Intellexerat olim Salesius inter Mo- nasteria quædam, propter 1000 scuta, lites exortas: Unde scribit in hunc modum: *Fierine potest, quòd filiæ in* SCHO- Salesius lib. 6. Epist. 58.

lâ stultitiæ Crucis *enutritæ, sæculari prudentiæ taliter adhæreant, ut convenire non sciant sive per condescensionem sive per resignationem. Litteræ, quas mihi quoad hoc scripsit N. N. satis indicant & unam & alteram in suo spiritu satis radicatum habere jus proprium. Omnem offensionem aliam sustinere didici, hæc verò superat vires meas. Cui laboramus, nisi Deo? Si Deo, quorsum hæ lites? Sapientiam talem & prudentiam odi.* Et hæc, & plura quæ super eâdem re scribit Sanctus Episcopus, abundè satis manifestant eum ob hoc offensum fuisse graviter, quòd videret aliquas Superiores cum animositate quadam suorum jura monasteriorum defendisse.

Sed quid putamus? An quòd legitimam irascendi causam in hoc habuerit? Nunquid est laudandum potius, quòd illa quæ Superiorem agit, sui Monasterii proventum procuret? quòd non patiatur ullo modo perire quidpiam de jure suo? Si non sit fortè laudandum, tolerandum saltem videtur. Imò sic est, inter eos qui sæculi Maximis obedire consueverunt: sed inter personas quæ frequentant scholam sapientissimæ stultitiæ Crucis, hoc nimis est indignum. O quàm

O quàm meritò lumen illud sæculi nostri divinæ bonitati gratias agere poterat, quòd *Maximas Christianitatis* immensè diligeret! O Sapientissima stultitia Crucis ubi te modò reperiemus? Ubi *Maximas* veri contemptus honorum, possessionum, commoditatum inveniemus? Quis est qui cum Salvatore despici, penuriam pati, corporalibus aut spiritualibus afflictionibus premi studet addiscere? *Salesius lib. 3. Epist. 47.*

§. D.

Utinam affectuosissimis S. Matris N. Teresiæ precibus aures vellemus aperire, cujus hæc verba sunt: *Rogo, ut quotquot sumus* STULTESCAMUS *ex amore ejus, qui nostri causâ* STULTUS *est cognominatus.* Sed quid? *Valdè paucos* (inquit) *invenio, qui non plus æquo sapientes sunt ad id quod ipsis expedit.* Ter. in vitâ cap. 16.

Et hanc esse causam existimo, quòd eadem Seraphica Mater conqueratur alibi, dicens: VERA RELIGIOSITATIS VIA *tam parum frequentatur, ut Monachus & Monialis vocationem suam sincerè vereque sequi incipere volentes, magis confratres & consorores suas, quàm omnes spiritus infernales timere debeant.* Considereret hanc sententiam adeò miram quicunque voluerit, non arbitror eum aliam illius causam Ter. in vitâ suâ cap. 7.

ſam inventurum, quàm quia negligi videbat piiſſima virgo ſtudium ſapientiſſimæ ſtultitiæ Crucis, & ejus loco ſucceſſiſſe ſtudium prudentiæ carnis: & utinam abſque mendacio ſimile quid etiam hæc ſæculo noſtro dici non poſſet.

Utinam poſſemus in Domino gloriari, quòd jam locum non habeat illa dolore pleniſſima D. Bernardi querimonia: *Væ generationi huic à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis, ſi tamen hypocriſis dici debet, quæ jam latere præ abundantiâ non valet, & præ impudentiâ non quærit. Serpit hodie putida rabies* (fortè legendum, *tabes*) *per omne corpus Eccleſiæ, & quò latiùs eò deſperatiùs: eoque periculoſiùs, quò interiùs. Omnes amici, & omnes inimici; omnes neceſſarii, & omnes adverſarii; omnes domeſtici, & nulli pacifici; omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt & ſerviunt Antichriſto.*

Bern. in Cant. ſerm. 33.

Et poſt pauca: *Olim prædictum eſt* (ait) *& nunc tempus impletionis advenit*: Ecce in pace amaritudo mea amariſsima. *Amara priùs in cæde Martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſsima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare, non fugere eos poteſt, ita invaluerunt & multiplicati ſunt ſuper numerum. Inteſtina*

teſtina & inſanibilis eſt plaga Eccleſiæ, & ideò in pace amaritudo ejus amariſſima. Sed in quâ pace? Et pax eſt, & non eſt pax. Pax à paganis, & pax ab hæreticis; ſed non eſt pax à filiis. Ita Bernardus.

Idem etiam Religioſiſſimus Abbas, explicans illa Divi Petri verba: *Ecce nos reliquimus omnia*: Et reflectens ad illam Chriſti ſententiam: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt*, nimirum Judas? ita loquitur: *Utinam in duodecim unus hodie Petrus, unus, qui reliquerit omnia, inveniatur.* Omnia ſcilicet non tantùm poſſeſſiones, ſed etiam cupiditates, & eas maximè. Omnia, ſic ut nulla poſſit aſſignari creatura, cui deliberatè cor adhuc adhæreſcat. Bern. in declam.

Quin imò non vana forſitan illius foret oratio, qui rogaret, ut in duodecim unus hodie reperiatur, qui ſtudium ad hoc adhibeat, ut ad generalem omnium abnegationem, hoc eſt, ipſum perfectionis faſtigium perveniat: adeò ſiquidem numerus eorum exiguus eſt, qui, ſicut obligantur, ad perfectionem tendunt, ut vix exprimi valeat. §. E.

Non ignoro Doctorem Angelicum ex profeſſo monſtrare, quòd *ille qui ſtatum*

D.Th.2.2.q.186. art.2. *ſtatum Religionis aſſumit, non tenetur habere perfectam charitatem, ſed tenetur ad hoc tendere & operam dare, ut habeat charitatem perfectam.* Sed ob quam, obſecro, cauſam tam multos invenimus, qui reflectunt ad primum hujus doctrinæ membrum; & ſatis obſervant, ad quid non teneantur: ſecundi verò membri tam exigua fit mentio, ut vix ullus ad illud reflectere videatur? Non favet nimirum in hoc tempori eorum Sanctus Aquinas.

Falluntur autem non parum illi, qui tempori ſuo favere credunt eum, dum ſubdit poſteà: *Non tenetur etiam* Religioſus *ad omnia exercitia quibus ad perfectionem pervenitur, ſed ad illa quæ determinatè ſunt ei taxata ſecundùm Regulam quam profeſſus eſt.* Præcipit mihi Regula, dicet aliquis, ut abſtineam à carnibus, abſtinebo: præcipit jejunium jejunabo: præcipit ſilentium ſuo tempore, ſilebo. Quis dum hæc & alia, quæ Regula præcipit, adimplebo, me poterit arguere, quòd non faciam ſatis? Ad ea quæ limites Regulæ ſuperexcedunt ego me non obligavi: nihil ergo meo ſtatui indignum faciam, ſi, recuſando ſupererogatoria, dicam quòd ad ea non

ſim

ſim obligatus, ſi proponam quærere icitas mihi recreationes, officia, commoditates.

Formantem hujuſmodi propoſitum rogarem, ut examinet, an Regula forſitan alibi dicat, Deum toto corde non eſſe diligendum? An præcipiat Chriſti crucifixi perfectionem non eſſe ſequendam? Non ſufficit ea facere quæ Regula præcipit, niſi quis actionibus hujuſmodi adjungat *ſtudium* omnimodæ perfectionis, profundiſſimæ humilitatis, excellentiſſimæ charitatis.

Docebit nos hoc ipſemet Aquila Doctorum præfatus. *Ille qui tranſit ad Religionem* (inquit) *non profitetur ſe eſſe perfectum, ſed profitetur ſe adhibere* STUDIUM *ad perfectionem conſequendam.* Quidnam eſt, quæſo, *ſtudium*? Marcum Tullium audiamus: *Eſt* (ait is) *animi aſſidua & vehemens ad aliquam rem applicata, magnâ cum voluntate, occupatio.* Religioſus igitur vi ſuæ profeſſionis habere tenetur aſſiduam & vehementem animi, magnâ cum voluntate, quoad perfectionem, applicatam occupationem. Unde non eſt illi ſatis, ad hoc reflectere, ut obſervet ea per quæ debet ad perfectionem tendere, nempe ſuas leges, ſed re-

Idem ubi ſuprà ad 1.

Cic. lib. 1. de invent.

reflectere tenetur etiam ad perfectionem ipsam, ad quam obligatur se, quantum potest, extendere.

§. F. Religiosus ille qui tantùm reflectit ad ea per quæ tendit, & non ad ea ad quæ tendit, nec sollicitudinem adhibet, ut exempla Sanctorum & ipsius Christi frequenter intueatur, ut, quantum prævalet, illis fiat æqualis in contemptu rerum omnium terrenarum, ipsam vitæ Religiosæ medullam omittit: eò quòd ipsa principaliter in studiosâ tendentiâ sive prætentione perfectionis omnimodæ consistat.

Ad Gal. cap. ult. v. 15. *In* Christo Jesu *neque circumcisio aliquid valet neque præputium, sed nova creatura*, dicit gentium Apostolus, & ego dicam; *In C. I. neque depositio sæcularis habitus aliquid valet, neque capucium, sed nova creatura*: nihil enim prodest & silentium, & jejunium, & abstinentia carnium, & cæteræ tales exteriores observantiæ regulares, si non sit interius novæ vitæ saltem desiderium: ita scilicet ut sicut mundani quærunt honores, divitias, voluptates, sic Religiosi quærant, aut saltem quærere studeant Cruces, paupertatem, austeritates: sicut illi neglectâ sanctitate curam habent

ent ſanitatis, ſic hi neglectâ ſanitate uram habeant ſanctitatis. Hæc nimium eſt Regula, quam nulli Regulaium ſeponere permiſſum eſt: *Et quiumque hanc* REGULAM *ſecuti fuerint*, (inquit Apoſtolus) *pax ſuper illos & miſericordia.* Vbi ſuprà.

Si quis autem exiſtimet ſatis eſſe v. g. jejunare quando Regula præſcribit, & licere ſibi, quando comedendum eſt, ea quæ placent appetitui, ſub obtentu ſanitatis exquirere, perpendat hanc, obſecro, Divi Bernardi ſententiam. *Hippocrates & ſequaces ejus docent animas ſalvas facere in hoc mundo*; CHRISTUS *& ejus diſcipuli perdere. Quemnam vos duobus ſequi magiſtrum eligitis? At manifeſtum ſe facit qui ſic diſputat; hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel ſtomacho nocet. Profectò unuſquiſque quod à Magiſtro dicit hoc in medium profert.* Per quæ verba ſatis indicat S. Abbas, eum tanquam Religioſum verum nullatenus habendum, qui ſeriò mortificationis ſtudio non incumbit, qui ſolidas Chriſtianæ perfectionis *Maximas* addiſcere non ſatagit. Bern. in Cant. ſerm. 29.

Toleranda quidem eſt eorum infirmitas, quibus invitis quaſi verba §. 6.

quædam erumpunt, amorem proprium redolentia: sed hæc per consuetudinem usurpare, taliterque dicere, quasi nulla foret obligatio discendi meliora, Religioso statui prorsus indignum est: Ut quid enim Christi vocamur Discipuli si proficere non curemus in doctrinâ Christi?

Discipulus ita dictus est, eò quòd semper *disci-plus* ab eo debeat. Unde non erravit D. Bernardus ita scribens: Discipulus *proficiens gloria est Magistri.* Contra verò *quisquis in* Scholâ Christi *non proficit, ejus indignus est magisterio: præsertim tamen ubi sumus, ubi nihil in eodem statu permanet, & non proficere sine dubio deficere est.*

Bernar. Epist. 341.

Interjectis deinde paucis ita concludit: *Itaque qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare.* Jesus *enim (ut ait Evangelista) crescebat & proficiebat sapientiâ & gratiâ apud Deum & homines. Ille non restitit ergo, sed exultavit ut gigas ad currendam viam, & nos quoque si non desipimus, curremus post eum, trahemur in odore unguentorum ipsius. Alioquin si elongari contigerit erit pigritanti animæ & laboriosior & periculosior via, dum nec odore recreari, nec certa possit agnoscere vestigia*

gia longiùs abeuntis. Sic ergo currite, ut comprehendatis.

Si non tantùm sit currendum, sed insuper eo modo sit currendum, hoc est, cum illâ prætentione, ut Christus pro modulo nostro possit comprehendi, quis adhuc sufficere sibi reputabit in observantiâ suarum legum exteriori finem ponere sui laboris? Cum illâ tantùm conducat ad hoc, ut per eam, tanquam medium opportunissimum, ad omnimodam voluntatis nostræ cum *voluntate divinâ* conformitatem perveniamus.

Nemo certè cogitare debet, illos, qui docent, quòd tendentiâ ad perfectionem per observantiam legum suarum, sub mortali peccato Religiosos obliget, hoc sic intelligere, quasi necessarium tantummodò sit habere curam ut illibatum remaneat id per quod tenditur, sed quòd irretortus etiam oculus mentis remanere debeat super id ad quod tenditur.

Vide P. Nierenbergium in doct. ascet. lib. 1. doct. 4. Item P. Lanc. in opusc. spirit. p. 172.

Jam olim Isaac, ille Orbis deliciæ & risus, *ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* Cui per eleganti nexu Origenes Rebeccam conjungit, exponens illum Geneseos locum:

§. H.

Gen. 16. Gen. 25.

Orig. Hō, 12. *Abiit Rebecca interrogare Dominum.* Dicit enim: *Quò abiit? Ex eo loco in quo non erat Dominus, ad locum in quo erat? Nonne ubique est Deus? Quomodo ergo abiit Rebecca? Ego puto quòd non de loco ad locum, sed de vitâ ad vitam, de actu ad actum, de bonis ad meliora transierit, & de sanctis ad sanctiora properarit.*

Perpetui profectûs exemplar, quod in magnis Dei servis semper viguit, scala Jacob cœlos pertingens denotabat: de quâ Gregorius Nyssen. & S. Bernardus ajunt, vitam cum virtute conjunctam effingi atque efformari. Atque hoc est, *ascensiones in corde suo disponere*, ut ait David, & de profectûs gradibus explicat S. Bernardus.

Hoc est, *ire de virtute in virtutem.*

Hoc est, *justum justificari adhuc & sanctum sanctificari adhuc.*

Hoc est, *transformari à claritate in claritatem.*

Hoc est, *fructificare & crescere in opere bono.*

Hoc est, *in anteriora sive priora se extendere.*

Hoc est, *renovari de die in diem.*

Hoc est, *crescere in illo per omnia, qui est caput Christus.*

Hoc

Hoc est, *abundare charitatem magis ac magis.*

Quàm verò sit, non dicam tantùm periculosum, sed etiam damnosum, studio summæ perfectionis non incumbere, nec sui profectûs spiritualis habere curam, ex visione quam de supradictâ scalâ Iacob habuit, eleganter explicat Abbas Claræ-vallensis. *Vidit Iacob* (inquit) *in scalâ Angelos ascendentes & descendentes: nunquid stantem quempiam sive sedentem? Non est stare omninò in pendulo fragilis scalæ: neque in incerto hujus mortalis vitæ quidpiam in eodem statu permanet. Aut ascendas necesse est; aut descendas: si attentas stare, ruas necesse est. Minimè profectò est bonus, qui melior esse non vult; & ubi incipit nolle fieri melior, ibi etiam desinet esse bonus.* Bernard. Epist. 91.

§. I.

Glorientur igitur illi Religiosi quicunque voluerint, quòd boni vocentur, qui dicunt: Non est certè parum nos ea quæ legibus includuntur observare: sufficiet nobis quoad hoc incumbere: quoad illam verò perfectionem sublimissimam, quam D. Augustinus, Dominicus, Franciscus, Teresia, vel Ignatius habuit, nos tam præsumptuosi non sumus, ut ad eundem

perfectionis gradum nos ascendere posse cogitemus: Satis erit ita vivere, sicut illi vixerunt qui nos recenter præcesserunt.

Non est opus ut ego redarguam illos: D. Bernardus hoc aptiùs exequetur, ac etiam docebit nos omninò conari debere virtutem eorum qui laxiora secuti sunt animosè transcendere. *Recedant* (inquit ad Abbates Suessione congregatos scribens) *à me & à vobis, qui dicunt: Nolumus esse meliores, quàm patres nostri; tepidorum & dissolutorum se filios protestantes, quorum memoria in maledictione est. Sanctus Helias: Non sum, inquit, melior quàm patres mei. Et non dixit, se nolle patribus esse meliorem.*

Bernard. Epist. 91.

Si veri cupimus esse Religiosi, debemus fixos & omninò stabiles mentis obtutus ad eorum facta dirigere; non tantùm quos tanquam sanctos veneramur, sed ad ipsum etiam Sanctificatorem, ad Christum & hunc crucifixum: ut aliquando gloriari possimus cum illis: *Christo confixus sum Cruci.*

Gal. 2. v. 19.

Hunc profectò scopum si sibi non proposuissent illi, quos modò Sanctitatis gloria condecorat, ad illam indubiè

iè gloriam nunquam perveniſſent: Sed quia facie revelatâ gloriam Domini ſpeculabantur, & illius exceſſum quem complevit in Ieruſalem, in eandem imaginem transformabantur de claritate in claritatem. Hinc tantum erat in illis patiendi deſiderium, hinc tam aſſiduum mortificationis ſtudium, honoris fuga, rerum magis incommodarum electio, paupertatis æmulatio; uno verbo, odium ſui. Et inde quid?

§. L.

AMOR PROXIMI: tunc enim *ibi erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis, quod eſt Chriſtus Ieſus*, quam ſacræ nobis paginæ tam impensè commendant, & quam in libris Platonicis ſe non inveniſſe teſtatur D. Auguſtinus. Verùm ubi nunc inveniemus eam? Ubi nunc illę fervor dilectionis, dilectio virtutis, ardor amoris? *Non tam magnum quidem* (inquit S. Mater N. Teresia) *requiro, quantum fuiſſe quondam ſcimus in Apoſtolis: ſed ardentiorem tamen illam, quàm conſpiciam, eſſe peroptarem.*

Aug. lib. 7. Confeſſ. c. 20. Ter. in vitâ ſuâ cap. 16.

Optarem ego ſimiliter quòd illud Apoſtoli conſideraretur attentiùs: *Æmulamini charismata meliora.* Multi ſiquidem zelum habent, ſed non ſecundùm charitatem, & paucos valdè reperies qui

1. Cor. 14.

perfectè ſtudeant illam Chriſtianæ religionis excellentiam æmulari, quam Chriſtus tam amanter inculcat, dicens: *Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos.* Imò ſi quis eos ad hoc meditetur inducere, non mirari debet ſi reſpondeatur illi: *Non ſumus obligati ſpecialia ſigna dilectionis, eis, qui nos impugnant, extra caſum neceſſitatis, exhibere.*

Matt. 5. v. 44.

D. Th. Opuſc. 18. c. 14.

Verè ſic eſt: nam hoc expreſsè Doctor Angelicus affirmat: audeo tamen dicere, ſimiles deliberatas reſponſiones à ſtatu Religionis alieniſſimas eſſe, quando quis profert illas, ut jugum perfectæ charitatis excutiat. Quid ita? Quoniam tenetur quicumque Religioſus eſt adhibere *ſtudium* ad perfectionem proficiendi. Non quidem obligatus eſt extra caſum neceſſitatis ſpecialia ſigna dilectionis exhibere perſequentibus illum, ingentem nihilominus habet obligationem ad hoc tendendi, vim ſibimet inferendi, nec non ſupplendi per humilitatem, in quo ſuam adhuc videt deficere charitatem.

Sentiant quidquid voluerint alii: timerem ego repulſam à cœleſti gloriâ ſi ſpeciale prorſus & corde ſincero, huic perfectioni ſtudium non impenderem:

derem: & valdè desiderarem plures ita mecum sentire: quia nullum credo mortalium esse, qui Deo servire cupiens & ob hoc etiam consequenter persecutionem patiens, aliquando rebellem in hoc non sentiat contra legem Domini suam voluntatem.

Deinde valdè notanda sunt illa D. Pauli verba: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Quia scilicet inter debitum charitatis & alia debita hoc est discrimen, quod aliis debitis ita plenè satisfieri possit, ut non sit illicitum dicere: *Totum persolvi, nihil amplius debeo* Charitatis autem debito nunquam potest adeò plenè fieri satis, ut in veritate dici possit: *Amplius non debeo.* Semper enim sic in charitate quis debet conari proficere, ut semper supersse sciat quod debeat. Hinc optimè Divus Augustinus: *Semper* (inquit) *debeo charitatem, quæ sola etiam reddita detinet debitorem.* Et rursus: *Mutuam charitatem libens reddo, gaudensque recipio: quam recipio, adhuc repeto: quam reddo, adhuc debeo.*

Roma 13.

August. Epist. 62.

COROL-

COROLLARIUM.

SI non sit licitum ulli Religioso res illas, quæ supererogatoriæ sunt, ob hoc omittere, quod non sit obligatus ad eas, quantò minus licitum erit aliquid ex illis, quæ lege tantùm pœnali præcipiuntur omittere propterea, quòd non obliget ad peccatum. *Sensus legis obligantis ad pœnam & non ad culpam* (inquit Cajetanus) *est, quòd statuit actum illum extra genus culpæ, non qualitercunque, sed ex suo genere, hoc est, non ex parte operantis, sed secundùm suam naturam.* Ex parte siquidem operantis verissimum est illud Divi Thomæ, quòd *possunt venialiter vel mortaliter peccare ex negligentiâ, vel libidine, vel contemptu.*

Cajet. 2. 2. qu. 186. art. 9. ad 4.

D. Thō. ubi suprà ad 2.

Prudentissimè legislatores aliqui sub reatu culpæ noluerunt condere statuta, ne conscientiæ subditorum angustiarentur in defectibus illis, quos vel ex ignorantiâ vel ex infirmitate committunt: sed legislatorum intentionem non parum offendunt illi, qui libertatem hanc dantes in occasionem carnis, de industriâ sive deliberatè, quod idem esse

esse videtur ac ex contemptu, præcepta violant.

Hinc est quod meritò brevis ille Tractatus, quem eximius P. Dierkens Dominicanæ familiæ Doctor nuper in lucem edidit, doctissimis Religiosis particulariter arriserit: in quo sic inter cætera statuit, quòd Religiosus *peccat graviter qui ex formali contemptu transgreditur Regulam & statuta. Quod tunc contingit, quia non vult illis subjici vel ex malitiâ vel quia judicat illa irrationabilia vel nullius momenti* (prout facit ille qui Constitutionem aliquam violat, quia non obligat sub peccato) *Ratio est: quia hoc directè contrariatur voto professionis, quo obligatur per illa media tendere ad perfectionem.*

Ex. P. Dierkens de oblig. Reg. cap. 6. §. 11.

CAPUT

CAPUT XV.

De duobus titulis *quibus* omnes *specialiter obligamur, si non facere, saltem conari facere quidquid intelligitur esse perfectius.*

§. A. POsset quidem latiùs explicari quanta nos obligatio constringat, necessitas urgeat incumbendi seriò perfectioni, ex hoc quod nihil facere valeamus extra præsentiam & oculos nostri Iudicis, & quàm justissimè Sapiens asseveret: *Qui timet Deum* NIHIL *negligit.* Eccl. 7. v. 19. Possent alii plures tituli, qui nos impellunt ad hoc, ut integrè nos *voluntati divinæ* consecremus & nihil prorsus excipiamus, allegari: verùm quia brevitati studendum est, duo præcipui nobis modò sufficient.

§. B. PRIMUS TITULUS EST CREATIONIS: propter quem Deo, non aliter quàm optimo Patri, filialiter in omnibus

nibus obtemperare ſuaviſſimè compellimur. Quòd quia negligebant olim filii Iſraël, his eos verbis Moyſes redarguit: *Hæccine reddis Domino populе ſtulte & inſipiens? Nunquid non ipſe eſt Pater tuus qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Deut. 32.

Contra multorum errorem, non tantùm impiorum, ſed etiam eorum qui pio ſæpiùs orare videntur animo: *Pater noſter qui es in cœlis*, & tamen exiſtimant ſufficere ſibi, quòd non occidant, quòd furtum non faciant, aliaque ſimilia mandata non violent, licet ea ſeponant quæ per conſiliorum intimationem amanter exiguntur, illud omninò ſtatuendum eſt ſtabiliendumque, tales ne vel ipſis quidem humanæ rationis dictaminibus attentas ſatis aures exhibere: quia *clamat innata ratio, ut quiſque ſe illi ſubjiciat, à quo habet ut ſit,* Laur. Iuſtin. lib. de ob. c. 5. inquit Laurentius Juſtinianus: adeò ſcilicet ut quandoquidem non eſſentiæ partem, ſed totam omninò quantam quantam à Deo recepimus, totum ſimiliter id quod ſumus, in illius obſequium fideliter impendamus.

Sapienter igitur Auguſtinus: *Quid* (ait) *tam tuum, quàm tu? Et quid non tam ſuum, quàm tu, ſi alicujus es quod es?* Nam Aug. Tr. 29. in Ioan.

ut

ut jumentum quidquid est, hominis est, sic homo, & multò magis, totus est Dei. Ex quo sequitur, quòd quemadmodum bonum existimari solet istud jumentum quod nihil impetu suo facit, sed ita se movet, ut ab hero suo movetur, sic homo tum veraciter hominis expleat officium, cùm ejus & voluntas & opera omnia Deo soli serviunt, & ad illius beneplacitum ita diriguntur, ut cum Prophetâ possit dicere: Ut *jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.*

Ps. 72. v. 23.

Sanctus etiam Gregorius explanans illud Job. 11. *Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri se liberum natum putat*, ita disserit: *Necesse est ut homo in cunctis suis motibus sub dispositione disciplinæ religetur, & tanquam domesticum animal loris vinctum, serviat, atque æternis dispositionibus restrictum vivat. Qui ergo implere cuncta quæ desiderat per effrænatam libertatem, quærit, quid aliud quàm pullo onagri esse similis concupiscit?* Et post pauca: *Restat ergo* (inquit) *ut si jam similes esse pullo onagri nolumus, in cunctis quæ appetimus, nutum priùs intimæ dispositionis inquiramus.* Optimè profectò, quia nihil sic homini competit, quàm ut Creatori

Greg. lib. 10. Mor. c. 10.

suo

ſuo totus atque totaliter, non tantùm in obligatoriis, ſed etiam in ſupererogatoriis omninò ſubdatur.

§. C. Nihil prætereà ſic competit Creatori, quàm ut ex toto ſimiliter homini dominetur, & illius fruatur obſequio. *Quis plantat vineam* (inquit Apoſtolus) *& de fructu ejus non edit?* Sic, qui domum ædificat, qui arcam vel ſtatuam conficit, ejus operis idem omni jure legitimus eſt poſſeſſor. Hoc autem multò magis locum habet in Deo, quoniam homines arte ſuâ nihil poſſunt aliud, quàm externam formam & quaſi faciem rebus inducere, naturam autem ipſam ſive ferri, ſive ligni, ſive alterius rei, nec producere nec attingere quidem poſſunt. Deus autem uſque ad ipſum (ut ait Auguſtinus) rerum fundum, id eſt, ultimum atque extremum eſſentiæ gradum ſuâ vi & virtute pertingit.

1. Cor. 9.

Aug. lib. 6. Confeſſ.

Itaque vel hoc nomine præcipuè videmus in Sacrâ Scripturâ dominatum omnium Deo tribui. Sic enim legimus: *Domini eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo.* Et quaſi ratio ſubnectitur: *Quia ipſe ſuper maria fundavit eum & ſuper flumina præpa-*

Pſ. 23. v. 2.

Ps. 94. v. 5. *præparavit eum.* Item, *Ipsius est mare.* Quonam, obsecro, titulo? *Ipse fecit illud.* Item, Ps. 88. v. 12. *Tui sunt cœli & tua est terra.* Quare? *Orbem terrarum & plenitudinem ejus tu fundasti.* Item, Ps. 73. v. 16. *Tuus est dies & tua est nox.* Ut quid ita? *Tu fabricatus es auroram & solem.*

Rectè S. Bernardus ex hoc capite, inter alia, confici vult, ut opus opificis, ita nos Authoris nostri totos esse. Bern. de quadruplici debito. *Ecce* (inquit) *in januis est qui fecit cœlum & terram. Et ipse Creator tuus est, & tu creatura. Tu servus, ille Dominus. Ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes. Illi præcipuè Domino qui fecit te, & benefecit tibi: qui tibi ministrat siderum cursus, aëris temperiem, jucunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic reverà totis medullis, totis viribus serviendum, ne fortè indignationis oculo te respiciat & despiciat, & conterat in æternum.*

Quàm forti vinculo, quàm magnificâ, quàm magneticâ virtute, beneficia ac munera, mortalium corda trahant manifestum est: At quis unquam homini tanta contulit, quanta tibi Deus, ut te totum ad se raperet? Nam ut plæclarè Patriarcha Venetus: *Beneficia Dei, manu quadam spirituali jacentem erigunt* Lam. Iustin. lib. 2. de spir. resur.

& gratitudinis VINCULIS *ad Deum trahunt.*

SECUNDUS TITULUS, quo Deo specialiter obligati & devincti sumus omnes, ad nos omninò totaliter illius obsequio mancipandos, est titulus REDEMPTIONIS: de quo loquens S. Chrysostomus ait: *Cum per Iesum Christum mortuum vivamus, ei utique, ob quem vivimus, vivere debemus.* §. D. Chrys. Hom. 11. in cap. 2. Epist. ad Cor.

Quantum verò titulus hic, titulo *creationis* momenti superaddat, & quemodo Charitas Christi præfulgens in hoc urgeat nos, gratissimo perpendit animo D. Bernardus. *Si totum* (inquit) *me debeo pro me facto, quid addam pro me refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus, quam factus. Nam qui me semel & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se: & ubi se dedit me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etsi millies me rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Bernard. de dilig. Deo.

Devotè profectò suæ gratitudinis divitias ostendit hic S. Abbas, dum nimis insufficientem ad reddendum suam

paupertatem agnoscit. Hanc autem si quis etiam ad obsequium tam benevoli *Redemptoris*, pro tenuitate suâ, quod magis illi constat esse beneplacitum faciendo, detrectet impendere, gratitudinis & honestatis leges eum infringere non est dubium. Ac proinde nihil efficacius inveniri potest ad excitandam animam, cui honestas & gratitudo est cordi, ne lassetur in studio sui profectûs spiritualis, quàm meditatio vulnerum *Salvatoris*.

Luculentissimum veritatis hujus testem habemus Divum Bonaventuram: *Si vis* (inquit ille) *ô homo de virtute in virtutem, de gratiâ in gratiam, de bono in melius proficere; quotidie quantâ potes devotione, mediteris Dominicam passionem: nihil enim in animâ ita operatur universalem sanctificationem, sicut meditatio passionis Christi.*

Bonav. de passione.

Nec mirum: de Magno siquidem Alexandro legimus, quòd, cùm milites suos per vias nive plenas segniùs procedere notaret, ex equo, cui insedebat, descenderit, ut pedes eos ipsemet antecederet: ac per hoc exemplum in mediis nivibus ita milites exarsisse, ut jam non per vias ire, sed curre-

currere, sed volare viderentur. Itaque si tantam ingenua movendi pectora vim & efficaciam habeat exemplum Ducis, an admirabimur adhuc illa Sanctorum agmina, quorum oculi Salvatoris in Cruce morientis imagini firmiter inhærent, illecebrosa mundi delectamenta contempsisse?

§. E.

Vener. nostra Mater Anna à S. Bartholomæo, quæ in bullâ mundum lusit, ubi adolevit, florem ætatis Christo consecravit: diebus tamen antecineralibus, non potuit quin matris imperio urgente, choreas frequentaret. Ubi dum à chorago primæ nobilitatis, in tripudium consalutata, oculos fortè cum animo sustulit, ecce in ictu oculi, exhibuit se Dilectus omninò cruentus, hoc unum piè questus: Pergeret se dare vanitati, dum ille in tormentis; importunam hanc musicam suo luctui. Disparuit ille, & illa hoc telo saucia, ocyor euro, generoso saltu, mundo & chorago spreto ad Christum sponsum confugit.

Barry Annèe Sainte p. 1. c. 7.

Id quod de Neapolitanâ quadam nobili puella refertur, non multum est absimile: amicis enim convocatis, ut nuptui traderetur, illa se paululum

Pennequin Amour divin p. 2. c. 6.

turbæ ſubduxit, & ante Crucifixum proſtrata, hæc ſecum attentiùs expendit: *Tu Amor mi, & Redemptor animæ meæ: tu* Jesu (ait) *pro me tam dirè cruciaris, & ego voluptati operam dabo? Tu vulneribus & ſpinis conciſus, ego auro & gemmis gravis? Nimis heu! diſſimilis tui ſum amantiſſime* Jesu. Nec diu cunctata prominentes cincinnos ſibi præſcindens, illis pedes Domini concinnè alligavit. Sic progreſſa in medio amicorum cœtu, matrem alloquitur, non multis nec longè ſponſum ſibi quærendum, propè adeſſe. Et Chriſtum oſtentans, *illi* (inquit) *meos amores & virginitatem dicavi.* Nec à propoſito ſive per blanditias ſive per minas avelli potuit.

Quid Urias olim Davidi ſuadenti, ut in domum ſuam iret, corpus reficeret, genio indulgeret, reſponſi dederit ſacri codices enarrant, videlicet: *Arca Dei & Iſraël & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar in domum meam, ut comedam & bibam, & dormiam cum uxore meâ? Per ſalutem tuam & per ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Ubi nunc eſtis Chriſtianæ mentes, poteritne venire vobis

2. Reg. v. 11.

in

in cogitatione Christus cum discipulis pauper, afflictus, opprobriis, doloribus plenus, & vos in eâ relinquere tepiditatis inertiâ, ut sufficere vobis existimetis illas carnis mortificationes assumere, quas mandata præcipiunt, & non etiam illas insequi quas consilia præscribunt, & hoc ob eam interdum causam, quia consilia sunt?

Quid si præciperet ergo Deus non ultra contemni divitias, honores, voluptates, quàm præcepta requirunt? Creditisne vos, amorem verum erga *Crucifixum Redemptorem* sustinere posse, quòd omnem erga supererogatoriam mortificationem seponeretis affectum? Non posset utique: nam amor semper affectat similitudinem: unde licet obedientia conjugis hoc forsitan ab illâ posset impetrare, quòd ipsa delicias caperet exteriores, dum est in afflictione charum ejus dimidium; impossibile tamen arbitror, quòd affectu non cuperet esse particeps afflictionis. Quantò minus hoc foret possibile si maritus ad consortium invitaret?

Quisquis veraciter amat, omnia quæ §. F.
scit amicum desiderare sic accipit, quasi præciperet, in illis præpuè rebus in

quibus aliquid gratiæ fieri videtur amato. Sic legimus, quòd, cùm obsecrantem audivisset Patriarcha Joseph, patrem suum atque dicentem: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo: & facies mihi misericordiam & veritatem, ut non sepelias me in Ægypto* &c. respondérit in hunc modum: *Ego faciam quod jussisti.* Non jussionem patris audierat Joseph, sed obsecrationem & simplicissimam desiderii manifestationem: illi tamen non aliter credidit obtemperandum, quàm si reverà fuisset mandatum. Quamvis ergo divina Bonitas non omnia quæ fieri desiderat, imperiosè præcipiat, sed amorosè plurima solummodò, quasi rogando, proponat: posteriora tamen non minus quàm priora sibi persuadebunt exequenda, qui non tantùm illam reverentur ut Dominam, sed etiam diligunt ut Parentem: cujus nimirum hæc est apud Isaiam vox: *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filii uteri sui? Et si illa oblita fuerit; ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te,* clavis nimirum illis ferreis quibus me Cruci pro te affixerunt.

Gen. 47. v. 2.

Isai. 49. v. 15.

Amicorum cuidam jure meritissimo hanc

hanc ſuggerit conſiderationem D. Saleſius: potuiſſe Deum ex æquitate rectiſſimâ, non tantùm mandatorum, ſed conſiliorum etiam omnium, tam rigoroſam ab univerſis obſervantiam exigere, ut eorum quæcumque violatio foret mortalis, atque reos æterni ſupplicii conſtitueret. Et hoc quidem ob ſolum etiam tituluin *Redemptionis* eſt veriſſimum: quia ſcilicet per mortem ſuam à morte nos liberavit, & vitæ reſtituit. CHRISTO IESU (inquit D. Bernardus) *debes omnem vitam tuam, quia ipſe vitam ſuam poſuit pro tuâ, & cruciatus amaros ſuſtinuit, ne tu perpetuos ſuſtineres.* *Saleſ. lib. 2. Epiſt. 66.* Bern. de quadru. debito.

§. G.

Fas mihi ſit per hiſtoriam ſæcularem, hoc ipſum declarare. De nobili quodam, cui nomen *Gaurinus*, refertur, quòd cùm mulierem quandam, quam in matrimonium fruſtra quæſierat, mortuam intellexiſſet atque ſepultam, deſiderium illi inciderit eam adhuc ſemel conſpiciendi. Datâ pecuniâ templi cuſtodem inducit, ut noctu ſepulchrum aperiat. Sed ecce, dum amplexari vult mortuam, ſentit in ejus pectore neſcio quam cordis palpitationem: & quò ſcrutatur attentiùs, eò Catz Trouringh.

plura vitæ ſigna deprehendit. Clam igitur, cum famulo ſuo, illam ad ſuas defert ædes: & poſtquam per matris curam ac induſtriam tota convaluiſſet, ac decor priſtinus vultui rediiſſet, invitat ad convivium *Sylam* (ſic enim illius mariti nomen erat) & amicos quam plurimos. Cumque jam multa nox foret & omnes eſſent in hilaritate convivæ: *Quæſtionem aliquam* (inquit Gaurinus) *vobis omnibus habeo proponendam. Herus quidam conſpiciens graviter infirmari famulum ſuum, nec ullam ſpem ipſius vitæ reſiduam habens, foras ejecit. Sic ejectum Herus alius recepit & ſanavit. Sanatum primus Herus repetit. Negat ſecundus. Cuinam judicatis* (inquit) *quòd famulus ille debeatur?* Omnes unanimiter, & præſertim ipſe *Sylas*, famulum adjudicant illi, qui ſanavit. Hac auditâ cunctorum ſententiâ, prodit ecce quaſi ſponſa de thalamo fœmina morti erepta, maritum adit. Stupet ille, ſpectrumque credit, ſicut & cæteri. Verùm poſtquam *Gaurinus* ea quæ contingerant enarraſſet, mulieremque, ſuo juri (prout ajebat) cedens, intactam à ſe, marito proprio reſtituiſſet, ſtupor nimius infirmitatem *Sylæ* mortalem attulit. Antequam verò

verò morti debitum persolveret, vocatum ad se *Gaurinum* sic affatur : *Ecce quàm justus est Deus, tua hæc est mulier, quam mortis eripuisti faucibus* : Nec tantùm hanc illi reliquit in uxorem, sed omnes suas etiam divitias testamento donavit.

Nunc ad rem nostram. Iustumne videtur honestiores esse filios hujus sęculi, filiis lucis? Pudor sit igitur si non & nos & nostra totaliter illi consecremus, de cujus munere venit quod vivimus. Præsertim cum hoc nobis ipse munus non nisi suâ morte contulerit. Ob quem titulum, diximus jam, quòd posset omninò, si vellet, nos justissimè ad observantiam perfectionis illimitatæ astringere.

§. H.

Si possit astringere, dices, & obligare, videtur hoc ipso quod non obligat nec imperat etiam non desiderare. Imò verò per hoc ipsum quod imperiosè non obligat, illimitatam perfectionem à nobis non parum sapienterque desiderare se manifestat. Naturalem enim hanc nobis inditam esse conditionem Author ipse naturæ non potest ignorare, quòd, sicut hoc ipso quo vetitum est aliquid ad illud inclinamur; notum enim est illud, Ni-

Nitimur in vetitum semper cupimusque negata:

Vide Salesi. de Am. Dei lib. 8. c. 5.

Sic hoc ipso quo præceptum est aliquid naturaliter aversamur, in tantum ut senex quidam octogenarius Parisiis fuisse dicatur, qui ad illud usque tempus ne vel semel iverat extra civitatem: postquam verò mandatum fuisset ipsi ex parte Regis, ut nec in futurum exiret, continere se non valuerit, sed foras deambulatum prodierit. Unde si perfectionem majorem præcepto nobis Dominus injunxisset, tardiùs & difficiliùs se ad eam conditio nostra voluisset accingere: multò siquidem libentiùs ea peragimus quæ sponte nobis adimplenda præscribimus ipsimet, quàm quæ ab aliis præscripta recipimus.

Quid ex hoc inferemus, nisi quòd non debet saltem ex hoc oculus noster nequam fieri, quoniam ipse bonus est? Sed quia nullam videmus eum occasionem, suum erga nos amorem ostendendi, prætermittere: sic nec honestas patitur, ut nos omittamus ea, animo præsertim deliberato, quæ magis illi placere cognoscimus.

Etenim cum certum sit, quòd non in præterito solùm nos Deus amaverit,

rit, quando scilicet nobis & *creationis* & *redemptionis* beneficium impendit, sed etiamnum continuò nos amet impensissimè, eò quòd continuâ nos pietate conservet ac erga salutem nostram adeò vehementer afficiatur, ut, si foret expediens, pro unoquoque nostrûm (prout ex eâ patet revelatione quæ Carpo facta legitur) vitam quoque suam iterum prodigere non dubitaret: cujus precor tam sit ferreum pectus, tam dura præcordia, quæ non emolliat tanta flamma, tam ingens ardor amoris? Cujusnam animus gratitudinis impulsum non repellens, dum considerat quis nos & quales & qualiter amet, non excitabitur, ut nihil omittat, aut saltem omittere conetur eorum ad quæ nos ejus amor invitat? Quis cum Prophetâ Regio non inquiret: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Quis adjungere dubitabit: *Calicem salutaris* & resolutionem solidæ perfectionis & mortificationis sive faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius *accipiam*, *& nomen Domini invocabo*: ut qui dat incipere, det etiam perficere. Ps. 115. v. 12.

CA-

CAPUT XVI.

Quòd sit possibile *semper facere quidquid intelligitur esse perfectius.*

§. A. CUm malorum suorum, de quibus per misericordiam divinam ereptus erat, Augustinus, confessiones exararet, cur hoc ipsum faceret, hanc rationem allegat: *Confessiones malorum meorum cor excitant ne dormiat in desperatione, & dicat:* NON POSSUM: *sed evigilet in amore misericordiæ tuæ, Domine, quâ* POTENS *est omnis infirmus.* Q. D. Proclive cor hominis esse solet, ut id quod de misericordiâ Dei debet sperare, sibi fingat impossibile: in quas miserias ne fortè reincidam, propterea recolo, quàm mihi jam, opitulante Domino, facillimum ostendat experientia, & quàm mihi suave subitò factum sit carere suavitatibus nugarum, quas priùs amittere metus fuerat.

Aug. lib. 11. Confess. c. 3.

Putabam (inquit idem alibi) *me misericordiam*

rum fore nimis, si fœminæ privarer amplexibus & medicinam misericordiæ tuæ Domine ad eandem infirmitatem sanandam non cogitabam, quia expertus non eram, & propriarum virium credebam esse continentiam. In similibus omninò tenebris, quas hîc deplorat Hipponensis Antistes, versari videntur illi, qui humanam tantùm infirmitatem attendentes, & cœlestis misericordiæ memoriam deponentes, laborem non tantùm fingunt in præcepto, sed impossibilitatem etiam in majoris perfectionis consilio. *Cæterum qui ita sentit (* Doctoris Melliflui verbis utor *) videtur mihi (ut pace vestrâ dixerim) necdum gustasse, quàm suavis est Dominus, sub jugo legis gemere adhuc, nondum respirare sub gratiâ: suave jugum Christi nequaquam esse expertus, ideò certissimè adhuc infirmari per carnem, quia spiritus nondum adjuvat ejus infirmitatem.*

Aug. lib. 6. Conf. cap. 11.

Bern. de præc. & disp. cap. 15.

Ipsa nos profectò docet experientia, quàm parum nobis ipsis in controversiâ possibilitatis credere debeamus: communis enim quondam inter homines fuit opinio, quòd austeritates Regulæ primitivæ Ordinis B. Virginis de monte Carmelo sint incompatibiles cum oneribus illis quæ comitari solent

§. B.

Vide Chronica Ord. nostri lib. 1. cap. 2.

lent ſtudium ſalutis proximorum: quapropter ipſemet Eugenius Papa IV. ut Ordo Carmelitanus inter mendicantes poſſet annumerari & in vineâ Domini ſtrenuè laborare, ſupradictæ Regulæ quoad aliquot puncta rigorem moderatus eſt infirmitati condeſcendens. Verùm quid ſit à parte rei, Tereſiana reformatio, ſtudium ſalutis proximorum cum dictis jam auſteritatibus abundantiſſimè conjungens, apertè demonſtravit. Ita ſcilicet *omnia poſſibilia ſunt credenti.* Et qui veraciter in Domino confidit aſſeverare non dubitat: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Verum ſiquidem videt eſſe, quod Bernardus ait: *Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes qui ſperant in ſe.*

Marc. 9. v. 22.

Philip. 4. v. 13.

Bern. in Cant. ſerm. 58.

Poſtquam in legendâ Sancti Franciſci Divus Bonaventura narravit, qualiter ad Chriſti Vicarium, Dominum Innocentium III. ad approbationem ſuæ Regulæ obtinendam, Sanctus Pater acceſſerit, ſic de Pontifice poſtcà loquitur: *Inclinatus eſt animo, ut pium præberet aſſenſum, diſtulit tamen perficere quod Chriſti poſtulabat Pauperculus, pro eo quod aliquibus de Cardinalibus novum aliquid &*

Bonav. cap. 3. in leg. 5. Franc.

ſupra

supra vires humanas arduum videretur. Quāvis autem veritatem quandoque premi permittat Deus, nunquam tamen opprimi: quia citò vel serò sic solet ejus providentia disponere cuncta, ut oleum semper aquæ supernatet. Hoc & hîc fecit: nam *aderat inter Cardinales* (inquit S. Bonaventura) *vir venerandus Dominus Ioannes de S. Paulo Episcopus Sabiensis, omnis sanctitatis amator & adjutor pauperum Christi. Qui divino spiritu inflammatus Summo Pontifici dixit & Fratribus suis. Si petitionem Pauperis hujus tanquam* NIMIS ARDUAM, *novamque refellimus, cum petat sibi confirmari formam Evangelicæ vitæ, cavendum nobis ne Evangelium Christi offendamus. Nam si quis intra Evangelicæ perfectionis observantiam & votum ipsius dicat contineri aliquid novum aut irrationabile vel* IMPOSSIBILE *ad observandum, contra Christum Evangelii Auctorem blasphemare convincitur.* Hæc omnia Doctor Seraphicus. Cujus vel unicam hanc sententiam tanti ponderis existimaverim, ut solam sufficere dixerim ad ostendendum leves nimis esse rationes universas, quas illi trutinandas proponunt qui vel propositum vel votum majoris perfectionis arguunt impossibilitatis.

Et

Et certè nunquid ipsum quasi Deum tyrannidis aut injustitiæ, qui talia sentiunt, arguere videntur, utpote qui perfectionem, quam sacra nobis depingunt eloquia, non tantùm proponit, tanquam permittens ut nos illi conformemus; sed invitat prætereà, monet, movet, ac aliquo modo (prout jam anteà declaravimus) amorosè compellit? Ecquid enim posset iniquiùs agi, si (quòd absit) illa perfectio foret impossibilis.

§. C. Sed unde tam immensum erroris, impossibilitatem in perfecto Dei famulatu suspicantis, fluvium, tantas suis gurgitibus involventem animas, scaturire dicemus; nisi quod non ideò solent amari res quia secundùm veritatem possunt laudari; sed laudari potiùs ideò, quia secundùm vanitatem contingit amari? Inde siquidem fit, quòd unusquisque vitam illam, quam ducit, solam esse bonam in veritate, contendit: quia scilicet, *Sic amatur veritas* (inquit Augustinus) *ut quicunque aliud amant, hoc quod amant velint esse veritatem: & quia falli nolunt, nolunt convinci quòd falsi sint.* Imò potius falsos ac deceptos conantur illos ostendere, qui

Aug. lib. 10. Confess. cap. 33.

vitæ

vitæ perfectioris decorem æmulantur: asserendo videlicet, conatum eorum esse præsumptuosum; utpote qui tentet impossibilia. O si veritatem amare vellent, non tantùm lucentem, sed etiam redarguentem, non minus horrerent tenebras suas, quàm si de pravitatis hæreticæ nebulis originem traherent.

Tenebriones etenim ac novatores sęculi nostri ita Solis justitiæ splendorem sibi præcluserunt, ut ipsam affectare justitiam, & divinorum observantiam præceptorum tanquam vanum quid, & quasi possibilitatis limites transcenderet, irridere consueverint. Nec multum, ut nobis hanc falsitatem obtrudant pro veritate, sibi laborandum existimant: eò quòd impossibile videatur vel hoc solum implere quod est mandatorum primum atque præcipuum; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ* &c. Sed cum argumentum illud, quod ab actu procedit ad potentiam, fieri posse demonstrans quod actualiter fit, sit irrefragabile, solidum est omninò quod eis Catholici reponere consueverunt; eorum exempla, quos hoc ipsum præceptum implésse, divinę Scripturę testantur, adducendo. V.G. *Bellarm. Tom. 4. lib. 4. cap. 11.*

Pſ. 118. David, qui dicit Domino: *In toto corde meo exquiſivi te.* Et de eodem dicitur;
v. 10. *Non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cu-*
3. Reg. *ſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in*
14. v. 8. *toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in*
4. Reg. *conſpectu meo.* Item, de Joſiâ legimus:
23. v. *Similis non fuit ante eum Rex, qui reverte-*
25. *retur ad Dominum in omni corde ſuo, in to-*
tâ animâ ſuâ, & in universâ virtute ſuâ.
2. Paral. Item, de Asâ & populo: *In totâ volun-*
15. v. 15. *tate ſuâ quæſierunt Dominum.*

§. D. Verè quoties audio majorem perfectionem non eſſe poſſibilem, occurrit illud Davidicum: *Narraverunt mihi*
Pſ. 118. *iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua Domi-*
v. 85. *ne.* Similes autem voces non niſi vanas eſſe fabulationes iniquorum, aut ſaltem tepidorum, ab actu ad potentiam argumento non erit etiam abs re demonſtrare.

Et primò quidem (ut de Chriſto totius perfectionis exemplari, Beatiſſimaque Virgine nihil dicamus) in omni proprietate ſermonis Apoſtolos fuiſſe perfectos, in dubium revocare non licet. Si enim veræ ſolidæque ſive majoris & acquiſitæ perfectionis obligationem habuerint (prout in ſecundo libro
Cap 16. demonſtrabitur) quis eos illam non impleſſe

plesse vel suspicari præsumat ?

Deinde non tantùm, vocati à Christo, omnia reliquerunt, hoc enim non est nisi perfectionis aliquod medium particulare, sed etiam secuti sunt Redemptorem, quòd veram innuit perfectionem. Unde Hieronymus explicans illa Petri verba : *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te* ; *Petrus* (ait) *loquitur confidenter : Reliquimus omnia. Et quia non sufficit tantùm relinquere, jungit quod* PERFECTUM *est* ; *Et secuti sumus te.* Hieron. lib. 3. in Matt.

Idem etiam sine dubio de multis aliis formandum videtur judicium, quos votum illimitatæ perfectionis emisisse postea probabiliter ostendemus. Et ejusdem perfectionis acquisitæ Prælatos omnes ac Episcopos veram obligationem habere non ambigimus.

Prætereà S. Antoninus, postquam de variis Religionibus sermonem instituisset, adjunxit : *Præfatæ Religiones, quæ cum magno fervore & vitæ sanctimoniâ initium habuerunt, minima negligentes traditionum paternarum, in processu temporis paulatim defluxerunt & exinanitæ sunt usque ad fundamenta in eis ; vota scilicet substantialia.* Antonin. 2. part. Histor. titul. 15. cap. 23. Distinguit hîc S. Doctor inter initia Religionum, earumque successum,

quòd in hoc circa vota tantùm substantialia major pars langueat, in illis tamen ea multum excesserit, ac proinde nihil aliud habuerit cordi, quàm ut exequeretur id quod esse perfectius intelligeret.

Utrum defluxerit illa Religio cui dedit initium, vel potius reformationem S. Bernardus, meum non est judicare: quòd autem alumni ipsius primi, *divinæ voluntati* firmissimè cohæserint, non obscurè declarat ipse Religiosissimus Abbas, qui in festo S. Andreæ sermonem ad suos habens, postquam triplicem perfectionis gradum distinxisset, *incipientium* scilicet, *proficientium* ac *perfectorum*, ac explicasset quomodo sit *initium sapientiæ timor Domini*, *medium spes*, *charitatis plenitudo*, nec non ipsum quoque perfectæ charitatis statum vivis delineasset coloribus, in hæc verba prorumpit: *Fœlix anima quæ ad hunc* CHARITATIS *pervenerit* STATUM. Ac posteà subdit ad propositum nostrum: *Nec sanè desperandum nobis quandoque ejus qui ad hunc pervenerat statum*, Sancti videlicet Andreæ, *ob hoc maximè memoria celebratur, ut ipsius & invocemus auxilium & provocemur exemplo.* Plus dico,

Bern. in festo S. Andr. serm. 1.

dico; & ex nobis non-nullos videre videor in hoc gradu. Si dicas, Andream Apostolum esse, nec posse te, qui pusillus es, ejus sequi vestigia: PUDEAT VEL EOS QUI TECUM SUNT NON IMITARI. Hæc Bernardus.

§. E. R.P.N. Philipp. in Hist. Carm. lib. 3.

Non parum ad rem etiam facere videtur id quod in *Historiâ Carmelitanâ* scribit R. Adm. P. noster Philippus à Sanctissimâ Trinitate Congregationis nostræ Carm. Discalceatorum Præpositus modò Generalis. *Ordo noster* (inquit) *usque ad Ioannem* 44. *per tredecim sæcula regebatur solâ traditione: sic ut Superior suos exhortans gesta Majorum exponeret, Eliæ, Ioannis Baptistæ &c.* NOSSE TANTÙM VOLEBANT QUID MAIORIS ESSET PERFECTIONIS IN MAIORIBUS ÆMULANDUM: *nec necessarium erat obligationis opera inculcare.* Si hoc fecerunt tam longis sæculis tot Majores nostri, prout fecisse manifestum reddit auctoritas allegata, quis adhuc adeò perfrictæ poterit frontis inveniri, qui hoc fieri non posse contendat?

Quòd si piissimus Abbas Claræval-lensis pudore dignos, uti jam vidimus, existimet illos, qui perfectam aliorum charitatem non imitantur, quantò magis illi pudore sunt digni, qui talem per-

perfectionem velut impossibilem calumniantur? *Ad stuporem usque demiror* (inquit S. Mater N. Teresia) *considerans quòd vires non habeant rem quampiam levem superandi, quodque verè sibi ipsis persuadeant, se, licet velint, non valere deserere occasionem aliquam, & relinquere periculum per quod animam perdunt. Et quòd interim vires habeamus ac animum, tam immensam, quæ tibi Domine competit, Majestatem, aggrediendi.*

Ter. in Exclam. 12.

Quamvis autem tam excessivum ipsa significet esse numerum perfectionem abnegantium, ut vix sint reperibiles quibus in hac parte fidere liceat: ipsa tamen invenire sciebat aliquas animas, quæ, quod perfectius esse credebant, sequebantur: nec ad suam familiaritatem (ut Ordinis nostri Chronica referunt) nisi tales essent, admittebat.

Ter. Excl. 10.

Lib. 1. cap. 35.

§. F. Meritò sanè perfectorum paucitatem hoc nostro sæculo deplorat Alvarez de Paz è Societate Jesu, qui in proœmio sui operis, quod de perfectione conscripsit, inter alia plura sic habet: *In quolibet Cœnobio unum aut alterum perfectum invenies: duos vel tres qui tranquillitati & puritati cordis instant: pau-*

ciſſimos

cissimos qui suis affectibus imperent & humilitatem ac sui despexionem concupiscant: Reliqui verò non iniqui sunt & mali (absit ut hoc de Religiosis existimem) sed in cultu Dei tepidi, in virtutum desiderio remissi, & in studio perfectionis incuriosi. Videas eos immodestos, loquaces, inanis gloriæ cupidos, honoris avidos, studiis vanis & negotiis sæcularibus distractos: cellæ quietem fugiunt, psalmodiam aversantur, lectionem parvi pendunt, orationem fastidiunt: Amant concursus populorum & tanquam monstra quædam sub externâ Religionis imagine vitam præferunt sæcularem.

Miseriæ verò similium volens occurrere P. Alvarez suum ad hoc se conscribere Tractatum de perfectione significat, quam, ne quis experientiâ fortè dicat se didicisse, non possibilem, hac eum appositissimè refellit similitudine, per Cassianum edoctus: *Neque enim si quis natandi ignarus, sciens pondus corporis sui ferri aquarum liquore non posse,* Cass. Coll. 7. cap. 4. *experimento suæ voluerit imperitiæ definire, neminem penitus posse liquidis elementis, solidâ carne circumdatum sustineri, idcirco vera ejus opinio judicanda est, quam secundùm experientiam suam visus est protulisse, cum hoc non solùm* NON ESSE IMPOSSIBILE, *sed etiam* PERFACILE *ab aliis fieri, ratione certissimâ*

tissimâ, & oculorum fide non dubiâ, comprobetur.

Ita similiter perfectionis possibilitas indubiè comprobatur: nam si dissimulare nolueris, invenies etiam nunc animas hominum utriusque sexus, qui nihil advertenter omittunt eorum, quæ Deo magis placere sibi persuadent. Quid ergo solidius inde concludemus, quàm Augustinianum illud: *Tu non* POTERIS *quod isti & istæ? An verò isti & istæ in semetipsis* POSSUNT *& non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum dedit eis. Quid in te stas & non stas? Proiice te in eum: noli metuere, non se subtrahet, ut cadas: proiice te securus, excipiet & sanabit te.*

Aug. lib. 7. Conf. cap. 11.

§. 6. Verumenimverò nimis insultum existimaverim, si exempla tam frequentia studeas elidere, dicendo: quòd supradicti potuerint quidem, sed non nisi cum gratiâ speciali & extraordinariâ: ac proinde non ex hoc debere concludi, quòd illud in omnium sit potestate constitutum. Peto siquidem quid per illam gratiam specialem & extraordinariam velis intelligi? Si intelligas eam quæ tantùm in paucioribus efficax est, sic etiam specialis est omninò gratia, nec non & extraordinaria per quam

quam quis etiam ſubſtantialia tantùm Religionis vota perſolvit; quæ tamen perſolvi poſſe dicendum eſt abſolutè. Si verò intelligas eam, quæ dici deberet miraculoſa, & extra totalem curſum gratiæ ordinariæ: id quod cum tali gratiâ fit, non eſſe dicendum communiter poſsibile, confiteor ipſemet: ſed hoc hîc aſſerere nimis omninò foret, in tam numeroſis, quæ jam attulimus, exemplis, miracula multiplicare.

CAPUT XVII.

Quòd non ſit difficile *ſemper facere quidquid intelligitur eſſe perfectius.*

§. A.

DIfficilior alicui fortaſsè probatio videatur, quòd non tantùm non ſit impoſsibile, ſed ne difficile quidem majori perfectioni operam dare: præſertim cum omnes conſentiant in hoc, quòd ſuperas evadere ad auras, hoc opus, hic labor eſt. Imò cum Veri-

tas

Matt. 7. v. 14. tas ipsamet dicat: *Quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam?*

Sed organum veritatis etiam erat ille, qui Deum sic alloquebatur: *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Nec hoc dicebat Psalmista cum perditionis, sed cum salvationis, imò perfectionis viam ambularet, vel potius curreret. Si latam & spatiosam hanc viam experiebatur Propheta, quid est (inquies) quod eadem à Salvatore vocetur angusta vel arcta? *Laboranti angusta est* (respondet in præfatum locum Augustinus) *amanti lata est. Eadem quæ angusta est lata fit:* quando scilicet consuetudo prava, consuetudine bonâ successu temporis superatur.

Ps. 30. v. 9.

Hinc est quòd à veritate nihil aberrare credendus sit solidissimus ille Divi Hieronymi stylus, quando scribit: *Asperam nobis & insuavem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo: quæ si in partem alteram transferatur, invenietur semita justitiæ levis.* Unde notatu dignissimum etiam illud Senecæ prolatum scimus: Non ideò timent homines virtuti se dare, quia difficilis est; sed ideò difficilis est, quia timent.

Hieron. Ep. 2. ad Cleric.

§. B. Non sine mysterio Christus Dominus,

nus, *Venite* (inquit) *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matt. 11. v. 28. At quomodo reficiet? *Tollite* (ait) *jugum meum super vos:* quasi in jugo divinæ servitutis, *perfectæ libertatis* consolatio pariter & refectio non possit non esse recondita. Sapienter itaque disserit Ambrosius; *Suscipite jugum Christi: nolite timere, quia jugum est: festinate, quia leve est. Non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis? Quid procrastinatis?* NON OBLIGAT CERVICEM VINCULO, SED MENTEM GRATIÂ COPULAT. Amb. lib. de Eliâ & jejun. c. 22.

Nullamne continet igitur (inquies) difficultatem & obedientiæ totalis, & totius Christianæ perfectionis assiduum studium? Imò non exiguam, sed si exiguâ cum resolutione procedat. Et hoc est quod nos egregiè docet D. Bernardus, ita scribens: *Non nego difficultatem tantæ inesse perfectioni, sed si ipsa corde imperfecto præsumitur.* Et post pauca: *Istiusmodi carnalem* (inquit) *animam non modò premi, sed etiam opprimi pondere præsumptæ perfectionis necesse est: quia non potest portare caro infirma, quod solus spiritus experitur, jugum esse suave & onus leve. Christi quippe jugum & onus est & omninò importabile, nisi Christi æquè spiritui.* Bern. de præc. & disp. c. 13.

Quòd

Quòd si perfectio major in longis consisteret peregrinationibus, difficultatem posset claudus prætexere; si in librorum lectionibus, oculis lippus; si in productis jejuniis, corpore debilis: Verùm cum non consistat nisi in charitate, quis obsecro poterit esse difficultati locus?

℣. C. Estne fortassis alicui difficile Deum amare? Nega, vel affirma. Si negas, nega pariter difficultatem in eo latêre; quod à dilectione Dei nihil omninò discrepat, in exercitio videlicet eorum quæ Deo quis esse magis grata cognoscit. Non tantùm amor ipse facilis est, sed cuncta reddit etiam facilia. *Nullo modo onerosi sunt* (inquit Augustinus) *labores amantium*; *sed ipsi delectant, sicut venantium. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur.* Sanctus etiam Bernardus: *Ubi* (inquit) *est amor, ibi non est labor, sed sapor.*

Aug. de Sā. Vid.

Bern. in Cant. serm. 85.

His tamen non obstantibus, si tu contendas in amore Dei difficultatem latere, difficulter profectò meipsum contineo, quin ut alter Jacoponus insaniam & exclamem: *Ut ametur* Amor *difficile judicatur.* Amor *non amatur:* Amor *non amatur.* Deus amor est, ecquid potest

est amari faciliùs, cum nihil nisi per eum veraciter sit amabile.

Non amamus certè nisi bonum. Non amamus domum nisi quia bona est, non amamus arborem nisi quia bona est, non amamus hominem nisi quia bonus est, quomodo ergo non amabimus ipsum bonum? Non bonum aliquod, quod alio bono vel alterius bonitate bonum est, sed quod seipso bonum est. Quomodo non amabimus Bonum bonum, hoc est, ipsam Bonitatem, per quam bona sunt omnia, quæ verè bona sunt?

Nulli prorsus rei dicendum est esse difficile, tendere ad centrum suum, in quo requiescat. Et quodnam est, quæso, centrum cordis nostri? Magnum Augustinum interrogemus: *Fecisti nos* (ait) *Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Ne verò quis cordis pondus aut inclinationem, uti corporis, suum in inferioribus centrum putet quærere, audiat eundem amantissimum Dei Præsulem. *Corpus* (inquit) *pondere suo nititur ad locum suum. Pondus non ad ima tantùm est, sed ad locum suum. Ignis sursum tendit, deorsum lapis. Ponderibus suis aguntur, loca sua petunt.*

Aug. lib. 1. Conf. c. 1.

Aug. lib. 13. Cōf. cap. 9.

runt. Oleum infra aquam fusum, supra aquam attollitur : aqua supra oleum fusa, infra oleum demergitur. Ponderibus suis aguntur, loca sua petunt. Minus ordinata, inquieta sunt : ordinantur & quiescunt. Pondus *meum, amor meus : eò feror, quocumque feror.* Dono *tuo,* Domine, *accendimur, & sursum ferimur. Inardescimus, & imus. Ascendimus ascensiones in corde, & cantamus canticum graduum. Igne tuo, igne tuo bono, inardescimus & imus: quoniam sursum imus ad pacem Ierusalem.*

Fateor quidem, inquies, quod sursum, quòd ad Deum nitatur anima : sed *corpus quod corrumpitur aggravat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Verè sic est, si multa sensus cogitet, si ad multa se dispergat & dividat. Si verò seipsum recolligat & ad unum unicumque Deum intendere studeat, assumet pennas ut aquilæ volabit & non deficiet, volabit & requiescet in Domino Deo suo.

Prov. 9. v. 15.

Vide Bern. in Ascens. Dō. serm. 3.

Nunquid apertissimi veritatis hujus testes sunt omnes Apostoli, qui *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine* Iesu *contumeliam pati?* Testes sunt: & hoc ipsum clamat in lætitiâ de venis ebulliens sanguis

Act. 5. v. 41.

Mar-

Martyrum. Teſtes ſunt innumerabilia propemodum agmina Religioſorum, qui terrenas ſpernentes conſolatiuncu-las, centuplum verè gaudium, à Do-mino promiſſum invenerunt.

Et quid inveniunt, obſecro, tepidi, quid in ſervitio divino remiſsi? Nun-quid experiuntur eſſe veriſsimum illud Sapientis: *Iter pigrorum quaſi ſepes ſpina-rum?* Cur non igitur & ipſi excutiunt pulverem de pedibus ſuis, & ad hoc feſtinant gaudium, ad quod & hunc & illum, & ſexcentos alios perveniſſe conſpiciunt? *Ille quidem ſic* (inquit ex eorum perſonâ Mellifluus Abbas) *ego fortè non ita. Delicatus ſum, homo pecca-tor ſum; nec ſubſiſtere in tanto labore ſine gratiâ multâ, nec ipſam gratiam valeo pro-mereri.* Verùm quid ad hoc idem San-ctus reſpondeat audiamus. *Æſtimas, ô ho-mo quia perſonarum acceptio eſt apud Deum, & non omnes omnia relinquentes tam copio-sè conſoletur? Noli eſſe incredulus: Aquieſce vel Veritati de cujus teſtimonio nulli licet du-bitare fideli. Et* OMNIS, *inquit, qui reliquе-rit patrem, aut matrem, aut domum, aut agrum propter nomen meum, centuplum acci-piet. Neminem Chriſtus excipit. Miſeri igi-tur ſunt qui dicunt, præter nos, qui exclu-dunt* Bern. in declam.

dunt ſemetipſos & excipiunt à beneficio generali.

Etenim cum declaraſſet idem Sanctus, aliquibus Religioſorum contingere, quòd centuplum illud gaudiorum non conſequantur hoc inde provenire, quòd non ex toto perfectioni ſtudendo, propriæ voluntatis neſcio quid retineant, ita ſubnectit: *Magis perfectus obſecro relinquat omnia, & ſolum ſequatur Chriſtum, jactans cogitatum ſuum in Deo, enutriendus ab eo, & centuplum ſine dubio percepturus. Pretioſa divina conſolatio eſt, nec omninò tribuitur admittentibus alienam.* Hæc & plura videre licet in declamationibus D. Bernardi. Ex quibus hoc præcipuè licet eruere, quòd conſolatio ſolida non tribuatur aliis, quàm qui perfectioni ſolidæ navant operam.

Tales experiuntur Davidicum illud: *Secundùm multitudinem dolorum meorum,* Pſ. 93. v. 19. Domine, *conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Et iſtud etiam Paulinum: *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ.* 2. Cor. 7. v. 4. Si ſuperabundat Apoſtolus gaudio in omni ſuâ tribulatione, nunquid plus quàm ſuperabundat in ipsâ conſolatione? Nunquid plus ungit amor, quàm pungit labor? Quid

Quid de hoc sentiat Virgo Seraphica satis ex his, quæ scribit, appareret. *Tu Domine Deus* (inquit) *supra omnem rationem naturalem res quaslibet ita possibiles & factibiles reddis, satis ut ostendas, nihil, quò omnia* FACILIA *reddas, amplius desiderari, quàm ut te serò sincereque diligamus, & propter nomen tuum verè omnia relinquamus. Unde benè apteque hîc dicere possumus, Domine, te laborem in lege tuâ fingere: nullum enim ipsa in eâ video.* Ter. in vitâ suâ cap. 35.

Non igitur erit difficile diligenti Deum animæ semper illud facere quod intelligit esse perfectius. Imò verò plus aliquid ausim dicere, videlicet; quòd multò foret difficilius animæ Deum veraciter & ferventer amanti, vel etiam amare cupienti, quod perfectius esse videt, *divinæque voluntati* conformius, omittere, quàm hoc ipsum facere.

Fatebor ingenuè: vix intelligere valeo, quomodo possit anima, religiosa præsertim & orationi studiosa, dicere, quòd Deum amet, quòd in ipsius amore crescere cupiat, & omittere tamen quod ei cognoscit magis placere, sciens nullum inde sibi damnum, sed maximum etiam emolumentum proventurum. Ecquis enim judicet

eum ſapere vel ſeriò procedere, qui proteſtatur, quòd amicum ſuum diligat, & omittit tamen quòd non tantùm amici ſui deſiderio, ſed proprio quoque profectui magis conforme judicat. Da amantem, da deſiderantem animam, & quod ſcribo & quod legit intelligit.

§. E. Verùm ſicut omnia amanti ſunt facilia, ſic inculcare non deſino, quòd omnia languenti ſint difficilia: & quòd ſicut conſolationem habet ſuper conſolationem qui totâ mentis intentione perfectioni incumbit, ſic tribulationem habeat ſuper tribulationem qui negligenter procedit. *Hoc dicere ſcio* (verba ſunt doctrinæ cœleſtis) *iſthunc vivendi modum, ita acerbum ac difficilem eſſe, ut nullus eo fingi vel dari poſſe videatur difficilior.*

Ter. in vitâ ſuâ c. 8.

Quàm amara fuerint Auguſtino quondam *vincula* cupiditatis, ipſe non obſcurè depingit: *Rui* (inquit) *in amorem, quo cupiebam capi.* Sed quid ibi mellis invenit? *Deus meus* (exclamat) *miſericordia mea, quanto felle ſuavitatem illam, & quàm bonus, aſperſiſti, ut cæderer virgis ferreis ardentibus zeli, & ſuſpicionum, & timorum, & irarum, atque rixarum.* Ita S. Pater Auguſtinus. Cujus aliud adhuc

Aug. lib. 3. Conf. cap. 1.

huc lamentum lubet adjungere. *Efferbui miser* (inquit alibi) *sequens impetum fluxus mei: & excessi omnia legitima tua, nec evasi flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Nam tu semper aderas misericorditer sæviens & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas jucunditates meas.* Aug. lib. 2. Conf. cap. 2.

Magnus est igitur similium labor & dolor, in quorum comparatione magna prorsus eorum est consolatio, qui propter exiguum, verum tamen, amorem Dei renuntiant illicitis omnibus. Sed si hæc ipsa similium consolatio, consolationibus eorum qui licita simul etiam abnegarunt, comparata, non pura foret putaque miseria, non diceret S. Mater N. Teresia conspiciens mundum sub pedibus suis: *Miserebar eorum qui sequebantur illum, quamvis in rebus etiam* LICITIS *foret?* Ecquid eorum qui non illicitis, sed licitis solummodò mundi rebus adhærent Seraphica Mater miseretur? Nunquid congratulatione potius, quàm commiseratione digni sunt tales? Sunt utique, si comparentur illis, qui ne quidem ab illicitis abstinent. In eorum verò comparatione qui licita quoque mundi tanquam immunda despiciunt, quo- Ter. in vitâ suâ cap. 4.

quorum anima, nisi in solo Deo requit consolari, qui cum S. Augustino suspirant ad hoc ut solum Deum possideant *ad solatium*, cætera verò cuncta non aliter quàm *ad servitium*, tota supradictorum felicitas non est nisi miseria miseriarum, nisi labor & dolor immensus.

§. F. Nunquid miseri sunt, qui cœlum inter ac terram quasi penduli, nec eam, quam suis amatoribus pollicetur vanitas, consolationem percipiunt, utpote qui nolunt ipsius nutibus obtemperare: Eam verò quæ de cœlesti fluit abundantiâ tam modicè percipiunt, ut eâ carere potius quàm frui sint dicendi? Vel an dubitas forsitan, hoc ita tepidis evenire? Quid S. doceat Bernardus audi: *Indignus* (inquit) *consolatione cœlesti convincitur, qui dubio quærit affectu; duplici petit intentione, aliud sibi refugium parans, si fortè eam non obtinere contingat.*

Bern. in declam.

Et hoc est, quod se lamentatur olim expertam S. Mater N. Teresia: *Non fruebar* (inquit) *Deo* nec ejus reficiebar deliciis: *neque ullam è mundo voluptatem capiebam. Cùm enim in mundanis eram recreationibus* (indubiè licitis) *mox ut in mentem redibat, quid Deo deberem, quandam in*

Ter. in vitâ suâ cap. 8.

eis

eis amaritudinem sentiebam. Dum verò cum Deo conversabar, affectus & desideria mundana me perturbabant. Et hæc pugna ita quidem pœnosa est, ut nesciam quomodo eam vel ad mensem ferre potuerim, nedum per tot annos: per 20. videlicet, ut ante dixerat.

Ecquis milites illos qui sic cum hoste confligunt, ut, quamvis eum de mari venientem, in civitates suas non admittant, in littore tamen pedem permittunt figere, unde civitates ipsas possit adoriri, non adhuc miseros esse judicet in aliorum comparatione, qui nullo prorsus loco sinunt hostem consistere, sed fluctuantem in mari despiciunt, ac insultando tormentorum bellicorum tonitruis classem salutant? Primis illi sunt similes, qui in licitorum saltem amore consentiunt inimico: Secundis autem qui non minus in licitorum quàm illicitorum amore dissentiunt. Hi sunt qui defensivo prælio non contenti, spontaneis hostem impulsibus aggrediuntur, & spolia pretiosissima (animas, dico, fidelium) de faucibus ejus, solidiora fidei documenta prædicando populis, eripiunt.

De primis autem, si, ut aliis ducatum §. Ge-

catum præbeant, cathedras ascendant, quid dicam? Dicat, obsecro, quid hîc sentiat Virgo Seraphica. *Ducum* (inquit) *nomine digni non sunt: nec permittat Deus eos cellâ suâ egredi. Plus enim oberunt, quàm proderunt: Non enim jam tempus est ut imperfectiones* (plenè scilicet voluntariæ) *notentur in iis, quorum est alios instruere & docere.* Nihil dissonat hæc sententia, ab eâ quam significat D. Thomas, ita scribens: *Nullus debet assumere prædicationis officium, nisi priùs fuerit purgatus, & in virtute* PERFECTUS. Sanctus etiam Bernardus eandem doctrinam integrâ concione confirmat: ut videre poterit qui volet in Cant. serm. 18.

Ter. in viâ perfect. c. 3.

D. Thõ. p. 3. qu. 41. art. 3. ad 1.

CAPUT XVIII.

Inter peccata plenè *& tantum* semi-plenè voluntaria, *maximè notanda distinctio.*

§. A. QUamvis ea quæ diximus ad ostendendam non tantùm possibilitatem

itatem ; ſed etiam facilitatem perfe-
ctionis illimitatæ , adeò ſint ſolida , ut
a negare Chriſtianorum valeat nemo:
non defuturos tamen crediderim , qui
æc in ſpeculatione quidem habere lo-
um , non autem in praxi , reſpondeant.
Hanc verò frivolam evaſionem ſe poſ-
e ſtabilire credant , ex humanæ vo-
untatis infirmitate : Cum enim ſcia-
nus tum ſacrâ docente Scripturâ, tum
ipsâmet experientiâ ſuffragante, quòd
epties cadit juſtus. Item: *In multis offendimus,* Prov.
mnes. Ac iterum: *ſi dixerimus quoniam pec-* 24. v.
atum non habemus ; ipſi nos ſeducimus & 16.
eritas in nobis non eſt: in noſtrâ nequa- Jac. 3. v.
quam poteſtate poſitum videtur , ut 2.
ſemper ea , quæ Deo noſcuntur ma- 1. Joan.
gis eſſe grata , perficiamus. 1. v. 8.

Verumenimverò ſi quis ita præſu- §. B.
meret intendere ſtudio perfectionis ma-
joris , ut ab omni ſe prorſus peccato
ſervaret immunem , non parum ille de-
ciperetur. Sed hoc nequaquam præ-
ſumunt qui tali ſtudio prudenter in-
cumbunt. Verùm eſt , ad quod ſpe-
cialiter adverrunt , videlicet quòd
ſit

DISTINCTIO MAXIMA,
maximeque notanda inter defectus,

imperfectiones, ac etiam peccata, quæ per ignorantiam ſive per inadvertentiam aut etiam cum advertentiâ tantùm ſemiplenâ, adeoque cum voluntate nullatenus ex toto conſentiente, committuntur: & alia peccata quæ fiunt cum advertentiâ pariterque voluntate totaliter plenâ.

Peccatis primi generis tanquam pulvere quodam in hac vitæ viâ neceſſe eſt etiam religioſa corda ſordeſcere. Sicut videlicet ſiccitatis tempore non ſe poſſunt itinerantes ab omni pulvere liberos cuſtodire. Verùm ſicut ſtultorum eſt in ſordibus de induſtriâ volutari, nec non in pulveribus ſibi complacere: ſic etiam qui ſecundi generis peccata committunt, ad ſcientiam Sanctorum nondum pervenerunt, ſed ſtultorum inſtar voluntariè ſe commaculant, non percipientes beatitudinem eorum, qui puro corde Deum videbunt.

§. C. Uno libet aut altero Sanctorum aſſerto doctrinam hanc declarare pariter & confirmare: cumque nobis hîc præcipuè ſit agendum de propoſito Seraphico, nullius, mihi videtur, in hac parte, doctrina, momenti nobis eſt majo-

majoris æstimanda, quàm quæ de Seraphico S. Matris nostræ Teresiæ calamo fluxit. *Quoad peccata venialia* (inquit hæc) *omnem date operam, ut* ADVERTENTER ET SCIENTER *nulla admittatis : quis enim non multa quotidiè committat? Sed alia est* ADVERTENTIA SATIS PRÆCOGITATA ET PRÆMEDITATA, *alia verò* ITA RETENTINA ET SUBITA, UT IPSA PECCATI VENIALIS ADMISSIO ET HÆC ADVERTENTIA POENE UNUM QUID SINT, *& eodem momento contingant, vix ut percipere possimus quid faciamus. Sed liberet nos Deus, ne quod peccatum, quantumvis exiguum* VALDE ADVERTENTER ET SCIENTER *admittamus.* Hæc & plura quoad peccatorum (& eadem est ratio imperfectionum) distinctionem scribit Magistra cœlestis. Ter. in viâ perf. cap. 41.

Subscribit illi S. Franciscus Salesius, vivacissimam, ad hoc declarandum, adducens similitudinem, & dicens: *Muscæ morientes, inquit Sapiens, perdunt suavitatem unguenti: quod idem est, ac si diceret; Muscæ quæ super unguentum moras non trahunt, sed tantùm leviter & transeunter aliquid sumunt, nihil aliud, quàm quod accipiunt, corrumpunt. Quando verò in ipso unguento moriuntur, præstantiam ipsius ipsi-* Salesius Introd. ad vit. dev. part. 1. c. 22.

ipsi tollunt & omninò deperdunt. Eodem etiam modo peccata venialia ad devotam animam accedentia, nec diuturnas in eâ moras trahentia, non nisi parum damnificant. Sed si eadem peccata diu morentur in animâ, eò quòd eis affectu adhæreat, omnem procul dubio suavitatem unguenti, hoc est sanctæ devotionis, perdere faciunt.

S. D. Greg. in 7. Psal. pœnit.

Eandem etiam doctrinam eruere possumus ex his Divi Gregorii verbis: *Sancti viri* (ait) *licet magnis jam virtutibus polleant, habent tamen adhuc de culpæ obscuritate quod feriant: Et licet magnâ jam vitæ claritate luceant, aliquas tamen peccati nebulas, velut quasdam noctis reliquias,* NOLENTES *trahunt.* Notandum hîc principaliter occurrit illud verbum, *nolentes*, quo indicatur videlicet esse quædam, eorum etiam, qui totis viribus perfectioni incumbunt, peccata: sed hæc tamen esse talia, ut non nisi semiplenè voluntas consentiat, & dissensum potius quàm consensum in fundo cordis retineat.

Patet autem quòd hic modus delinquendi valdè diversus ab eo sit, quo delinquere solent alii, qui cum advertentiâ seu deliberatione plenâ, nec non integro consensu, peccata committunt.

Ta-

Tales enim defectus, quantumvis exigui, adeò sunt notabiles, ut verum perfectionis studium cum illis stare nequaquam possit: defectus autem ex parte solummodò voluntarii non impediunt, quo minus quasi sine defectu, servire quis Deo perfectè censeatur. Ecquis enim non dicat eum Deo perfectè servire, qui toto corde ad tam perfectam voluntatis suæ cum *Dei voluntate* conformitatem ac unionem aspirat, ut, quamvis per humanæ fragilitatis inadvertentiam diversi soleant ei casus obrepere, nihil tamen admittat voluntariè sive spontaneè quod eum in hac viâ possit retardare: & sexcentas etiam vitas mallet prodigere, quàm vel latum unguem ab eâ declinare?

Postquam præcellens ille Mysticæ Theologiæ Magister Vener. Pater N. Joannes à Cruce dixisset hæc verba: *Clarum est, quòd, ut anima per amorem ac voluntatem se Deo uniat, carere debeat imprimis ex toto affectu propriæ voluntatis, quantumvis etiam minimo*: statim hoc explicat in hunc modum: *Hoc est* (inquit) *ut* ADVERTENS ET SCIENS VOLUNTARIE *non consentiat in imperfectionem. Dico autem*, SCIENS, *quia sine reflexione vel scientiâ* V.P.N. Ioan. à Cruce in Ascens. Mont. Carm. lib. I. c. 11.

tiâ vel absque quòd PLENE *sit suæ voluntatis aut potestatis, facilè & in imperfectiones & in peccata venialia cadet.*

§ E. Unum igitur est solummodò quod est incompatibile cum vero statu sive studio perfectionis, imperfectio videlicet plenè voluntaria: quæ quidem imperfectio cum non possit aliùnde procedere, quàm ex adhæsione quadam erga rem creatam, hinc eam committenti rectissimè dicitur: *Consurge, consurge: induere fortitudine tuâ; solve* VINCULA *colli tui captiva filia Sion.*

Isai. 52.

Sola memoria distinctionis inter defectus plenè & tantùm semi-plenè voluntarios mirum est quantoperè conducat ad intelligentiam congruam eorum quæ plurimi, de cavendis levissimis defectibus, solent conscribere. Sic v.g. quando quis, distinctionem hanc memoriâ retinens, in D. Thomâ legit: *Quilibet debet potiùs mori, quàm peccare, non solùm mortaliter, sed etiam venialiter*; nullam hujus effati suspiçabitur impossibilitatem: prout alius interdum faceret allegatæ distinctionis ignarus.

D.Th. 22. a.4.

Item, quando legit in D. Bernardo: *Ea quæ audivi vel vidi nunquam eo modo, quo dicta vel facta sunt referre possum: sed*

Bern. Tract.de inter.domo cap. 30.

alia

alia affirmo pro aliis, & sæpè multa interse-ro superflua: atque ita vel nimium laudando vel vituperando FERE QUOTIES LOQUOR, MENTIOR; occasionem deliberatè mentiendi nullatenus inde sumet: quia satis intelliget S. Patrem hîc referre sua mendacia, quæ citra deliberationem humanæ fragilitati subrepere consueverunt.

CAPUT XIX.

Quidnam sit de industriâ *deficere, declaratur ex D. Thomâ.*

AD quæstionem illam quâ petitur: *Utrum aliquis peccet ex certâ malitiâ?* respondet in hunc modum Divus Aquinas: *Respondeo dicendum quòd homo, sicut & quælibet alia res naturaliter habet appetitum boni: unde quòd ad malum ejus appetitus declinet, contingit ex aliquâ corruptione seu inordinatione in aliquo principiorum hominis: sic enim in actionibus rerum naturalium peccatum invenitur. Principia autem humana-* §. A. D. Th. 1. 2. q. 78. art. 1.

manorum actuum sunt intellectus & appetitus, tam rationalis, qui dicitur voluntas, quàm sensitivus.

Peccatum igitur in humanis actibus contingit quandoque sicut ex defectu intellectus, puta, cùm aliquis per ignorantiam peccat: Et ex defectu appetitus sensitivi, sicut cùm aliquis ex passione peccat: ita etiam ex defectu voluntatis, qui est inordinatio ipsius.

Est autem voluntas inordinata quando minus bonum magis amat. Consequens autem est ut aliquis eligat pati detrimentum in bono minus amato, ad hoc, quòd potiatur bono magis amato: sicut cùm homo vult pati abscisionem membri etiam scienter, ut conservet vitam, quam magis amat. Ita per hunc modum, quando aliqua inordinata voluntas aliquod bonum temporale plus amat, puta, divitias vel voluptatem, quàm ordinem rationis, vel legis divinæ, vel charitatem Dei, vel aliquid hujusmodi, sequitur quod velit dispendium pati in aliquo spiritualium bonorum, ut patiatur aliquo temporali bono. Nihil autem est aliud malum quàm privatio alicujus boni: & secundùm hoc aliquis scienter vult aliquod malum spirituale, quod est malum simpliciter, per quod bonum spirituale privatur, ut bono temporali potiatur. Unde dicitur ex certâ malitiâ vel INDUSTRIÂ *peccare*

tare, quasi SCIENTER *malum eligens.*

Hanc Divæ Thomæ doctrinam si quis attentè consideret, tres peccatorum causas interiores inveniet: quarum prima est ratio vel intellectus, dum quis videlicet ex ignorantiâ peccat: secunda sensitivus appetitus & tunc dicitur homo peccare vel ex passione vel ex infirmitate: tertia demum ipsamet voluntas, ex quâ si quis delinquat, peccare dicitur ex malitiâ sive de industriâ.

§. B.

Nullus verò scientiæ Theologicæ coloribus vel levissimè tinctus, dum quis ex ignorantiâ vel ex infirmitate peccare dicitur, ex eo quod primi peccati causa sit intellectus, secundi verò sensitivus appetitus, hoc ita sibi persuadebit intelligendum, quasi voluntas non soleat in peccatis similibus intervenire. Nullatenus istud: nihil enim potest esse peccatum, nisi in quantum est voluntarium: sed vel intellectui vel appetitui sensitivo peccatum ascribitur in illis casibus, in quibus hæ causæ sic interveniunt ut non ex solius voluntatis electione peccatum procedat: *Ille qui peccat* ex ignorantiâ vel *ex passione* (inquit D. Thomas) *peccat quidem* ELIGENS

D.Th. 1. 2. q. 78. art. 4. ad 3. GENS, *non tamen* EX ELECTIONE: *quia electio non est in eo primum peccati principium, sed inducitur* ex ignorantiâ vel *ex passione ad eligendum id, quod extra passionem existens non eligeret.*

Ex hoc autem quod nihil sit peccatum nisi in quantum est voluntarium, omninò sequitur, quòd illa peccata, quæ sic peraguntur ob intellectus aut appetitus sensitivi defectum, ut voluntas in electione suâ sibi non fuerit ex toto præsens, adeò non sint gravia, sicut sunt alia quæ committuntur ex voluntatis electione plenariâ.

Bern. de præc. & disp. cap. 14. Unde solerter explicat hunc Samuelis locum D. Bernardus: *Quasi peccatum hariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ* NOLLE *acquiescere*: dicit enim: *Non est id ipsum* NOLLE OBEDIRE *& non obedire: Hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam & infirmitatis: illud verò aut odiosæ pertinaciæ aut contumaciæ non ferendæ.*

Quandoque fieri potest, quòd vel ignorantia vel passionis violentia tanta sit, ut totaliter etiam à peccato excuset. Quando verò prædictæ causæ sic influunt in peccatum, ut non excusent ex toto; excusant tamen ex tanto secundùm quòd influunt: nisi forsitan

vel

vel ipſamet ignorantia vel paſſionis vehementia trahat originem ex integrâ præviæ voluntatis electione.

Quia verò peccata quæ fiunt ex malitiâ ſunt omninò peſſima, hinc eſt quòd illa dici ſoleant eſſe contra Spiritum ſanctum, utpote cui bonitas attribuatur: ſicut illa quæ fiunt ex infirmitate contra Patrem, & quæ fiunt ex ignorantiâ contra Filium, eò quòd huic ſcientiam, illi verò potentiam ſoleamus aſcribere.

§. C.

Et hæc quidem in peccatis mortalibus præcipuè locum habent: quoad alia verò quæ ſunt venialia tantùm, negari non poſſe videtur mihi, quin ex tribus etiam cauſis ſupradictis originem trahere ſoleant, ſic, ut fiant vel ex ignorantiâ vel ex infirmitate vel ex malitiâ: quæ tamen malitia non debet intelligi ſic ut ſignificet id quod eſt plenè malum ſive ſimpliciter: *eò quòd peccata venialia* (ut inquit Doctor Angelicus) *non excludant bonum ſpirituale quod eſt gratia Dei vel charitas: unde non dicuntur mala ſimpliciter, ſed ſecundùm quid.*

D. Th. 1. 2. q. 78. art. 2. ad 1.

In peccatis ergo venialibus, quando quis dicitur ea facere ex malitiâ,

hoc sic debet intelligi, quòd voluntas in eis omninò plenum consensum præbuerit, hoc est, non violentata quasi vel per intellectus ignorantiam vel per appetitus sensitivi potentiam.

Hoc verò fieri posse non minus in venialibus, quàm in mortalibus peccatis omninò patet, ex eo, quòd non minus potest voluntas pleniſſimè consensum præbere pro furto unius assis v. g. quàm pro furto centum florenorum.

Quòd si quis igitur hujusmodi peccata venialia vocari non velit *ex malitiâ*, sed potius *de industriâ* quia scilicet malitiam simpliciter (ut jam ex D. Thomâ didicimus) non habent, assentiemur illi. Multoque magis adhuc assentiemur, si hoc locum habere dicat in defectibus illis, quibus non tam Deus offenditur, quàm ab illius amore perfecto receditur: sic ut in tali sensu quadrare videatur illis, qui sic deficiunt, hic sacræ Scripturæ locus: *Quasi* DE INDUSTRIÂ *recesserunt à Deo & vias ejus*
Job. 34. v. 27. *intelligere noluerunt.*

Etenim cum tria sint viarum genera quibus itur ad Deum, nam aliqui timent & mandata custodire satagunt, alii

alii sperant; & consilia substantialia mandatis superaddunt, alii verò diligunt, & ad omnia quæ Deo sciunt esse gratiora festinant; quacumque tandem ex hisce viis incedant aliqui, à Deo propriè dici non possunt recedere; sed tamen duo primi quasi recedunt ab eo de industriâ si sibi complaceant in imperfectione suâ, non studentes seriò vitæ meliori, & vias ejus nolunt intelligere: vias nimirum illas quibus ipse ambulavit inter nos; & tanquam Dux noster & Antesignanus ostendit non tantùm quò, sed etiam quà sit eundum. Felix omninò David, qui vias hasce, vias amoris, vias amabiles, vias charitatis scire desiderans, obsecrabat: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Infelices illi, qui vias hasce nolunt intelligere & à Deo quasi recedunt de industriâ. Psal. 24. v. 4.

§. D.

Inter alia sacræ Scripturæ loca, quę nobis apertiùs quidnam sit aliquid facere *de industriâ*, possunt ostendere, videtur id quod olim Booz dicebat pueris suis in favorem Ruth, optantis colligere spicas remanentes: *Etiamsi vobiscum* (inquiebat) *metere voluerit, ne prohibeatis eam, & de vestris quoque manipu-* Ruth. 2. v. 16.

lis projicite DE INDUSTRIÂ. Fieri vix aut non potest, quòd manipuli frumentorum tam diligenter ab agricolis colligantur, quin hinc & inde quædam spicæ fugiant manus metentium : benè tamen cavere solent ne projiciant *de industriâ*. Similiter etiam fieri non potest quin multæ virtutis occasiones per inadvertentiam vel aliter elabantur ; sed eas *de industriâ* velle projicere non est sapientum, non est nisi tepidorum & in amore Dei remissorum.

In illâ Magni Patris Augustini notissimâ per Christianum orbem sententiâ, *Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat* : ecquid significare posse dicemus illud, *minus*, & illud *propter te* ? An minus quàm faciunt in cœlis angeli vel beati ? Non tantùm hoc, sed etiam minus quàm vera charitas hujus viæ postulat & requirit ; si videlicet amor quo creatura diligitur, talem in animâ locum habeat, ut illa res ad *potiorem Dei voluntatem* perficiendam non dirigatur, sed de industriâ, hoc est, per liberam omninò sibique præsentis voluntatis electionem, *voluntas Dei potior* seponatur, ut illa creatura retineatur.

Aug. lib 10. Cõf. c. 29.

Ad

Ad pleniorem ac intimiorem intelligentiam differentiæ quæ reperitur inter imperfectiones tepidorum & alias imperfectiones Hagiophilorum, id est, sanctitatem veraciter amantium: illud præcipuè convenit advertere, quòd Hagiophili suas etiam imperfectiones, quas ex ignorantiâ vel infirmitate committunt, ad ipsam *Dei voluntatem* perficiendam dirigant habitualiter: ex hoc enim quod sacratum formarunt propositum faciendi semper ea quæ scient Deo magis esse grata, per liberam voluntatis electionem, amorem omnium creaturarum sepositerunt, ut sola *Dei voluntas* adimpleatur. Hæc autem electio, hoc propositum tam diu remanet in animâ donec per electionem contrariam aut propositum incompatibile retractetur: unde cum ex vi talis electionis taliſque propositi nihil admittere decreverint, quo *voluntatem Dei potiorem* non adimpleant, ipsas etiam imperfectiones suas ad *voluntatis* istius adimpletionem, propter illam, quæ latet permanenter in fundo cordis, resolutionem, dirigunt. Verum quidem est, quòd, pro illo tempore quo suas committunt imperfectiones, plus ali-

quo modo rem creatam diligant, quàm *potiorem Dei voluntatem*, sed hæc dilectio fit tantùm per modum transeuntis & ad fundum cordis non penetrat.

§. E. Ponamus exemplum in Petro, qui, postquam Seraphicum de majori perfectione propositum efformavit, subitaneâ quadam irâ commotus in alium irridentem ipsum & inhonorantem, eundem irridet etiam ac inhonorat; sed ad se reversus veniam à Deo petit, & ab illo præterea cum quo fuit altercatus; si *voluntati divinæ* magis hoc placere sibi persuadeat. Amavit quidem Petrus, qui sic ex infirmitate deliquit, honorem suum plus quàm *potiorem Dei voluntatem* in illo actu: sed tamen hic actus ipsemet ad *voluntatem Dei* perficiendam à Petro dirigitur ex vi illius quod permanenter in fundo cordis est statutum: & inde fit quòd statim aç est sibi redditus, propositi sui veritatem faciat elucere. Talis igitur Hagiophilus non minus Deum amat, quàm vera solidaque præsentis vitæ perfectio postulat; nam licet aliud amet cum Deo, hoc ipsum tamen amat *propter Deum*.

In tepidorum autem imperfectionibus,

nibus, aliter se res habet: Nam cum ipsi de industriâ suas facere soleant imperfectiones, hoc est, quòd videntes ex unâ parte *voluntatem Dei potiorem*, ex aliâ verò parte rem creatam quam depereunt, ut hanc eligant illam seponunt, hinc nullo modo dici possunt has imperfectiones suas ad *potiorem Dei voluntatẽ* implendam dirigere: Nemo enim potest aliquid ad aliud dirigere, nisi hoc ipsum ad quod dirigeret in suâ, per electionem aliquam, habeat intentione: *voluntatis* autem *divinæ potioris* adimpletionem in suâ nequaquam intentione tepidus habere solet, ac licet habuisset anteà, quando tamen imperfectionem aliquam facit de industriâ, tunc hanc ipsam intentionem revocat: eò quòd per electionem plenariè liberam & in fundo cordis absque vel ignorantiâ vel passionis alicujus violentiâ, voluntas ipsius *potiorem Dei voluntatem* seponat, ut eâ, quam diligit, creaturâ potiri valeat, cogitando v. g. quòd res illa parvi sit momenti, vel quod non teneatur ad hujusmodi perfectionem vel aliquid simile.

Fierine potest ergo, Deus bone! quòd frequenter animæ tuis assuetæ §. F.

colloquiis, intentæ meditationibus, adeò tuæ dilectionis perfectionem solidam seponant, adeò perfectissimæ *voluntatis* tuæ soliditatem parum æstiment, ut non ex ignorantiâ, non ex alicujus internæ commotionis pertranseuntis violentiâ, sed ex voluntate sibi per omnia præsente, per electionis ponderationem, vilissimas creaturas potiori *voluntati* tuæ præponant? Fierine potest, ut si petatur ab eis, utrum non videant hunc vel illum agendi modum esse contra perfectionem, has vel illas rerum possessiones esse contra potiorem *Dei voluntatem*; in promptu hoc responsi habeant: *Alii sic faciunt, tales vel tales habent res adhuc pretiosiores, non sumus ad illam perfectionem obligati*, vel aliquid simile? Fierine potest, quòd anima Deum per fidem agnoscens & videns in unâ quidem re *sæculi cupiditatem*, in aliâ verò *potiorem Dei voluntatem*, illi dicat; *veni, te volo*; huic autem; *vade, te nolo*?

Quis unquam crederet, si non ipsammet clamantẽ audiret experientiam, ad tantam cordis inertiam plurimos etiam cordatissimorum devenire, quòd aspicientes ex unâ quidem parte dul-

ciſſimos *divinæ voluntatis* amplexus, ex alterâ verò parte *cupiditatis infeliciſſimæ* nexus, quorum jam longo tempore pondus & miſeriam ſunt experti, carere non curent his, ut exultent in iſtis? O quantâ es digna compaſſione quæcumque talis es anima, cui proinde recantare non deſino: *Solve* VINCULA *colli tui captiva filia Sion.*

Siſte lector hîc, & animadverte diligenter ſitne fortaſſis aliquod ſimilium vinculorum in corde tuo, per quod alicui creaturæ ſic adhæreas, ut modo jam dicto, hoc eſt, *de induſtriâ*, quidpiam omittas eorum quæ Creatori tuo magis eſſe beneplacita recognoſcis. Quòd ſi vinculorum hujuſmodi reperias vel minimum, ut velociter illud abrumpas, Chriſtianâ tibi charitate devinctus ſuadeo. Faxit Deus, ut perſuadeam: quia vinculum illud qualecumque fuerit, niſi tollatur, ecce dico tibi, quoniam quantumvis perſuaſum habeas, quòd dives ſis, & nullius egens, & locuples, decipi te graviter, eò quòd tu verè miſer ſis, & miſerabilis, & pauper, & cœcus & nudus. Ac propterea *ſuadeo tibi emere* à Deo *aurum ignitum, probatum* (hoc eſt, ferventem

§. 6.

Apoc. 3. v. 18.

tem ac defæcatam à plenè voluntariis imperfectionibus charitatem) *ut locupples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ: & collyrio inunge oculos tuos, ut videas.*

O quàm est ille felix! ô quàm beatus cui non est satis modo quocumque tandem Deo cohærere, sed omnia prorsus vincula quæ mala sunt, vel minus saltem bona, seponens, in ipso charitatis vinculo dulcissimè requiescit.

§. H. Qualiter hoc vinculum distinguat à cæteris Divus Bernardus, juvabit intelligere. Hic, postquam dixit quòd tria sint vincula quibus Deo copulamur, sic ut primum sit tanquam *funes*, secundum tanquam *clavi lignei vel ferrei*, tertium tanquam *gluten*: *Primum* (inquit) *astringit fortiter & durè, secundum fortiùs & duriùs, tertium suaviter & securè.*

Bern. fol. 363.

Fune *quodammodò alligatus est Redemptori, si quis fortè dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum, memoriam promissionis; & hoc interim se* Fune *retinet ne propositum penitus abrumpatur. Durum profectò vinculum & molestum, sed & periculosum nimis, & quod*

diu

diu durare non possit. Siquidem putrescunt FUNES *& pudoris vinculum aut obliviscimur aut abrumpimus citò.*

Est autem qui CLAVIS *configitur Domino Majestatis, quem timor Dei ligat, qui non expavescit ad vultum hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum. Et hic quidem peccare non metuit, sed ardere. Durius tamen est, & fortiùs primo imprimitur: quia cum ille vacillet in proposito, iste propositum non amittit.*

Tertius verò GLUTINE *ei conglutinatur, id est, charitate: qui tam suaviter quàm securè ligatus, adhærens Deo, unus spiritus est cum eo. Iste est qui quæcumque, undecumque, sive quæ facit sive quæ ei fiunt ad suum commodum revocat & retorquet. Beatus hujusmodi homo, & abundanti spiritus influens majestate, qui suavis & unctus portat omnes & neminem onerat ipse: qui terribilius & horribilius ipsâ gehennâ judicat, vultum Omnipotentis* SCIENTER *offendere.*

CA-

CAPUT XX.

Unde quis cognoscere valeat, utrum de industriâ *vel aliter deficiat. Et quantum defectus alii conducant ad profectum.*

§. A. QUandoquidem defectus, non illos qui vel per ignorantiam vel per infirmitatem, sed illos qui per deliberatam ac plenam voluntatis electionem, hoc est, *de industriâ*, committuntur, insinuaverimus esse *vincula cupiditatis*, quæ disrumpere convenit, ut habere possimus ignitum & probatum perfectæ charitatis aurum: ut, dum nostræ voluntatis erga creaturas tolluntur adhæsiones, ea semper exequi valeamus quæ magis conformia sunt beneplacito Creatoris: Et cum prætereà nullum sit dubium quin defectus plurimi quotidie committantur ab Hagiophilis

philis omnibus, præcipuè tamen ab eis qui Seraphicum de perfectione majori propoſitum recenter efformarunt, conſolationi crediderim non exiguæ futurum ſimilibus, ſi declarare poſſimus, undenam cognoſcere cum aliquâ probabilitate valeant, utrum defectus illi, quos ſe committere conſpiciunt, *de induſtria* peragantur, adeoque damnoſis adhuc ſint vinculis irretiti; vel utrum ſolummodò fiant aut per ignorantiam aut per infirmitatem, adeoque cum gratiarum actione Domino valeant jubilare: *Dirupiſti vincula mea*: ac per conſequens, utrum hoc aurum divinę charitatis, quod ſe ſperant habere, veraciter ignitum ſit & probatum ac defæcatum, an verò ſecus. Hinc eſt quòd eis *lapidem lydium* conabimur exhibere, poſteaque demonſtrare defectus illos qui non de induſtriâ fiunt, ad profectum conducere. Pſ. 115. v. 17.

§. B.

LAPIS LYDIUS per quem probabiliter explorare quis poteſt, cujuſnam ſit valoris aurum divinæ charitatis quod à Domino ſe ſperat emiſſe, nullus mihi videtur magis exactus poſſe reperiri, quàm *humilis pœnitentia*, ſeu voluntas illos defectus humiliter emendandi.

Hanc

Hanc verò doctrinam ex melleo D. Bernardi stylo sugere possumus: ille siquidem, postquam dixisset, quòd ipsa Religiosorum professio sive Regula non præcepta solùm præscribat, sed etiam remedia, ita subnectit: *Illum sanè dico securum, qui, etsi interdum limitem obedientiæ præterit, consilium non respuit* POENITENTIÆ. *Regulares namque terminos (etsi sæpè deliquerit) non evadit, qui censuræ, quæ ex Regula est, disciplinam non subterfugit. Pars siquidem Regulæ est regularis correctio: & in eâ reperitur non solùm bonæ vitæ instructio, sed etiam emendatio pravæ. Inveniuntur in eâ & præcepta obedientiæ, & inobedientiæ remedia,* UT NE PECCANDO QUIDEM à REGULÂ RECEDATUR.

Bern. de præc. & disp. cap. 16.

Hæc Divi Bernardi verba quamvis specialiter dicta videantur, quoad illam Regulam, quam suis alumnis Religio statuit: quoad illam tamen Regulam quam sibi prætereà verus perfectionis amator accipit, & secundùm quam omnes suas actiones dirigere satagit, nempe *divinam voluntatem*, hæc etiam sunt verissima: quòd nimirum in eâ non tantùm sint actionum dictamina, sed subrepentium etiam defectuum flagella,

gella, sic *ut ne peccando quidem à Regulâ recedatur.*

§. C. Dolendæ sunt vices, non eorum, qui, postquam minus recti quid admiserunt, mox ad dolorem & pœnitentiam, quam dolor solet producere, convertuntur, sed eorum qui tanquam si laudabiliter egissent post imperfectiones admissas omni dolore carent. *Tunc semper* (inquit S. Mater N. Teresia) *vobis timeo, quando, quam committitis, imperfectio, nullum omninò vobis scrupulum & dolorem movet: nam ob peccatum, tametsi veniale sit, jam tum constat vos contristari & dolere interiùs debere: quemadmodum* (*Deo laus*) *jam quidem sentire vos credo.* Ter. Cõcept. amor. divin. c. 2.

Appositissimâ deinde similitudine rem declarat eadem Magistra cœlestis: *Unum* (inquit) *notate, & illius, amore mei, recordemini. An non dum quis vivus est, quantumvis parum ab aciculâ pungatur, id sentiet; uti & spinulæ puncturam, quantumvis ea parva sit? An non ergo si anima mortua non sit, sed vivum quendam amorem Dei habeat, magna hujus gratia est, quòd dum minimam infringit Regulam, quam professæ sumus, & ad quam tenemur, ex hoc dolorem sentiat?*

Quo-ad

Quò-ad hunc doloris ſenſum, quem Seraphica Virgo magnam dicit eſſe gratiam & ſignum vivi amoris, illud eſt advertendum; ſufficiens eſſe quòd dolorem quis habeat & ſit ad ſatisfaciendum paratus, nec anguſtari debere ſi non ſentiat: imò nec ſeipſum nimis urgere vel quaſi premere quatenus dolorem hunc ſenſibilem exprimat, aut lachrymas eliciat. Prima ſiquidem & præcipua ſcientiæ Sanctorum hæc eſt *Maxima*, quæ non immeritò, propter excellentiam, *Maxima Maximarum* poſſet appellari, quòd omnem oporteat in ſimilibns cavere violentiam & anxietatem nimiam: ſic ut magna ſuavitatis & quietis cura ſemper habeatur, ac ſcrupuloſa quædam punctualitas evitetur.

Deſidero (ſcribebat olim filiæ cuidam ſuæ ſpirituali S. Saleſius) *ut legas caput* 41 *Viæ perfectionis P. V. Tereſiæ, multum quippe tibi proderit ad intelligendum id quod toties inculcavi tibi, quòd non oporteat in exercitio virtutis & perfectionis eſſe nimis punctualem. Sed oportet* (inquit) *ambulare rotundè, ſecurè, candidè, moribus antiquis, groſſo modo.*

Saleſ. lib. 3. Epiſt. 13.

Gratioſum prorſus eſt, quod in aliâ

aliâ quadam ſcribit epiſtolâ. *Cordis tui pellem* (ait) *velim eſſe non nihil duriorem, ut propter pulices dormire non omittas.* Hoc eſt, ut propter tentationes vel ſubrepentes etiam imperfectiones animæ tuæ quietem non amittas. Saleſ. lib. 2. Epiſt. 6.

Nec mirum videri cuipiam debet iſtud: nam cum illæ culpæ ſive defectus qui vel ex ignorantiâ vel ex infirmitate committuntur, humanæ conditioni tantoperè ſint annexi, quòd in amoroſiſſimâ quoque duorum hominum converſatione nunquam non illos inveniamus, inde fit quòd hujuſmodi defectus amicitiæ vinculum deſtruere non ſoleant, ſed illud firmare potiùs ac roborare. Nunquid videmus illud quotidie, quòd, cùm amicus per ignorantiam vel infirmitatem amici læſus, eum qui læſit humiliatum propterea videt ante ſe, dilectionem ſuam illi non tantùm non ſubtrahat, ſed ardentiùs etiam ac robuſtiùs impendat?

Quid Auguſtinus, quoad amantium indolem, expertus fuerit audiamus. *Capiebant* (inquit) *animum colloqui & corridere & viciſſim benevolè obſequi, ſimul legere libros dulciloquos, ſimul nugari & ſimul honeſtari,* DISSENTIRE INTERDUM §. D. Aug. lib. 4. Conf. cap. 8.

sine odio *tanquam ipse homo secum, atque ipsâ* rarissimâ dissensione condire consensiones plurimas.

Ex illis culpis quæ non tam procedunt ex integrâ voluntate, quàm ex humanâ fragilitate, quando certum habet amicus ex humiliationis indiciis, has taliter obrepsisse, ne vel minimum quidem (si non sit irrationabilis) offendi solet: imò verò potius amanti amans, lædenti læsus compatitur, ex eo quod videat ipsum lædentem inde pati. Propter alias autem culpas, aut omissiones eorum quæ nō urgebat quidem amicus omnimodè, sed tamen se demonstrabat appetere, quantumvis etiam illæ sint parvi momenti, imò potius in illis quæ parvi sunt momenti, dum ex integrâ sciuntur voluntate procedere, justas non raro querelas solent deponere, dicendo, quòd nunquam v. g. cogitassent res tam exiles ab amico sibi denegandas.

Etenim cum Deus summè sit bonus, quamvis verum sit universaliter, quòd nulla mala permitteret nisi majora inde sciret bona elicere, de illis tamen malis hoc specialiter posse dici videtur, quæ materialiter potius quàm

quàm formaliter mala sunt. Hinc etiam apud Psalmistam legimus: *Quomodo miseretur pater filiorum misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Ac proinde videtur, quòd peccata venialia plenè voluntaria sint istius naturæ, quòd facilè quoad illa possit homo veniam consequi: quæ verò non nisi semi-plenè sunt voluntaria hoc habeant, quòd ipsamet per se veniam mereri videantur, eò quòd homo non tam illa faciat, quàm patiatur. Ps. 102. v. 13.

§. E.

Admirabilis omninò videtur illa petitio, quâ David obsecrat, dicens: *Judica me Domine secundùm justitiam meam.* Ut quid enim non tantùm judicari desiderat hîc, qui dicit alibi: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine*, sed hoc ipsum adhuc judicium fieri petit secundùm justitiam suam, quasi verò falleretur Apostolus, dum asseverat, quòd justitiam suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sint subjecti? Quid sibi vult illud: *secundùm justitiam meam? Secundùm justitiam meam* (inquit D. Basilius) *idem est ac dicere: ad mensuram humanæ fragilitatis justitiam meam judica, quoniam nos homines in multa dilabimur incom-* Psal. 7. v. 4. Rom. 10. v. 5.

moda ob inconsiderationem, inexperientiam, ac fragilem conditionem: quæ injustitias nostras coram divinâ justitiâ excusant & minuunt.

Involuntarias igitur adhæsiones illas, è quibus similia procedunt, & quas in animabus suis omnes omninò Christiani, dum in hoc vitæ præsentis degunt exilio, latere conspiciunt, si modò voluntas eis à parte rei dissentire potius quàm consentire, propter continuum eas diminuendi studium, sit dicenda, non tanti facere debent, ut inde cadant animo: nec etiam cogitare se probatum ac ignitum divinæ charitatis aurum nondum accepisse, frequentiorem licet in eo scoriam reperiant. Habet hoc enim vitæ præsentis miseria, quod nunquam adeò purum divinæ charitatis aurum hîc habere possimus, quin aliqua semper scoria supersit adhuc excoquenda. Etenim quamdiu ignitum est hoc aurum, id est, in camino pœnitentiæ ferventer incensum, non potest non esse, pro modulo præsentis vitæ, probatum.

§. F.

Bonav. de 6. alis Seraph. cap. 3.

Sanctus Bonaventura: *In hoc* (inquit) *differunt laudabiles Religiones & jam dilapsæ, non quòd nullus peccans in laudabilibus reperiatur,*

niatur, sed quòd nullus impunè peccare sinatur. Eodem quoque modo : Non in hoc differt laudabilis quicumque Religiosus & jam dilapsus, quòd laudabilis sit absque peccatis, sed quòd peccatorum veram habens displicentiam, illa continuò corrigere nitatur: & insuper ut corrigantur ab aliis enixè desideret.

Unde notatu dignissimam hanc scribit sententiam Episcopus Gebennensis: *Signum evidens perfectionis est,* VELLE CORRIGI. Eandem quoque doctrinam stabilire videntur ea quæ D. Bernardus asserit in hunc modum: *Nullum est omninò præsentis charitatis certius testimonium, quàm desiderium gratiæ amplioris : quoniam ipse dicit: Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient.* Salesi. lib. 6. Epist. 55. Bern. Serm. 2. de S. Andr.

Quòd si cupias ut succinctè præscribam, quidnam Hagiophilo, cùm se deliquisse videt, magis expediat, aures accommoda. *Humilia te* (scribit Episcopus præfatus) *& divinæ misericordiæ fiducialiter innitere: veniam continuò postula. Factáque novâ fidelitatis protestatione, profectus tui studium animosè prosequere.* Mirum est, & præter eos qui sunt experti vix aliquem posse concipere crede- Salesi. lib. 4. Epist. 25.

diderim, quantæ sit efficaciæ, quantique solatii frequens illa ferventque, fideliter in posterum adhærendi *divinæ voluntati* protestationis renovatio. Grossiorem defectum aliquem se commisisse quis videt post efformatum de majori perfectione propositum, & cecidisse turpiter: Quid inde? Non cadat animo, sed cautiùs in posterum se processurum coram Domino protestetur. Sed fortè per illum casum (inquis) formatum anteà propositum est retractatum. Quid inde? Retracta jam casum: & renova protestationem. Verùm hoc me (dicis) affligit, quòd ad hanc usque horam verum perfectionis illimitatæ propositum non habuerim; & sic renovare non valeo quod ante non fuit. Non fuerit: esto. Tu tamen, si sapis, illud jam saltem novum formare ne dubites, & dic Deo tuo, quia sic ea quæ scies esse perfectiora facies in posterum, tanquam si nihil feciſſes huc usque. Nunquid hoc est veraciter adimplere quod scribit Apostolus: *Quæ retrò sunt obliviscens ad ea quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in* Christo Jesu?

Philipp. 3. v. 13.

Et

§. 6. Et hæc quidem ad consolationem eorum maximè qui sacrum veræ perfectionis intentum nuperrimè conceperunt, breviter indicanda credidi, ne propterea salutis partum vitâ carere judicent quòd dolores sentiant aut etiam se non sentire doleant, sed inde potius eum vivere sibi persuadeant. Imò licet advertant & à Sanctis & à Scriptoribus spiritualibus multa quoad perfectionem assignari tanquam necessaria, quorum nihil quasi se adhuc facere conspiciunt, v. g. quòd cum gaudio debeamus humiliationes acceptare, quòd in præsentiâ Dei semper oporteat ambulare, non ob hoc tamen animo debent cadere: sed altâ mente repostum conservare, quòd, dum scribuntur similia vel dicuntur ad perfectionem esse necessaria, non hoc sic intelligere debeant, quasi protinus ac incipiunt, hæc à parte rei debeant exequi; sed tum quia requiritur, ut illi qui profecerunt in statu perfectionis acquisitæ, sive qui in solido perfectionis studio per aliquod notabile tempus Domino servierunt, illa de facto soleant peragere; tum quia debent ut actu faciant ipsimet etiam incipientes

allaborare nec de industriâ contrarium operari.

Huic doctrinæ consonat id quod scribit S. Mater N. Teresiâ, dicens: *Incipientes dum in libris omnibus, de oratione & contemplatione conscriptis, inveniunt ea quæ sunt agenda nobis, flocci v. g. facere quòd siniſtrè de nobis loquantur, imò gaudere magis ex hoc quàm si nos dilaudarent, cadunt animo, propterea quòd se videant nondum talia posse perficere.* Sed cum sit prorsus aliud perfectum totaliter esse, & perfectioni diligenter incumbere, non debere quospiam propter involuntarios defectus hujusmodi, quos emendare contendunt, animo deficere, monitum est ejusdem Virginis, adjungentis: *Non se fatigent, sed sperent in Domino*, qui nimirum faciet ex obrepentibus, contra statutum animi propositum, imperfectionibus, etiam proventum.

Ter. in vitâ suâ cap. 31.

Singularem olim in novitiâ quadam, non obstante simili imperfectione, perfectionem se inveniſse commemorat S. Franciscus de Sales, in tantùm quòd ex illo conatu, quem in ipsâ notabat, contra displicentem sibi magnoperè defectum proprium, asserere non dubitaverit: Optare se cum eodem defectu tam

Sales. Discurs. spir. 14.

tam humilem quoque magnanimitatem habere, vel tam magnanimam humilitatem.

§. II.

Prosunt igitur ipsimet illi defectus, in quos licet anima vel per ignorantiam vel per infirmitatem quandoque prolabatur; omninò tamen cavet, ne planè voluntarium omninò consensum præbeat: sed, quantum patitur ipsius infirmitas, contra semper agit, atque luctatur.

Prosunt in primis ad abnegationem propriam, ut eò minus videlicet ipsimet Hagiophili sibimetipsis cõplaceant, minusque se diligant, quò magis in se conspiciunt ea, quæ displicent & odio prosequenda judicant. Et sic dum semper illis displicet id quod sunt, ad id perveniunt quod non sunt; quantoque magis ita sibi moriuntur, tantò perfectiorem in Domino vitam consequuntur.

Prosunt illis insuper ad majorem in oratione fervorem: quia secundùm Gregorium, *Mala quæ nos hîc premunt ad Deum nos ire compellunt.* Sicut equos lædunt calcaria, sic animas generosas pungentia præter voluntatem vitia: quapropter non est mirum, si velociùs ad Deum accurrant. Unde

Unde nostro quoque possunt aptari propositò quæ D. Ambrosius asserit in hunc modum. *Sancti* (inquit) *Domini qui consummare pium certamen gestiunt & currere cursum salutis, sicubi fortè, ut homines corruerint naturæ magis fragilitate quàm peccandi libidine, acriùs ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina: ut non solùm nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam* VELOCITATIS INCENTIVA CUMULASSE. Ita scilicet adimpletur illud Apostoli: *Virtus in infirmitate perficitur.* Ex quo fit, quòd illa peccata quæ nos paulatim obruerent si supra nos essent, elevent nos, dum illa, plenum eis consensum denegando, deprimimus infra nos.

Ambr. Apol. 1. cap. 2.

2. Cor. 12. v. 9.

Prosunt etiam ad ardentiorem charitatem: quia non aliter quàm ventus, illius flammas adaugent. Et sicut dum infantes horrore quodam corripiuntur, amorosiùs ad maternos amplexus properant, sic omninò fit animabus, divinæ bonitati, dum proprias horrescunt imperfectiones, intimiùs se unire satagentibus. Unde patet illum nequaquam aberrasse qui dixit: *Diligentibus Deum* OMNIA *cooperantur in bonum. Omnia*, dixit; ac per hoc nec ipsa quidem

Rom. 8. v. 28.

dem peccata ſecrevit; adeò ut felices aliquo modo dici poſſint illæ culpæ, in quas inculpabiliter quaſi prolabuntur animæ.

Proſunt tandem ad profundiorem humilitatem: dum enim proprias erubeſcunt imperfectiones Hagiophili, nihil niſi quod abjectum eſt ſibi proprium perſuadent. Et ſic aſcendunt ſuper occaſum, ut ubi ſe magis annihilant, ibi magis in Deum tranſeant. Hinc optimè D. Gregorius: *Divinæ profectò pietatis* (inquit) *diſpenſatione agitur, ut qui aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, ad humilitatis celſitudinem ſuâ melius infirmitate ſublevetur: quatenus dum parva reprehenſibilia humiliter patitur, inde meliùs in juſtitiæ virtute roboretur.* §. I. Greg. in 2. Pſal. pœn.

Inſignem hanc D. Gregorii doctrinam S. Antiſtes Genevenſis non ignoravit: hinc eſt quòd exclamare non vereatur: *O charas imperfectiones, quæ nobis noſtram manifeſtant miſeriam, & nos in humilitate proprioque deſpectu exercent!* Saleſ. lib. 5. Epiſt. 42.

Ecce quàm verè dicere poſſumus, quòd, Domino de malis bona faciente, conſequamur *ſalutem ex inimicis noſtris*: Nam per hoc ipſum quod nos intricare ſtudent inimici, materiam præbent Luc. 1. v. 71.

evaden-

evadendi; quia scilicet materiam præbent humiliandi: per cujus virtutis exercitium unicè dissolvi posse vincula, si contracta fuerint, aut necdum habita evadi, satis ostendit illa revelatio, quâ S. Antonius aërem plenum retibus & laqueis, ad capiendas videlicet animas, conspiciebat: Suspirans enim cùm ingemiscceret; *Ecquis Domine poterit evadere?* divinum ei responsum insonuit: Humilis. Indicans per hoc apertissimè, quòd illa quæ sursum in aëre tenduntur retia tunc optimè quis possit evadere, quando se non erubescit inclinare.

In vitâ S. Antonii.

Ut in Seraphico proposito prudentiùs error evitetur ab humilitate decet incipere, per humilitatem proficere, & in humilitate consummare: ut sic nos ad finem usque perseveranter humiliando supremum illum æternæ beatitudinis gradum obtinere valeamus, in quo propter suam superbiam ipse primus Seraphim perseverare non valuit.

CAPUT XIX.

Quòd propositum Seraphicum *sit* honestissimum.

D. Bernardus considerans hoc dictum Salvatoris: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Item: *Si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius* quàm gentiles *facitis?* Denique & universaliter: *Cum feceritis omnia quæ mandata sunt vobis, dicite quia servi inutiles sumus, quæ facere debueramus fecimus,* monet hæc eadem esse ac si dicat: *Si solis contenti estis præceptis, & traditionibus impositæ legis, & non sponte etiam perfectionis vos consiliis & suasionibus mancipatis, liberi quidem estis à debito, non tamen pro merito glorioſi. Evasistis pœnam, sed non acquisistis coronam.* §. A. Luc. 6. Matt. 5. Luc. 17. Bern. de præc. & disp. c. 19.

Ad Christianæ pietatis gloriam & decorem verè non sufficit, circa communia languere præcepta & hoc non tam est amare Deum quàm timere pœnam:

pœnam : nemo quippe Deum veraciter amat, nisi cujus est cum Deo in omnibus idem *velle*, & idem *nolle*. Ad hujus gloriæ claritatem facillimè possunt illi pervenire, qui vincula cupiditatis grossiora fregerunt, qui paupertatem, castitatem & obedientiam secundùm aliquam Regulam Deo promiserunt, dummodò verum adhibeant studium in eis quæ restant semetipsos etiam superandi ; non cogitando quòd sufficiet illis in hoc aut illo devotionis exercitio supra quàm obligati sunt vires exerere, sed animosè confidendo & enitendo, ad generalem rerum omnium creatarum abnegationem, cum auxilio Domini, paulatim pervenire.

Laudabilia sunt omnia devotionis exercitia, quæ cum hac intentione sive conatu fiunt : alia verò quæ tali vitâ destituuntur, quasi mortua sunt. Etiamsi viderem Titium v. g. Sancto Josepho tantoperè devotum, ut ad honorem ipsius & templa construeret, & sæpissimè jejunaret & montes etiam transferret, imò corpus suum traderet ad comburendum, si tamen scirem illum ardorem charitatis, & universalem rerum omnium etiam licitarum

rum nec habere, nec ad eam cordialiter aspirare, quantumvis ille se per devotionem hujusmodi glorioſum existimaret, ego tali gloriæ profectò non inviderem: *Omnis* enim *gloria filiæ Regis ab intus.* Psal. 44. v. 14.

§. B.

Sicut aquila cœteris præcellit avibus, sic cæteris etiam Christianis, tam Religiosis quàm sæcularibus, anima, quæ rebus omnibus omninò terrenis, tam licitis quàm illicitis, affectu supervolat tanquam domina, nulliſque se subjicit tanquam ancilla.

Etenim dum rebus aliquibus aliter quàm propter Deum afficitur anima, quamvis illæ non sint illicitæ, per hoc tamen nihil omninò minus facit, quàm si se famulam illarum constitueret: eò quòd sicut famula ductum heræ sequitur cui famulatur, sic & anima quoque rerum quibus afficitur: in quantùm enim illis conglutinatur amore, in tantùm suam perdit *libertatem*; nec aliud facere posse videtur, quàm quod permittit amor illarum. Has autem nugas dum anima contemnit, nec aliter quàm vult Creator, creaturarum utitur obsequio, sicut Deo servit sic illis principatur. Unde perappositè dictum est à

est à S. Augustino, quòd hoc sit animæ rectum temperamentum, ut Deo subdita corpori rebusque corporeis omnibus atque creatis dominetur: ac per hoc in altum super illas extollatur.

Aug. lib. 7. Conf. cap. 7.

§. C.

Job. 39.

De aquilâ dicit Propheta Job, quòd *in arduis ponet nidum suum.* Quem locum explanans S. Gregorius: *Hoc* (inquit) *esse speciale specimen electorum solet, quòd sic sciunt præsentis vitæ iter carpere, ut per spei certitudinem noverint, se jam ad alta pervenisse, quatenus cuncta quæ præterfluunt sub se videant, atque omne quod in mundo eminet amore æternitatis calcent. Hinc est enim quòd sequenti se animæ per Prophetam Dominus dicit: Sustollam te super altitudines terræ. Quasi quædam namque inferiora terræ sunt damna, contumeliæ, egestas, abjectio; quæ ipsi quoque amatores hujus sæculi, dum per latæ viæ planitiem ambulant, vitando calcare non cessant. Altitudines autem terræ sunt lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor & sublimitas dignitatum, quæ quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quod magna putat. At si semel cor in cœlestibus figitur, mox quàm abjecta sint cernitur, quæ alta videbantur.*

Greg. lib. 3. Moral. cap. 19.

In hac sententiâ verbulum illud,

figitur,

figitur, dum ait: *Si semel cor in cœlestibus figitur*, suâ non caret enargiâ: subitaneos enim quasi volatus ad excelsiora videas eos etiam, qui licitis adhuc adhærent, interdum facere: sed nullam ibi stabilitatem vel nidum stabilem habent. Sic ut initia conversionis Sancti Patris Augustini conveniant hujusmodi, de quibus ipse loquitur in hunc modum: *Non stabam frui Deo meo; sed rapiebar ad te* Domine *decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo & ruebam in ista* phantasmata rerum corporalium *cum gemitu, & pondus hoc consuetudo carnalis.* Aug. lib. 7. Conf. cap. 17.

Atque ut ex hac ipsâ similitudine, quam sacræ nobis Paginæ suppeditant, intelligere possimus, quantum vel splendoris vel emolumenti hæc tanta mentis altitudo complectatur, cogitandum est, ita, ac si quis corpore in aërem sublevatus in ipsis nubibus, sede fixâ constitisset. Nam hoc exemplo ficto, ex eo quod fieri non potest; cognoscemus quid in animo geratur, in quo id fieri potest, & fit quotidie. Igitur si quis eo loco, quem dixi, corpore degeret, ei tum alia tum hæc imprimis contingerent: primùm, ut omnibus §. D.

bus admirationi esset; deinde; ut, si quem haberet inimicum, ab ejus vel insidiis vel telis tutus esset; tum etiam ut inferiora ista, tanto à se intervallo remota, quædam vix videret, quædam ne videret quidem.

Hæc autem omnia & similia animæ quoque illi conveniunt, quam Deus è pulvere, ac è terræ fæce sublevatam, in eminentiori hoc loco constituit. Primò siquidem excellentiam quandam acquirit, cui nulla dignitas, nullus magistratus aut potestas comparetur. Unde est istud Cypriani: *Qui renuntiavit jam sæculo, major est honoribus ejus & regno: & ideò qui se Deo & Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat.* Atque hujus excellentiæ splendor non à Dei solùm oculis cernitur, quòd satis esse deberet; sed, ut plurimum, etiam hominum: nam licet imitari pigeat, suspicere tamen eos solent, quos vitam hanc magis arduam ingressos vident.

Cypriã. de orat. Domin.

Non ergo fallitur S. Hieronymus, dicens: *Non esse laudabile possidere divitias, sed eas pro Christo contemnere: non inhiare ad honores, sed eos parvi pendere: & miro quodam modo qui ista habeant, parvi pendi, qui*

Hieron. Ep. 27.

qui habere noluerint prædicari.

Alexandrum Magnum exprimere pictores solent mundi globum manu gestantem: Beatum Aloysium eundem pedibus proterentem. Accidit autem ut infanti suo ludibunda Mater expressam utriusque in diversis tabulis effigiem obtulerit, qui multa quidem à matre percunctando secundùm illius ætatis indolem, illud præcipuè supra ætatem inquisivit: Rexne esset Aloysius & orbis victor, eò quòd eum pedibus calcaret: ac utrum victus ab orbe foret Alexander, utpote cujus manum superimpositus orbis premeret ac gravaret? Utinam quid huic infanti respondendum fuerit vel ipsi senes intelligere conarentur. Intellexit absque dubio D. Bernardus, cum scripsit: *Quid glorioſius, quàm mundo contemto, mundo se cernere celsiorem, ac in bonæ conscientiæ vertice consistentem, totum mundum habere sub pedibus?* Bernard. opusc. de charit. c. 18.

Accedit illud etiam, quòd tales quasi extra omnem aleam humanorum casuum positi sunt. Quid enim in eos humana mutabilitas possit, qui omnibus, quæ mutationi obnoxia sunt, relictis, omnes ejus aditus intercluserunt? §. E.

Ex quo id consequitur, quòd, tanquam supra ventorum flatus positi, immobiles semper maneant, omnibusque eventibus superiores, perpetuâ tranquillitate fruantur. Hæc autem tranquillitas, si posset auro coëmi, quanto non emenda foret? Verùm ea quidem nec auro, nec re ullâ creatâ emi potest, sed magis contemptu rerum omnium creatarum.

Ex hoc eodem fonte illud etiam emanat, ut adversus ignea nequissimi tela, quàm tutissimi simus, quòd vel tam altè non perveniant, vel nullo negotio repelli queant. Hoc ipsum præclarè D. Cyprianus: *Quantus hic* (inquit) *animi potentatus, quanta vis est? Non tantùm ipsum esse subtractum perniciosis contractibus mundi, ut quis expiatus & purus, nullâ incursantis inimici labe capiatur: sed adhuc majorem & fortiorem viribus fieri, ut is omnem adversarii grassantis exercitum imperioso jure dominetur.*

Cypr. lib. 2. Epist. 2.

Illud autem maximum & maximè salutare, quòd status hic sublimissimus, ex suâ quasi naturâ, hoc in animo nostro lumen pariat, ut quidquid est sub cœlo, tanquam leve, fallax, & inane ac amore nostro indignum de-

deſpiciamus. Fit enim hîc etiam id, quod eleganter à Chryſoſtomo dictum eſt. *Quemadmodum* (inquit) *è ſummo montis vertice proſpectantibus, omnia puſilla, ac non ſolùm homines & arbores integræ, ac magni exercitus, formicarum inſtar ſuper terram ire videntur: ſic qui animo recto in cœleſtibus, quaſi in ſublimi, commorantur, iis omnia humana, potentiam, gloriam, opes, ita minuta & exigua apparere, ut ne digna quidem judicent, quibus hanc immortalis animi nobilitatem applicent.* Quid igitur *Seraphico propoſito* glorioſius aut excellentius inveniri poteſt, quod nos ita inſtituit, ut nihil inordinatè diligendo, contra omnia ſecuros & inexpugnabiles efficiat; itaque nullos homines, nullos caſus, nullius impetum expaveſcamus? Chryſ. Hō. 15. ad pop. Antioch.

Idem quoque luculentè proſequitur D. Gregorius: *Libet* (inquit) *oculos mentis attollere, & electos Dei exteriùs oppreſſos, quantâ intrinſecùs arci præſideant, videre. Cuncta quippe quæ foris eminent, occultis eorum obtutibus per deſpectum jacent. Nam ſuper ſe interiùs rapti in alto animam figunt, & quæcumque in hac vitâ patiuntur, quaſi longè infra labentia, atque à ſe aliena conſpiciunt, atque, ut ita dixerim, dum men-* Greg. lib. 7. Moral. cap. 15.

re extra carnem fieri decertant, penè ipsa, quæ tolerant, ignorant. In horum profectò oculis, quidquid temporaliter eminet, altum non est. Nam velut in magni vertice montis siti, præsentis vitæ gaudia planè despiciunt, seque ipsos per spiritualem celsitudinem transcendentes subjecta sibimet intus vident, quacumque per carnalem gloriam foris tument. Unde & nullis contra virtutem potestatibus parcunt; sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premunt. Hæc Gregorius, quorum etiam exempla multa ex sacris litteris profert, ut Moysis in Pharaonem, Nathan in Davidem, Eliæ in Achab, Elisæi in Joram.

§. F. Est porrò *libertas* hæc ipsa, quam spretis omnibus quis assequitur, tanti valoris, ut rebus illis, quas humana concupiscentia diligit, universis, ineffabili modo sit anteponenda: quoniam

Non benè pro toto LIBERTAS *venditur auro.*

1. Cor. 7. v. 22. *Qui in Domino vocatus est servus* (inquit Apostolus) *libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.* Quam libertatem pariter & servitutem considerans D. Ambrosius: *Sub jugo Chri-*

Ambr. *sti* (ait) *est pretiosa servitus, quasi tanti sanguinis pretio comparata. Gloriosa autem*

LIBERTAS, *quam nulla servitus culpæ, nulla* PECCATORUM VINCULA *constringunt, nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia, degeneris nexu servitutis addicunt.*

Bona quidem *libertas* hæc à peccato, sed longè tamen pretiosior illa *libertas* est, quæ ne peccatorum quidem occasionibus se ligari permittit. Hæc autem *libertas* eorum est, qui *vincula cupiditatis omnia* confregerunt, qui mundanas opiniones & deliria despiciunt, nec quid mundus approbet, quidve reprobet ullo modo curant, diaboli latratus subsannant, carnis blanditias illecebrasque contemnunt. O quantas habent gaudiorum causas, qui cuncta mundi gaudia quasi nugas pueriles irrident!

Lætabuntur (ait Isaias) *coram te* Domine, *sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores captâ prædâ, quando dividunt spolia. Iugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* Verè Deus est qui jugum sæculi importabile à cervicibus Sanctorum sustulit. Ipse est qui virgam diaboli, hoc est, potestatem in eos qui suis obtemperant voluntatibus, acceptam comminuit atque Isa. 9. v. 13.

confregit. Ipse, qui sceptrum carnis, quo cordibus anteà carnalibus dominabatur, & ab eis vectigal acceptarum voluptatum exigebat, mirabiliter superavit.

Jud. 7. Sed quid sibi vult (inquies) illud: *Sicut in die Madian*? Gedeonis olim milites (prout sacræ nobis paginæ referunt, libro videlicet Judicum capite 7.) testeas frangentes hydrias & lampades ostentantes ac buccinis personantes, Madianitas fugarunt. Sic generosi quoque milites Christi carnem suam castigantes & diaboli laqueos fidei luce detegentes, & adversus insanam mundi doctrinam veræ *libertatis* legem & Evangelicam perfectionem buccinantes, hostes suos proterunt, & in fugam vertunt. De quâ victoriâ à Domino sibi concessâ, non aliter lætantur, quàm messores quando congregant triticum in horreum suum, aut quàm milites dum, captâ prædâ, distribuunt inter se inimicorum exuvias.

§. G. Et quid obsecro, glorioſius, quid utilius, quidve jucundius esse potest, quàm suarum cupiditatum non esse captivum, nec inordinati cordis affectibus inservire, sed affectus omnes in vo-

voluntatis divinæ servitutem redigere? Non illos amor insanus exagitat, non odium dementat, non desiderium distrahit, non aversio turbat, non delectatio solvit, non tristitia inquietat. Non illos spes ad alta sustollit, nec desperatio ad ima deprimit: non audacia temerarios, nec timor pusillanimes efficit. Discunt abundare & penuriam pati, per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces Domino deservire.

O quantò servitus ista quovis regno, non tantùm glorioſior est, sed stabilior etiam, utpote quæ rebus terrenis omnibus, tantâ cum *libertate*, prædominatur, ut nihil omninò sit repetibile, quod *libertatem* illam vel auferre valeat vel impedire? Munera despiciunt omnia, qui possident illam, nec ullas vel minas vel carceres extimescunt. Nunquid scimus Danielem, cum Rex ei promitteret: *Purpurâ vestieris & torquem auream circa collum habebis*, liberrimè respondisse: *Munera tua tibi sint & dona domus tuæ alteri da*? Nunquid in ipsis etiam vinculis Dei servos integerrimâ *libertate* securos agnoscimus? *In Evangelio* (ait Apostolus) *labo-*

Dan. 5. v. 17.

2. Tim. 2. v. 9. *ro usque ad* VINCULA, *quasi malè operans: sed verbum Dei non est alligatum.* Ecce quomodo libertatem spiritûs nulla possunt vincula corrumpere, vel acceptam per virtutes gloriam obscurare.

Imò verò coruscare faciunt eam potius ac eluceſcere: sic ut propterea se *vinctum Domini* fronte sereniſſimâ non semel glorietur Apostolus: tantamque vinculis ipsius venerationem habuerit Orator aureus, ut in hæc verba proruperit: *Quòd si quis mihi vel universi cœli, vel hujus* CATENÆ *copiam & optionem largitus esset,* CATENAM *hanc ego planè elegissem. Si mihi cum Angelis & iis qui prope thronum Dei sunt, standum fuisset sursum, aut cum* PAULO VINCTO, *carcerem utique præoptassem. Nihil hac* CATENÂ *beatius. Non ita beatum dico Paulum, quòd in Paradisum raptus, atque quòd* VINCULA *sustinuit: neque enim dicit; Hortor ego vos qui ineffabilia verba audivi; sed, Hortor vos* EGO VINCTUS IN DOMINO. Quapropter exclamat etiam: *O beata* VINCULÂ! *ô beatas manus quas* CATENA *illa exornavit!* Ecce quomodo S. Chrysostomus supra tertium cœlum illa *vincula*, quibus constrictus fuit Paulus, extollit.

Chryſ. Hom. 8. in Epiſt. ad Eph. cap. 3.

Vis etiam vinculum Principis Apo-

stolo-

ſtolorum quanti valeat intelligere? Os rurſus aureum auſculta. *Petrus* (ait) *vinctus fuit, & ab Angelo ſolutus: hîc ſi mihi quiſpiam dixiſſet, elige utrum velis? Vis eſſe Angelus Petrum ſolvens, an* PETRUS VINCTUS? PETRUS *utique eſſe maluiſſem: majus hoc* VINCULORUM *donum eſt, quàm ſolem ſiſtere, aut mundum movere, aut dominari dæmonibus, eoſque expellere.* Chryſ. ubi ſuprà.

§. II.

Similia ſunt etiam præconia quæ congerit Auguſtinus, ex quo hæc delibaſſe ſufficiat: *Meritò* (inquit) *per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium* VINCULORUM. Et iterum: *Felices* (ait) *illi nexus qui de* MANICIS *&* COMPEDIBUS IN CORONAM *mutandi ſunt.* Auguſt. Serm. de SS. 29. Idem Serm. de SS. 28.

Nihil ab his diſcrepat S. Cyprianus, qui ſcribens ad Martyres, ita loquitur: *Impoſuerunt compedes pedibus veſtris, & membra felicia ac Dei templa infamibus* VINCULIS *ligaverunt; quaſi cum corpore ligetur & ſpiritus, aut aurum veſtrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus, & fidem ſuam, religioſâ virtute, teſtantibus,* ORNAMENTA SUNT *iſta, non* VINCULA, *nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam.* O PEDES FELICITER VINCTI, *qui non à fabro, ſed* Cypriã. Ep. 25.

à Domino resolvuntur! O pedes feliciter vincti, *qui itinere salutari ad Paradisum diriguntur!* O pedes *in sæculo ad præsens* ligati, *ut sint semper apud Dominum* liberi!

Etenim si glorioſam adeò *libertatem in vinculis* cognoverint ipſimet gentiles, ignorantiæ tenebris involuti, ut de Socrate ſcriptum à Senecâ legamus: Carcerem *intravit Socrates, ignominiam ipſi loco detracturus*; Non eſt profectò cur miremur quòd Eccleſia Sanctam Agatham celebrando, dicat: *Agatha lætiſſimè & gloriantes ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas invitata, agonem ſuum Domino commendabat.*

Senec. conſol. ad Helvidiam.

Legi præterea ſine cordis tenerrimâ devotione vix poteſt id quod de S. Agnete ſcribit D. Ambroſius: *Hæc inter cruentas* (inquit) *carnificum impavida manus, hæc ſtridentium gravibus immobilis tractibus* catenarum, *nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, nunc ferratis colla manuſque ambas inſerere* nexibus. *Sed nullus tam tenuja membra poterat* nexus *includere.* Quòd ſi nec ipſa vinciri potuerint Virginis tenellæ membra, multò certè minus vinciri potuit anima, vel ſuâ *libertate* privari. Unde, *non*

Vide Brev. in feſt. S. Agn.

ſic

sic ad thalamum nupta properaret (prosequitur idem Sanctus) *ut ad supplicii locum læta successu, gradu festina Virgo processit.*

Quòd si tantam in ipsis etiam pressuris & *vinculis*, imò præsentiâ mortis, festivissimæ *libertatis* gloriam ipsi reperiunt, qui divino se cultui non solummodò totos, sed etiam totaliter consecrarunt, ecquis dubitabit adhuc, omnibus quæ possidet universaliter abrenuntiare: quis hæsitabit omnia vendere, ut tam pretiosam, tam gloriosam *libertatis* aureæ margaritam possit comparare?

CAPUT XXII.

Quòd propositum Seraphicum *sit* utilissimum.

MEllifluus ille nostri sæculi Præsul Salesius, dulcissimò certè stylo, totalem à vinculis omnibus indifferentis animæ *libertatem*, hoc est, indifferentiam verè liberam, ita depingit: *Cor indifferens est instar globi cerei in manibus* 4. §. A. Salesius de Am. Dei lib. 9. c.

bus Dei sui, *ut omnes æterni beneplaciti impressiones æqualiter accipiat. Cor eligere nescium, æqualiter ad omnia dispositum, non habens aliud suæ volūtatis objectum quàm* VOLUNTATEM DEI, *amore non adhæret rebus quas vult Deus, sed* VOLUNTATI DIVINÆ *quæ vult eas. Hinc dum in pluribus rebus* DIVINA VOLUNTAS *invenitur, illam, in quâ amplius est, adeò non ambiguâ constantiâ mentis eligit, ut nullam pretii, quâ comparari debet, habeat rationem. In matrimonio* DIVINA VOLUNTAS *est, & in virginitate: verùm quoniam est amplius in virginitate, cor indifferens virginitatem eligit, parvi pendens licet eam pretio vitæ suæ debeat acquirere: prout factum est in charâ spirituali filiâ D. Pauli, Sanctâ Thecla, in S. Ceciliâ, S. Agathâ, & sexcentis aliis.*

In obsequio pauperis & opulentis DIVINA VOLUNTAS *invenitur, sed aliquanto plus in pauperis: hanc itaque partem cor indifferens eliget.* DIVINA VOLUNTAS *invenitur in modestiâ, quæ tempore consolationis observatur, & in patientiâ, quæ tempore tribulationis practicatur; hanc igitur illi præfert cor indifferens, quoniam in hac amplius est* DIVINA VOLUNTAS.

Breviter: indifferentis animæ præcipuum atque supremum objectum est DIVINA VOLUNTAS

LUNTAS: *ubicumque videt illam, currit in odorem unguentorum illius, & semper eam partem inquirit ubi amplius est, aliâ quacumque consideratione sepositâ.*

Tanquam VINCULO *quodam amabili* DIVINÂ VOLUNTATE *conducitur & eam sequitur quocumque ierit: cum* VOLUNTATE DEI *magis amaret infernum, quàm absque* DEI VOLUNTATE *Paradisum. Quin imò si sciret in illo vel parum amplius* DIVINÆ VOLUNTATIS *inveniri, quàm in hoc, infernum Paradiso præferret: ita ut, si, per imaginationem rei impossibilis, agnosceret, damnationem suam Deo placere magis, quàm salvationem, salvationem seponeret & ad damnationem properaret.*

Hæc omnia Salesius, qui solerter etiam illud advertit, cor indifferens non tantùm æqualiter afflictionem & consolationem appetere, sed illam potius quàm hanc optare: quia scilicet in afflictione præter *divinæ voluntatis insigne* nihil videt amabile. *Si nihil aliud* (inquit) *appetam, quàm puram aquam, quid interest mihi, utrum illa mihi detur in aureo vase vel in vitreo; quandoquidem præter aquam nihil accipiam? Imò gratior mihi erit in vitro, quoniam illud alium colorem, quàm aquæ, non habet, quam hîc etiam clariùs intueor. Quid mihi*

Idem ibid.

mihi intereſt, an mihi DIVINA VOLUNTAS *exhibeatur in tribulatione, vel an in conſolatione, quandoquidem in utrâque nihil quæram aliud quàm* DIVINAM VOLUNTATEM, *quæ clariùs in tribulatione refulget, eò quòd in ea, præter hanc ſanctiſſimam* VOLUNTATEM *æternam, nihil elegantiæ reperiatur.*

Itaque vera charitas adeò non quærit quæ ſua ſunt, ut tunc amantem Deum animam faciat exultare magis, quando majores ſemetipſam denudandi rebus omnibus occaſiones ſibi videt adeſſe: nihil enim minus affectat quàm quod ſibi utile eſt; unde nec amoris aliquam expetit mercedem obtinere.

§. B. Bern. de dilig. Deo.

Abſit tamen ut ideò ſuâ mercede fruſtretur. Rectè ſiquidem Flumen Melleum: *Non ſine præmio diligitur* (ait) *Deus, etſi abſque præmii intuitu diligendus ſit. Vacua namque vera charitas eſſe non poteſt, nec tamen mercenaria eſt. Quippe non quærit quæ ſua ſunt. Affectus eſt, non contractus: nec acquiritur pacto, nec acquirit. Sponte afficit, & ſpontaneum facit. Verus amor ſeipſo contentus eſt. Habet præmium, ſed id, quod amatur. Nam quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quò amoris finis pertendit: non, per quod tendit. Paulus non evangelizat, ut comedat; ſed comedit,*

ut

ut evangelizet: eò quòd amet, non cibum, ſed Evangelium. Verus amor præmium non requirit, ſed meretur. Præmium ſanè nondum amanti proponitur, amanti debetur, perſeveranti redditur.

Aliqui Deo ſerviunt, &, ut viles abjectæque animæ, plagas metuunt, gehennam formidant, verè mancipia. Alii faciunt quod alimentarii, qui ut cibaria ſibi publicè locentur, omnem pecuniam expendunt, ſic enim alimenta perpetua ſibi comparant, ita plurimi ſpe præmii Deo ſerviunt pro cœlo tanquam mercede, propriè ſervi. Alii denique divinis nutibus obſequuntur amore, ut parenti chariſſimo filii. Filius impuber, cùm parens convivium celebrat, inter vernas quidem adſtat & convivis miniſtrat, non tamen ullam mercedem cogitat, nam filius eſt, qui à patre dulciſſimum illud ſæpiùs audit: FILI *tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* Luc. 15. v. 31.

Tales ô Chriſtiani tales & nos ſimus in Deum, non mancipia, non ſervi, ſed filii, quando Deus ipſe nos homunciones, terræ vermiculos, honore tanto dignatur. Nam, *videte qualem charitatem dedit nobis* PATER, *ut* FILII DEI 1. Joan. 3. v. 1.

nominemur & simus. Nunquid non & servus qui plusculum ingenuitatis habet, maximi æstimat Domino suo à se satisfieri, & famulatum suum probari? Hoc illi contra aurum charum est: filius ergo non maximas opes & summam utilitatem censeat, placere patri? Quàm nervosè Chrysostomus: *Aliam adhuc* (ait) *præter hoc ipsum quod placere meruisti, mercedem requiris? Verè ignoras quantum bonum sit, placere Deo.*

Chrys. lib. 2. de cõpũct. cordis.

Præbeamus aures Psalterio Davidico, quod nos invitat omnes, canens: *Confitemini Domino quoniam bonus.* Quem locum D. Bernardus explanans, ait: *Est qui confitetur Domino, quoniam potens est: & est qui confitetur, quoniam sibi bonus est: & item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi: secundus mercenarius est, & cupit sibi: tertius* FILIUS *est, & defert patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, uterque pro se agunt: Sola, quæ in* FILIO *est, charitas non quærit quæ sua sunt.*

Ps. 117.

Bern. Epist. 11.

§. C. *Vide Drexel. Amuss. lib. 1. c. 7.*

Hujusmodi filium aliquem exemplo vobis proponi desideratis? Duo quidam in eremo Deo magis vivebant, quàm sibi, magnâ concordiâ, nec minore profectu. Invidit illis cacodæmon

mon has vitæ divitias, in tantâ paupertate; & ut tragulam injiceret Angelum induit nitidiſſimi vultus. Ita ſe ſeniori ſiſtens ut rectiùs falleret: nuntii non boni (inquit) bajulus tibi ſum, aut certè ſocio tuo. Nam juvenis ille, tuus in hac Dei palæſtrâ commilito & ſocius, à Deo præſcitus, æternis flammis jam deſtinatus eſt, ideò quantumcumque benè agat, fruſtra agit omnia. Cohorruit ad hanc vocem ſenex: &, ô terribile, inquit, nuntium! Ergone peſſum eant hujus juvenis conatus & labores tam præclari? Ah! animo miſereor. Hîc iterum angelus ex orco: Sciebam, inquit, non ſine dolore ac gemitu te auditurum iſta; verùm divina decreta reſcindi non poſſunt. Ita oculis ſe ſubduxit venuſtiſſima larva. Inde factum ut ſenex iſte ſocium juvenem nunquam ſine præſago ſuſpirio intueretur. Obſervavit id tandem juvenis, nec diſtulit quærere, quid cauſæ eſſet, quòd, quotieſcunque ſe aſpiceret, ſimul etiam ingemiſceret? Ad quæ demum altùm ingemiſcens ſenex: quid jubes, inquit, infandum dolorem renovare? Hîc me potius tacere velis, quàm loqui. Ip-

sa hæc senis tergiversatio stimulabat juvenem, ad extorquendum responsum. Multis ergo precibus fatigatus senex, ut, quidquid id esset, eloqueretur, non sine gemitu tandem: Significatum est, ait, mihi, te damnandum, frustra pro cœlo laborare. Hîc juvenis singulari alacritate: ô mi pater, inquit, hoc te non turbet neque affligat. Ad hoc temporis Deo servivi, non ut mercenarius pro cœlo, sed ut filius ex debito, quia ipse summum bonum est, cui ego me totum debeo, quidquid demum ille de me statuat. Admiratus senex propositum adeò Seraphicum. Serviamus, inquit, Deo quàm possumus fidelissimè: bonus ille pater non poterit patrem exuere: ipsi cura est de nobis. Neque verò distulit Deus paternum affectum in filios tam obsequentes demonstrare. Brevi post submisit verum Angelum qui moneret senem, impostoris diaboli mendaciis ne crederet, juvenem illum æternis præmiis à Deo destinatum esse; Deoque singulariissimè placere tam generosam illius in divino famulatu constantiam.

§. D. Quicumque Dei perfectè diligit *voluntа-*

luntatem, propriam non aſpicit utilitatem. Non aſpicit, inquam, ad hoc, ut illam ſibi tanquam finem proponat: quia nihil imperfectionis eſt, illam ad hoc aſpicere, ut infirmitas humana corroboretur, & alacriùs ea quæ Deus exigit exequatur: Imò nullus adeò ſpiritualis eſt quin hoc interdum ſubſidium ſit ei neceſſarium.

Nunquid ipſemet Chriſtus infirmitati noſtræ ſe accommodans, *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem*? Nunquid Moyſes majores divitias æſtimavit theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti, propterea, quoniam *aſpiciebat in remunerationem*? Negari veritas illa non poteſt: nihil tamen contrarium veritati eum crederem aſſerere, qui diceret: Moyſen non tam contempſiſſe terrenas divitias propterea quod aſpiceret in remunerationem, quàm propterea aſpexiſſe in remunerationem, ut terrenas divitias contemneret.

Hebr. 12. v. 2.

Hebr. 11. v. 26.

Hæc etenim ſcientia Sanctorum eſt, ipſa virtutum præmia conſiderare, ut abſque præmiorum intuitu, diſcat anima ſoli Deo ſe conſecrare. Luce meridianâ clarius exemplum nobis exhibet D. Petrus, cùm Chriſto dicit: *Ecce nos*

Matt. 19. v. 27. *ce nos reliquimus omnia & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Ut quid enim de mercede sollicitus est hîc Apostolus? An ideò requirit illam, ut propter eam relinquat omnia? Nequaquam: jam enim sine mercedis intuitu omnia reliquerat. Non frustra tamen interrogat: *Quid erit nobis?* Quia licet præmium non sit finis propter quem omnia relinquenda sunt; ipsius tamen præmii consideratio mentem exstimulat, ut altiùs quàm ipsum præmium discat ascendere.

Certè si D. Petrus propter mercedem statuisset omnia dimittere, nequaquam statuisset omnia dimittere: præcipuum enim, quod inter omnia relinquendum est, reputari debet ipsa cupiditas: non reliquisset autem cupiditatem, si finem suæ renuntiationis aliquam statuisset mercedem. Etenim quòd hujusmodi finem sibi non præfixerit Apostolorum Princeps, sed omnia generosè cupiditatis vincula confregerit cum cæteris Apostolis, apertè responsio Christi manifestat: *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super se-*

Matt. 19. v. 28.

des

des duodecim judicantes duodecim tribus Israël; Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Hujus centupli consideratio neminem-non Religiosorum excitare deberet, ut agat quod agit, hoc est, ut serium adhibeat studium, omnia *cupiditatis vincula* taliter abrumpendi, ut ne licitis quidem rebus ullis cor scienter adhæreat.

Si solis (inquies) illis qui *propositum* hoc *Seraphicum* efformarunt, Deus ipse, tanquam centupla retributio, deberetur, non adeò mihi nequam sum, ut illud omitterem; verùm cum ad eundem finem pervenire possimus per solam nostrarum legum observantiam, non est cur hoc gravamine supererogationis cerebrum contorqueam. §. E.

Poteras indubiè centuplum hoc obtinere, Deique fruitionem assequi, remanendo in sæculo. Ad quid obsecro, divexasti cerebrum, ut Religioni te consecrares?

Pace tuâ dixerim, quisquis ita sentis (& utinam pauci forent qui ita sentiunt) sæculare pileum tibi magis conveniens est, quàm Religiosum capucium.

cium. Nunquid enim si facere tantùm volebas ea, quibus assequi Deum posses, observantia mandatorum sufficiens erat? Nunquid à Domino dictum legimus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata?* Sed non suffecit tibi mandatorum observantia: verùm cùm dicentem audisses Christum: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni sequere me*, desiderio perfectionis ad Religionem venisti. Satisne credis ergo cum desiderio perfectionis ad Religionem venire, & idem hoc desiderium, dum incolis Religionem, deponere? Ideò nos damus Religioni, ut studeamus perfectioni: quia professio Religiosa non est aliud quàm professio tendendi cordialiter ad perfectionem, studendi, mentemque diligenter applicandi, laborem impendendi, nec non generosè currendi, ut aliquando bravium apprehendere valeamus.

Matt. 19.

Et quodnam est bravium istud? S. Bernardum interroga. *Bravium* (inquit ille) *Christus est*: hoc est, illa perfectio, virtus illa, rerum illa creatarum abnegatio, quam suo nos exemplo Christus edocuit, qui delicias, qui divitias

Bern. Epist. 244.

vitias, qui gloriam fugit, & *exultavit ut gigas ad currendam viam.* Quapropter optimè supradictus Pater subtexuit: *Quòd si illo currente, tu gradum sistis, non Christo appropias: sed te magis elongas: timendumque tibi est quod ait David: Ecce qui elongant se à te Domine peribunt.* Ps. 18.

§. F. Felicem dico quemcumque Christianum, qui sic mandata servat, ut aliqualem etiam conatum præstet observandi perfectè præcipuum illud mandatorum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: nec non quod cum eo coincidit, ab affectu videlicet excludendi non solùm illud quod charitati contrarium est, sed etiam omne illud quod impedit ne affectus mentis totaliter in Deum dirigatur. Felicem dico Christianum hujusmodi: quoniam merces ipsius copiosa est in cœlo.

Feliciorem verò Religiosum esse non ambigo; si verum suoque statui proportionatum studium adhibeat, ut ad Christianæ perfectionis apicem aliquando perveniat: quoniam sicut viam in hac vitâ selegit meliorem, sic & in futurâ mansionem sortietur glorioſiorem.

Felicissimum autem constat illum esse,

esse, qui cum Apostolo Gentium omnia arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat; quia *sicut stella differt à stellâ in claritate, sic* (uti Paulus asserit) *& resurrectio mortuorum.* Cur autem stella differt à stellâ in claritate, nisi quia cella differt à cellâ in charitate?

1. Cor. 15. v. 41.

Hinc est, quòd centuplum istud retributionis, quod iis attribuitur, qui prorsus omnia, nihil, ne quidem licita, reservando, reliquerint, tantoperè superemineat illi centuplo, quod datur illis, qui loculos reservant propriæ voluntatis, ut hoc posterius tanquam ferè nihil sit. Eam ob causam, ut prius illud centuplum excellens studeamus assequi, affectuosissimè nullum non hortatur Abbas Claræ-vallensis. *Magis* (inquit) *perfectus relinquat omnia, & solum sequatur Christum, jactans cogitatum suum in Deo, enutriendus ab eo, & centuplum sine dubio percepturus.* Quodnam autem sit illud centuplum, his posteà verbis explicat: *Hoc centuplum adoptio filiorum est,* LIBERTAS *& primitiæ spiritûs, deliciæ charitatis, regnum Dei quod intra nos est, non utique esca & potus, sed justitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto. Gaudium sanè non solùm in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus.*

Bern. in declam.

nibus. Hic est ignis, quem voluit Christus vehementer accendi. Hæc virtus in alto, quæ Andream fecit amplecti Crucem, Laurentium ridere carnifi.n, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem.

Et post pauca: *Utinam* (inquit) *hîc filiorum hominum concupiscentia vigilet: utinam vel curiositas excitetur, ut dicant in cordibus suis; Non videtur hoc verbum adinventionis humanæ, cui sic consonant uno ore testimonia Scripturarum. Quod si ita est, sine dubio vehementer erramus. Probare libet, an hæc ita se habeant, gustare quid hoc absconditum Manna sapiat, experiri quid sit hoc centuplum, quale gaudium in Spiritu sancto. Cras profectò respondebit ei justitia sua, qui id* STUDIOSE QUÆSIERIT. *Confestim ut gustaverit, videbit, quàm suavis est Dominus, quoniam bonus, non modò tenenti, sed & quærenti se, animæ speranti in se.*

Verè sic est, modò non segniter, sed, ut rectissimè notatur à Sancto Patre, *studiosè quæsierit*, hoc est, cum animi sedulâ contentione, cunctas nimirum vires exerendo. Non enim frustra dictum à Salvatore legimus: *Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Joan. 12. v. 24.

Omni-

Omnibus quidem Christianis, in timore Domino servientibus illa D. Pauli verba suo modo conveniunt. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*: Verùm quia perfectiùs propriâ se vitâ spoliant illi, quos religiosa spes excitat, ut sibi licere non vellnt multa, quæ non sunt illicita, reconditam in Deo vitam perfectiùs participant. Hos tamen omnes illi superant, qui quidquid *voluntati divinæ* conformius non est, amore filiali generosè contemnunt.

Col. 3. v. 3.

Ad rem hîc etiam facere videtur illa parabola, in quâ docet Christus, quòd semen illud, cui terra bona contigerat, *fructum affert; & facit aliud quidem centesimum, aliud sexagesimum, aliud verò trigesimum.* Fructus trigesimus correspondere videtur timentibus, sexagesimus sperantibus, amantibus autem centesimus. Trigesimus in sæculo mandatis obtemperantibus, sexagesimus in claustro consilia principaliora supererogantibus, centesimus in cordis fundo creatis rebus omnibus se denudantibus: adeoque paupertatem non tantùm corporis, sed præcipuè spiritûs enixè diligentibus.

Matt. 13. v. 23.

His

His nimirum ſpecialiſſimè quadrat illud Auguſtini: *Felicitas magna Chriſtianorum, quibus datum eſt, ut paupertatem faciant pretium regni cœlorum. Non tibi diſpliceat paupertas tua* (quòd rerum etiam licitarum amore te exueris) *nihil eâ poteſt ditius inveniri. Vis noſſe quàm locuples ſit? Cœlum emit. Quibus theſauris conferri poſſit, quod videmus paupertati indultum? Ut ad regnum cœlorum veniret dives, poſſeſſione ſuâ obtinere non poteſt, nunc obtinet ut contemptâ perveniat.* Auguſt. ſerm. 28. de verb. Apoſt.

§. 6.

Addit alia multa S. Auguſtinus in eandem ſententiam, idque præcipuè, quòd benè nobis conſuluerit Deus, qui in NIHIL habendo, ſummam felicitatis repoſitam eſſe voluerit, quam ſi contra in divitiis & rerum terrenarum poſſeſſione collocaſſet, perpaucis hominibus, & longiſſimis tantùm laboribus ad eam aſpirare licuiſſet: Nunc autem cum in contemptu ſit rerum creatarum, eam in manu cujuſque ac voluntate repoſuiſſe.

O quàm eſt pretioſum illud NIHIL! ô quàm ineffabilis rerum univerſarum contemptus! ô quàm eſt utile *propoſitum Seraphicum*! Midæ virgula eſt inaurans omnia quæ contingit, adeoque magnum

magnum actionibus etiam exiguis valorem tribuens, ut maximarum quoque valorem actionum, quæ sine tali proposito fiunt, longissimè superet.

Quod ne cui mirum fortassè videatur, recolendum est, actionum nostrarum valorem vel totum, vel saltem ferè totum, ab illarum non materiali, sed formali, hoc est, ab intentione cum quâ fiunt, desumi. *Non in facto laus est* (dicebat olim Romanus Sapiens) *sed in eo quemadmodum fiat.* Et Salvianus: *Oblata Deo* (inquit) *non pretio, sed affectu placent.* Divus etiam Gregorius: *Deus* (ait) *non respicit quantum, sed ex quanto.* Sic ut optimè S. Ambrosius asserere potuerit: *Affectus tuus operi tuo nomen imponit.*

Seneca Epist. 95.

Ambr. lib. de officio cap. 30.

Hinc est quòd ipsemet Redemptor pauperculæ viduæ, quæ duo tantùm minuta miserat in gazophylacium, tantoperè liberalitatem extulerit, ut asseverarit: *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.*

Marc. 12. v. 43.

Mysterio certè non caret, quòd cœlestis Sponsus, cor suum vulneratum dicat, non tantùm in uno oculorum Sponsæ suæ, sed etiam in uno

Cant. 4. v. 9.

crine

crine colli ejus. Ecquid enim significare voluit per hoc quod unum etiam crinem (quo nihil in humano corpore vilius est & abjectius) idoneum indicaverit, ut per decorem illius cor Amati vulnerare sponsa potuerit; nisi quòd viliſſima prorsus & infima pietatis opera, si procedant ab animâ tali, quæ Supremi Regis esse Sponsa fiducialiter intendit, ante conspectum ejus excellentiſſima reputentur? Et id quidem absque ratione non agitur. Nam cum talis anima, non ob aliud in exiguis frequenter operibus occupetur, quàm quia credit ea *voluntati cœlestis Sponsi* magis accepta, sic ut si crederet etiam maxima illi magis conformia, non dubitaret hæc ipsa quàm diligentiſſimè peragere, juſtiſſimum est quòd opera, quæ, spectata secundùm se, non magnæ forent perfectionis, eandem quasi perfectionem induant, quam haberent illa maxima quæ perlibenter exequeretur: ac proinde quòd etiam superent actiones aliorum excellentiſſimas, qui majoris perfectionis intentionem solidam non habent. *Vide Salesi. de am. Dei lib. 11. cap. 6.*

§. H.

Mihi fortè non crederetur, si firmâ perfectionis majoris intentione pollentium

tium ipsas etiam imperfectiones perfectionibus aliorum æquivalere dicerem: verùm si quis Divo Hieronymo nolit discredere, consideret obsecro, quòd, postquam hic Sanctus imperfectiones aliquot Sanctæ Paulæ descripsisset, ut puta, quòd suæ nimium tenax fuisset opinionis in exercitio mortificationis, & quòd amicorum mortem non satis æquanimiter toleraret, apertè subnectit, ipsa Sanctæ Paulæ vitia, aliorum reputari potuisse virtutes.

Hieron. in vitâ S. Paulæ.

Divus etiam Salesius expendens illum Sancti Bernardi zelum, quo fratres suos ad perfectionem plusculum impellebat, ita loquitur: *Hic zelus magna virtus erat, sed tamen virtus quæ reprehensibilitate non carebat.* Zelus igitur iste licet aliquid excessus, & per consequens vitiositatis haberet, cum tamen per hoc non desineret esse magna virtus, præstabat etiam virtutibus illis, quæ relucebant in aliis, cum inferioris perfectionis intentione laborantibus.

Salesius. Introd. ad vitā devot. p. 3. c. 2.

In quo sensu verificari posse significat D. Bernardus illam Sapientis sententiam: *Melior est iniquitas viri, quàm mulier*

Bern. in Cāt. serm. 12.

mulier benè faciens. Mulieris enim similitudinem gerit, qui nondum ad virilem perfectionis intentionem aut obligationem (prout est in Episcopis) pervenit, cujus etiam benefacta superari quodammodo per ipsas etiam imperfectiones viriliter agentis, præfatus Abbas insinuat. Eccl. 42.

Mirabile dictu. Frequenter accidit, plures eandem omninò speciè virtutis actionem facere; pro quâ tamen unus à Deo nihil mercedis accipiet, eò quòd nimirum faciat illam, ut hominibus placeat: alius valdè parum, eò quòd timore solùm pœnarum operetur: tertius non nihil amplius, eò quòd mercedem æternam sui operis finem statuat: quartus verò multò plus omnibus simul acquiret, quia nimirum intentione Seraphicâ nihil respicit aliud, quàm ut *Dei voluntatem*, sicut boni patris, fideliter adimpleat, nullumque mercedis intuitum operi suo scienter admisceat. Adeò scilicet verum est illud Oratoris aurei: *Ne putemus nos præmio carituros, si pro præmio non laboremus: imò ob hoc ipsum, præmium erit majus.* Chrys. 5 in Ep. ad Rom. §. I.

Concludamus igitur, quòd licet (ut jam ostendimus) prudentiæ sit, infirmitatem

mitatem noſtram interdum excitare; per futuræ mercedis aſpectum : allaborandum eſſe tamen, ut, dum adimplemus *Dei voluntatem*, non ſtatuamus finem propriam utilitatem: ac proinde quando videmus excitatam ſatis animam, ut opus aliquod exequatur, ad puritatem intentionis eandem elevare ſtudeamus.

Sic olim Seraphica Mater N. Tereſia, primò quidem infirmitati condeſcendens humanæ, ita ſuas alloquitur Moniales, quas adhortata fuerat ut preces ſuas ad obtinendos idoneos Eccleſiæ ſanctæ miniſtros impensè dirigerent: *An durum fortaſsè vobis apparet, quòd hac oratione de pœnâ, vobis in purgatorio debitâ, nihil auferatur? Indubitanter hoc ſcitote, per æquiſſimam & convenientiſſimam hanc orationem* (licet de vobis nihil omninò ſollicitæ ſitis) *promerituras vos, ut hæc allevietur etiam & minuatur.*

Ter. in viâ perf. cap. 3.

Deinde ne talem alleviationem ſuarum precum finem ſtatuerent, ad puriſſimam charitatis intentionem illas elevare ſatagit, adjungens: *De cætero quod ad ulteriorem hujus pœnæ remiſſionem deerit, deſit in nomine Domini. Quid enim refert ad diem uſque judicii piacularibus me flammis*

flammis excruciari, si vel una dumtaxat anima per meam orationem salutis compos effici valeat? O verba verè Seraphica, quæ diligenter expendere, quin ipsemet etiam accendatur, nemo potest.

COROLLARIUM.

Tam vivis quàm defunctis proficuum.

§. I. COnsilium actus excellentissimæ charitatis, quo quis omnes totius vitæ satisfactiones operum suorum applicat sive donat animabus illis, quæ torquentur in purgatorio, defunctis quidem proficuum, sed vivis damnosum facilè judicant, qui doctrinam hoc capite traditam non attentè considerant. Verùm si quis tantùm perpendat, apud Deum eò magis excrescere præmium nostrarum actionum, quò magis intentionem nostram ab intuitu præmii purificamus, omnia prorsus opera, quæ post hujusmodi charitatis actum fiunt, præmii abundantioris esse meritoria, non difficulter inde concludet.

Fateor (inquies) per talem actum animæ præmium sive meritum abundanter augeri, sed interim si non reservet sibi satisfactionem, illam saltem quæ correspondet illi charitatis actui, huo suam facit donationem, evidentissimo semetipsam exponit periculo gravissima purgatorii tormenta subeundi, quæ magnâ saltem ex parte evasisset, si tam prodiga suarum satisfactionum non fuisset.

Propositæ difficultati non ad hoc, mi Hagiophile, respondendum erit, ut mercenarius fias: valdè siquidem opto te cum S. Matre N. Theresiâ dicere: *Quod ad pœnæ meæ remissionem in purgatorio deerit, desit in nomine Domini. Quid refert ad diem usque judicii piacularibus me flammis excruciari, si vel una dumtaxat anima per meas* SATISFACTIONES *salutis compos effici valeat?* Imò quid refert in ipso torqueri tartaro (si contingere posset illud) ob adimpletam *voluntatem divinam* per actum charitatis? Non ad hoc igitur utilitatem dictæ donationis considerare te velim, ut illam constituas finem hujus devotionis: sed eam te considerare monuerim, ad efficaciùs excitandam animam, ut fervens

ventiùs actum illum facere valeat.

Primò itaque considerare poteris, ex tribus illis fructibus, quem afferunt opera quæcumque bona, satisfactionem videlicet impetrationem, & meritum, hoc ultimum incomparabiliter esse præstantissimum: sic ut nemo Sanctorum in cœlo regnet, qui non libenter ad diem usque novissimum in purgatorio torqueri gauderet, si vel unum gloriæ gradum amplius per hoc mereri posset: quidquid enim finem habet tanquam nihil in æternitatis comparatione despiciunt. Quàm multos autem gloriæ gradus tibi credis accrescere, dum supradictæ charitatis actum & primò facis & deinde ferventer cum devotione renovas, eandemque donationem reiteras? Non damnum reputatur, sed lucrum, quando minus bonum (sicut est satisfactio) seponitur, ut ex eo proveniat majus bonum, admirabile scilicet meriti augmentum. Hoc est reverà granum in terram cadere moriturum & fructum multum allaturum. Audacter itaque pronuntia: *Quod ad pœnæ meæ remissionem in purgatorio deerit, desit in nomine Domi-*

Secundò considerare poteris, actum charitatis hujusmodi non taliter qualiter acceptum esse *voluntati divinæ*, sed prorsus excellentissimè. Nam si tantoperè placeat illi corporalis eleëmosyna, ut suum in sacrâ Scripturâ desiderium quoad eam inculcare nobis non desinat, quomodo putas illi talem eleëmosynam spiritualem placituram, quâ præclarius aliquid ne cogitari quidem posse videtur? Unde si nec potus aquæ frigidæ præstitus in nomine Salvatoris suâ carebit mercede: quis illam considerare mercedem poterit, quæ debetur illi donationi, quâ, tanquam aquâ, purgatorii flammæ sopiuntur? Desiderium quidem habere potes omnem adeò satisfactionem tuam donandi fidelibus animabus, ut ne satisfactionem quidem illam quæ tali donationi correspondet reservare tibi cupias, & ita, purificando mentis intentionem ab omni prorsus amore proprio, te Deo summoperè placere nullum est dubium: Sed unde tibi constat efficaciter posse te satisfactionem hanc ultimam in alios transferre?

D. Chifflet videtur insinuare, nō posse.

Tertiò considerare poteris, illas gratias quas tibi procurabit animarum illarum

larum gratitudo, quibus tuæ ſatisfactiones auxilio fuerunt: quantum videlicet per illam adjuvaberis ut hîc nunc in virtute proficias, ut poſtmodum in horâ mortis diabolum vincas, ut citò purgatorium ipſum evadas. Verùm quia vereor ne tibi ſubrepat ipſam utilitatem devotionis tuæ pluſculum adamare, ſuggerendam tibi conſiderationem puriſſimam habeo, cui ſi vacare volueris, utilitatis propriæ conſideratione nequaquam indigebis; eò quòd hæc ſola poſſit animam, cui vel ſcintilla manet amoris divini, ſufficientiſsimè convincere. Igitur

Quartò conſiderare poteris, quid faceres ſi videres ipſum Redemptorem tuum in purgatorio detentum & obſecrantem, ut tuis eum ſatisfactionibus inde liberares? Diceresne velle te partē quidem aliquam illi prodeſſe; ſed aliam te tibi velle reſervare? Non diceres arbitror. Illud verò quod proximo facimus, nunquid, tanquam ſi ſibi fieret, Chriſtus accipit? Nunquid ab eo dictum legimus: *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis?* Abſit igitur ut aliquantulum audeas adhuc donationem hanc tuarum ſa-

Matt. 25. v. 40.

tisfactionum differre. Absit ut vereatris dicere: *Quod ad pœnæ meæ remissionem in purgatorio deerit, desit in nomine Domini.*

CAPUT XXIII.

Quòd propositum Seraphicum *sit* jucundissimum.

§. A. MIrabilem spirat devotionem dulcis illa quæstio, quam suo Creatori proponit in hæc verba D. Augustinus: *Quid tibi sum* (inquit) *ipse, ut amari te jubeas à me, & nisi faciam irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Parvane ipsa est, si non amem te?* Q. D. Absentiam tuæ dilectionis ô Domine tantam ego reputo miseriam, ut alias miserias in pœnam hujus absentiæ mihi comminari non sit necessarium.

Aug. lib. 1. Conf. cap. 5.

Tantam in amabilissimo dilectionis hujus incendio suavitatem olim inveniebat D. Salesius, ut in eo legisse me recolam, sibi nec tartari flammas terro-

ri

ri futuras si tantum possent amoris inferre, quantum doloris. Credebat nimirum Sanctus iste, quòd tartarus in Paradisum mutaretur, si, prout in Paradiso, sic & in tartaro Deus amaretur. Credebat quòd *non contristabit justum quidquid ei acciderit.* *Salesius lib. 7. Epist. 30.* Prov. 12. v. 21.

An non eandem quoque veritatem & nos credimus? An oculos fidei clausos illi suavitati tenemus, quam divinus amor includit? Certè si vellemus illos aperire totaliter, & attentiùs intueri, quantum præstet fervens amor, illo qui tepet, in amorem amoris accensi velocissimè raperemur.

Ramum viridem (inquit Augustinus) *ostendis ovi, & trahis illam: nuces puero demonstras, & trahitur: sine lasione corporis trahitur,* CORDIS VINCULO TRAHITUR. *Si ergo ista, quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt: quoniam verum est, trahit sua quemque voluptas*; quomodo corda nostra non traheret agnita suavitas illa, illa jucunditas, illa felicitas quam adfert resolutio firma, nihil eorum quæ Deo magis esse placita cognoscuntur, omittendi? Augustin. Tract. 26. in Joan. post initium.

Porrò quantoperè felicitas eorum qui resolutionem hanc adepti sunt, aut §. B.

saltem adipisci contendunt, felicitatem & eorum quibus observare mandata satis est, & aliorum qui tantùm aliqua superaddere satagunt, consilia, superet, per triplicem filiorum Israël felicitatem intelligimus : per eam videlicet quam habuerunt in Ægypto, in deserto, & in terrâ promissionis.

Magnam quidem populus Israël in ipsâmet Ægypto felicitatem habuit, si quis eorum conditionem, cum eâ, quæ competebat Ægyptiis, velit comparare : nam supra quòd populus ille ab Ægyptiacis plagis fuit immunis, non parva certè felicitas haberi debet, quòd benigno semper oculo, tanquam populum suum, respexerit illum Deus; nec à Deo similiter oculos suos ille deflexerit, sed tanquam Creatorem & Conservatorem suum, nunquam-non aliquo saltem modo coluerit: sic ut proinde *Moyses grandis factus, negaverit se esse filium Pharaonis, magis eligens*, & majores delicias æstimans, *affligi cum populo Dei.*

Hebr. 11. v. 24.

Verùm si quis aliam eorum felicitatem consideret, quam invenerunt, quando relictâ Ægypto, suam in deserto consecuti sunt *libertatem*, tantò major

major hæc illâ videbitur, ut non nisi pura puta miseria sit in illius comparatione nuncupanda: quanto siquidem dolore, quanto labore, quantis oneribus in Ægypto per importunissimos exactores torquebantur, premebantur, & tantùm non opprimebantur?

Ita similiter eorum felicitas, qui commorantes in sæculo reddunt Domino vota sua, quæ in sacro fonte baptismatis distinxerunt labia susceptorum si comparetur cum illâ felicitate quâ perfruuntur qui se elongant fugientes & manent in claustrali solitudine, prorsus evanescit, non aliter quàm sicut exorto solis lumine minora lumina nostrorum fugiunt aciem oculorum. Ecquis enim felices illos dixerit, qui licitis adhuc serviunt honoribus sæculi, divitiis ejus ac matrimonialibus voluptatibus obediunt, si ad Religiosorum felicem *libertatem* & liberam felicitatem reflectat, qui per obedientiam, paupertatem & castitatem rebus omnibus, nec non sibi ipsis glorioſissimè, locupletissimè, jucundissimeque dominantur?

Qui dignitatibus, quamvis non prohibitis, quærunt eminere, videmus

eos onerari magis quàm honorari. Spinæ verò divitiarum quantùm pungant, imò cruentent animam, nemo non experitur: de matrimonialibus autem voluptatibus dicit Apostolus: *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi.* Multum igitur infelices hujusmodi servos (dicamne Dei vel sæculi, cum ipsimet sæpiùs cuinam magis appretiativâ dilectione velint cohærere dubitent) felicitate præcellunt, qui ab Ægypto liberi per solitudinem religiosam ad terram promissionis, hoc est, ad excellentiam solidæ perfectionis, nihil imperfectionis cum advertentiâ plenâ cõmittentis, procedere satagunt.

2. Cor. 7. v. 28.

Sed sicut filiis Israël, quamvis aquas amaras eis dulcescere Deus faceret, Manna de cœlo plueret, voluntatem suam per manum Moysis indicaret, multisque beneficijs eos locupletaret, contigisse legimus, quòd corde sæpiùs revertebantur in Ægyptum, quòd contra Moysen insurgebant, contra Deum rebellabant: nunquid similibus etiam non raro miseriis eorum est respersa felicitas, qui vota tantùm suæ Regulæ substantialia servare student, & sic infeliciter in deserto

5. C.

qua-

quasi vagantur, nec ad terram fluentem lac & mel, hoc est, fertilissimam bonorum omnium resolutionem perfectionis majoris accedunt?

Devotissimum incolam hujus resolutionis, sanctum dico Bernardum, super hoc audiamus: *Superbiendo* (inquit) *contendendo, dimicando, murmurando, detrahendo, susurrando, negligendo, contemnendo, & propr as voluntates faciendo, infinitas, qui nunc sunt monachi, culpas incurrunt. Hinc est quòd de horum magnâ multitudine, qui sæculum deserunt, rari valdè inveniuntur, qui mortificatis vitiis ascendere contendant ad perfectionem virtutum. Hæc autem significabant illa sexcenta millia armatorum, qui de terrâ Ægypti educti sunt: duo autem solummodò homines, id est, Iosue & Caleb, ex illis omnibus, terram promissionis ingressi sunt, regredi autem volentes in Ægyptum, prostrati sunt in deserto diversis generibus mortium.* Hæc & plura D. Bernardus. Bern. de ord. vitæ.

Verumtamen unde dicemus tam exiguum esse numerum eorum qui se perfectionis studio veraciter addicunt? Congruentissimam hanc assignat rationem S. Franciscus de Sales: quia sicut olim exploratores *detraxerunt terræ quam suspexerant, apud filios Israël dicentes: Terra quam* Num. 13. Salesi. Introd. p. 2. cap. 3.

quam lustravimus, devorat habitatores suos &c. Sic etiamnum plurimos audias, qui perfectioni solidæ tanquam nimis arduæ, difficili, vel etiam impossibili detrahere non cessant usquequaque. Studiosorum perfectionis loquuntur punctiones, tacent unctiones: laboris exaggerant acerbitatem, amoris subticent suavitatem. Perdere dicunt illos voluptates, quas cum fœnore mutant de corpore ad animam, de sensibus ad conscientiam.

Idē ubi suprà.

Fructibus immaturis (inquit dulcissimus ille, quem jam citavimus, Doctor & Ductor animarum) *saccharum confert dulcedinem; tollit cruditatem & nocibilitatem illis qui jam sunt maturi. Spirituale quoddam saccharum est devotio: aufert hæc amaritudinem mortificationibus, & vim nocendi consolationibus: morositatem fugat à pauperibus, anxietatem à divitibus, desolationem ab oppressis, insolentiam à fortunatis, tristitiam à solitariis, dissolutionem ab eo qui vivit in societatibus: ignis beneficium confert hyeme, irrorationis æstate; abundare scit & penuriam pati: tam opprobria, quàm honores fructificare facit; voluptatem & dolorem æquali ferè semper corde recipit, & admirabili nos replet suavitate.*

Nun-

Nunquid his verbis aptè ſubnectam interrogationem illam, quam poſt diſcurſum ſimilem de charitate (quæ dum perfectionem attingit à devotione non differt) apud S. Bernardum reperio, dicentem: *Videtis quanta ſublimitas, videtis quanta ſecuritas, quantaque ſuavitas* CHARITATIS? Nunquid ſimiliter cum eodem hîc locus eſt exclamandi: *Fælix anima, quæ ad hunc* CHARITATIS *pervenerit ſtatum?* Bern. ſerm. I. de S. Andr.

§. D.

Quantum olim aberat à deliciis terræ promiſſionis frequens ille populus, qui in illo tam arido quàm infructuoſo vagabatur & gemebat deſerto ſolitudinis, tantùm & amplius ab hujuſmodi felicitate diſtat eorum conditio, qui majoris perfectionis apparenti difficultate perterriti, ſupra terminos ſuæ profeſſionis non conantur aſcendere: ſed mundanis ita vanitatibus abrenuntiant, ut ſæpiùs in eis, quas ſibi credunt non illicitas (uti ſunt dignitates ambiri non prohibitæ, deambulationes, aliæque ſimiles recreatiunculæ) non illibenter ſemetipſos irretiant.

Applicari videntur poſſe talibus D. Gregorii verba, quæ ſuper hunc locum Job, eum ſcripſiſſe reperimus:

Qui

Job. 30. *Qui inter hujusmodi lætabantur, & esse sub sentibus delicias computabant*; ait enim. *Miscentur eorum gaudia plerumque tribulationes: atque rebus ipsis, ex quibus superbiunt, flagellantur. Neque enim sine gravibus curarum molestiis possent temporalia, quæ appetunt, vel non habita quærere, vel quæsita servare: inter æquales præstantiorem gloriam appetere &c. Hæc profectò miseros pungunt: & easdem punctiones, ipso rerum temporalium victi amore, non sentiunt. Lætantur itaque sub sentibus, qui rebus quidem temporalibus gaudent, sed tamen dum dispensare eadem temporalia sine tribulatione non valent, eâ curâ punguntur miseri, quâ premuntur. Manent sub sentibus & hoc ipsum delicias æstimant, quia & dura quidem ex præsentis vitæ amore tolerant, & tamen* AFFECTU NIMIÆ CUPIDITATIS OBLIGATI, *laborem ejusdem tolerantiæ voluptatem putant.*

Greg. lib. 20. Moral. cap. 16.

Plura alia S. Gregorius de eodem argumento disserit, inter quæ illud maximè videtur ad propositum nostrum spectare, quòd ejusmodi homines veteribus Hebræis persimiles esse docet, qui Ægyptias ollas, pepones, porros, & cœpas suspirabant. *Quid enim* (inquit) *signatur per ollas carnium nisi carnalia vitæ opera, tribulationum doloribus,*

Exod. 16.

quasi

quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones, nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros & cœpas exprimitur, quæ plerumque qui comedunt lachrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ à dilectoribus suis, & non sine luctu agitur, & tamen cum lachrymis amatur? Manna igitur deserentes cum peponibus ac carnibus, porros, cæpasque quæsierunt, quia videlicet perversæ mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus, laboriosa hujus vitæ itinera, lachrymis plena, concupiscunt: contemnunt habere ubi spiritualiter gaudeant, desideranter appetunt ubi & carnaliter gemant. Horum itaque vecordiam veridicâ voce Iob reprehendit: quia nimirum perverso judicio perturbata tranquillis, dura lenibus, aspera mitibus, transitoria æternis, suspecta securis anteponunt.

§. E.

Quòd hæc Religiosis illis, qui rebus tantùm licitis affectu cohærendo, suas in cæteris obligationes studeant implere, non conveniant, alicui fortasse videatur: eò quòd tales non anteponant perturbata tranquillis, dura lenibus, &c. Sed contra potius; eò quòd obligationum suarum transgressionem vitantes perturbata, similiterque dura, aspera, transitoria, suspecta, respuant;

& sic tranquilla, lenia, mitia, æterna, secura, concupiscant: ac per hoc non perversum, sed justum ac sanum judicium habeant.

Verùm si quis attentè consideret, quantum bonorum augmentum illis accedat, qui sic relinquunt omnia, sic omnibus abrenuntiant, amore perfectionis illimitatæ, ut affectum suum ne licitis quidem velint indulgere, quatenus ipse indivisus omninò divinis rebus possit applicari, non diffitebitur utique, quòd supradicti Religiosi, quoad augmentum istud, verè perturbata tranquillis, dura lenibus &c. anteponant: adeoque perversum judicium quoad hoc augmentum veraciter habeant.

Et sanè quis non dixerit illius perversum esse judicium, qui vitam filiorum Israël per desertum, quamvis felicem quidem in comparatione vitæ quam duxerant in Ægypto, infelicem tamen omninò, si comparetur illi vitæ quam in terrâ promissionis posteà sunt consecuti, huic ultimæ vitæ felicissimæ non dubitaret anteponere? Fateamur similiter Religiosos illos, qui vota sua tantùm substantialia servant, quamdiu servant illa (quòd rarò diu solet illis

contin-

contingere qui non ultra conantur ascendere) si comparentur illis, qui conjugio, divitiis, honoribus fruuntur & mundum in hisce diligunt nimis immundum, æquo pollere sanoque judicio. Perversum tamen & iniquum censeri debet eorum judicium, si comparentur aliis, qui, dum Apostolorum instar in Domino possunt gloriari: *Ecce nos reliquimus omnia*, reliquimus prorsus omnia, nihil excipiendo, nihil reservando, ne licita quidem ulla, terram divinæ promissionis inhabitant. Matt. 19. v. 27.

His profectò conveniunt illa verba, quibus suis olim Religiosis congratulabatur D. Bernardus, dicens: *Arduus quidem ascensus Hierusalem, utpote per ipsam montis summitatem incisus, sed via compendiosior laboris magnitudinem vel temperat, vel excludit. Vos autem tam felici facilitate, quàm facili felicitate, non solùm itis, sed curritis; quia exonerati estis, & accincti, nihil ponderis super dorsa portantes. Non sic aliqui, non sic qui quadrigas & quadrigalia onera pertrahentes, montis circuitum ambire decernunt, & plerumque per devexa montium præcipitantur, ut vix finem inveniant vitæ suæ. Fœlices igitur vos, qui vos & vestra* SINE OMNI EXCEPTIUNCULÂ *reliquer.tis.* Bern. serm. de quadr. debit.

Ita scilicet eorum felicitas est omninò summa, qui omnes relinquunt suavitates, omnes utilitates, omnes dignitates; quia si hoc fiat *sine omni exceptiunculâ*, præcellens omninò centuplum & suavitatis, & utilitatis & dignitatis recipiunt.

5. F. Omnes quidem felicitatem voluptatemque desiderant, esse beati cupiunt & gaudere, sed falluntur in hoc miseri, quòd illa quærant in hujus vitæ dignitatibus, utilitatibus, voluptatibus terrenis, hoc est, tantùm apparentibus: cùm illa veraciter in Deo solummodò reperiantur. Unde S. Augustinus ait: *Absit Domine, absit à corde servi tui qui confitetur tibi; absit ut quocumque gaudio gaudeam beatum me esse putem. Est enim gaudium quod non datur impiis, sed eis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es. Et ipsa est vita beata, gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est & non est altera. Qui autem aliam putant esse, aliud sectantur gaudium, neque ipsum verum. Ab aliquâ tamen imagine gaudii voluntas eorum non avertitur.*

Aug. lib. 10. Cõf. cap. 22.

Rationem autem cur tantùm sit imago gaudii vel felicitatis in amore creaturarum, & veritas illius in amore

re Creatoris, hanc nobis etiam D. Auguſtinus aſſignat: quia quidquid eſt bonum creatum, non eſt bonum ſolidum ſive firmum & immobile, ſed omninò fluxum & variabile: Bonum autem increatum eſt omninò firmum atque ſolidum, nec ulli varietati nec viciſſitudini obnoxium, & ob id ſolum quod beare poteſt animas noſtras.

Hinc eſt quòd ſuam his verbis alloquatur idem Hipponenſis Antiſtes: *Noli eſſe vana anima mea, & obſurdeſcere in aure cordis tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu: Verbum ipſum clamat, ut redeas. Et ibi eſt locus quietis imperturbabilis, ubi non deſeritur amor. Ecce illa diſcedunt, ut alia ſuccedant. Nunquid ego aliquò diſcedo, ait Verbum Dei? Ibi fige manſionem tuam, ibi commenda, quidquid inde habes, anima mea, ſaltem fatigata fallaciis.* Aug. lib. 4. Conf. cap. 11. Non levi cordis oculo tranſeundum nobis eſt quòd S. Pater meritò ſuam animam extimulet, ut veram in Deo voluptatem aliquando requirat, quæ ſe fatigatam fallaciis inveniebat: neminem quippe reperiri poſſe crediderim, quem non experientia doceat, veriſſimum eſſe prolatum illud à Deo recedentium: *Laſſati ſumus in viâ iniquitatis.* Sap. 5. v. 7.

Utinam saperent homines, & intelligerent ac saltem præsentia considerarent; viderent ad oculum quòd sint omnia vanitas vanitatum præter servire Deo, sanctamque *voluntatem* ipsius fideliter in omnibus adimplere. Chrysostomus omni calculo sententiam hanc confirmans: *Nihil aliud*, inquit, *grave & acerbum est, quàm Dei offensionem incurrere. Hoc sublato, non afflictio, non insidiæ, non aliud quidpiam, prudentem animam molestiâ afficere queat. Quin potius quemadmodum si exiguam scintillam in magnum pelagus injicias, eam protinus extinxeris: eodem modo molestia omnis quamlibet ingens, si ad animum sibi benè conscium inciderit, confestim perit & evanescit.* Unde mirum non est quòd illi, qui verè desiderant, ut fiat voluntas Dei, sicut in cœlo & in terrâ, cœlum etiam in terrâ inveniant & in hac lachrymarum valle, supernarum deliciarum beatitudinem aliquo modo prægustent.

Chrys. Hom. 1. in Epist. 2. ad Corinth.

Testem alium adhuc audire libet? D. Ambrosius ita loquitur: *Non frangitur sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis; sed etiam* IN ÆRUMNIS BEATUS *manet: Quia non in delectatione corporis, vitæ beatitudo, sed in conscientiâ purâ ab omni labe.* Suf-

Amb. lib. 1. de Jacob. cap. 8.

Sufficienter auribus satisfactum existimo, sed cum aliquos etiam testes oculi videantur inquirere, duos his breviter exhibeo, qui convincere possint, extra cœlum eos cœlestia prælibare gaudia, qui voluntati divinæ totaliter semetipsos offerunt.

§. 6. Optimæ fidei scriptor de Religioso quodam commemorat, cujus vestes vel solummodò tactæ valetudinem multis restituebant: hinc ille apud ægros venerationi, apud suos admirationi esse cœpit, cum tamen in eo nulla virtus emicare videretur; vitam enim agebat pro more cæterorum in cœnobio, nec ullis insolitis austeritatibus corpus affligebat: hoc unum studiosissimè cavere solitus, ne quid aliud unquam vellet quàm Deus. Cum itaque sinè pharmacis mederetur sæpiùs, rogatus à Cœnobiarchâ ejus rei causam: Mirari seipsum, ajebat, & pudore ob id affici, cùm cæteros jejuniis & precibus vix æquaret, nedum superaret. Ita est, inquit Cœnobiarcha, te hominem lætum esse non ignoramus, cætera non suspiciendum præ aliis. Simul in omnia pressiùs inquirere & multa scisciari cœpit Antistes, ac animi

Vide Drexel. Heliotr. lib. 3. c. 2.

arcanum reſerare cupere. Hîc vir ille Religioſus: Eam, inquit, mihi gratiam à Deo factam jure commemini, quòd ad *voluntatem divinam* ita me conformarim, ut adverſo Deo nihil unquam movere velim. Neque verò etiam metuo res unquam fore tam turbidas, ut animo cadere aut conqueri libeat: ſed nec ulli, puto, tam proſperi ſucceſſus mihi ſic blandientur, ut ob eos ſingulari me patiar gaudio compleri. Nam omnia ſine diſcrimine de manu Dei accipio, neque poſtulo, ut ea quæ fiunt, arbitratu meo fiant, ſed ita fieri quæque volo ut fiunt. Ita nihil me voluptate, nihil mœrore afficit, nihil me turbat, ſed nec beat quidquam, niſi ſola, niſi una atque unica *Dei voluntas*. Ideò in omnibus omninò precibus hoc unicè flagito, ut *divina voluntas* in me ſemper rebuſque creatis omnibus quàm integerrimè perficiatur. Miratus hîc vehementer Antiſtes: Et amabo te, inquit, expone ſodes, quis tibi nuper ſenſus, an non unà nobiſcum acerbè ferebas, cùm nefarius homo ignem ſubjecit noſtris ædibus, cùm ſtabulum & horreum, tam multum frumenti & pecoris combuſtum,

ſtum, damno penè irreparabili ? Ad quæ Cœnobita: Hoc, inquit, ſcias velim, Pater reverende, nihil inde mœroris me contraxiſſe. Nam in more poſitum habeo, pro his talibus Deo gratias agere, cum certiſſimus ſim, quidquid rerum fit, divinâ permittente providentiâ fieri, idque omne in noſtrum emolumentum. Ideò curæ mihi non eſt modicum an multum habeamus ſuſtentandæ vitæ : Deo fido, qui quemvis noſtrum æquè fruſtulo panis poterit nutrire, ac pane integro. Ita lætus dego & alacer. Hîc Cœnobiarcha multa contradicere, & variis quæſtionibus hominem urgere, ut ſic ſuaviter exprimeret latentes animi ſenſus. Poſt varia : Quin imò, ait iſte, per quotidianam mei oblationem *divinæ voluntati*, eò deveni ut ſi præſcirem ego ad inferos me dejiciendum decreto immutabili, Deo tamen refractarius eſſe nollem, modò ſimul liceret ſcire, ſic Deo viſum eſſe, ita Deum velle: imò etiamſi oratione dominicâ vel ſemel pronuntiatâ divinum illud decretum reſcindere poteſtas eſſet, ſanè id audere non vellem, ſed potiùs geminas haſce Deo preces admoverem; Ut æquiſ-

æquissimam sanctissimamque *voluntatem* suam in me pergeret, exequi : &, ut hanc unam mihi gratiam faceret, quâ vetarer, totâ Æternitate *divinæ voluntati* quidquam contrarium cogitare. Cohorruit ad has voces Cœnobiarcha, & penè in lapidem stetit, oborto utrimque silentio. Demum : Ito, inquit, ito, mi Pater & propositi hujus tenacissimus maneto. *Cœlum extra cœlum reperisti.*

§. H. Aliud exemplum. Fuit olim magni nominis Theologus, qui octennium ipsum assiduis precibus Deum obsecravit, hominem sibi monstraret, à quo viam doceretur ad cœlum compendiosissimam. Eo igitur die quo hujus hominis assequendi desiderio maximo tenebatur, nec aliud mallet quàm Magistrum videre tam arcanæ veritatis, vocem cœlitùs allatam audire sibi visus est, quæ sic moneret : *Exi foras ad templi vestibulum, & qualem quæris, reperies hominem.* Prodiit ergo in publicum, & ad ædis sacræ limina mendicum invenit, tibiis ulcerosis, & multo pure fluentibus : vestis mendici vix trium obulorum erat. Huic Theologus candidum precatus est, & prosperum manè.

nè. Cui mendicus: Non memini, ait, me unquam habuiſſe adverſum. Hîc litteratus ille, primam ſalutationem velut correcturus: Eja, inquit, fortunatum te reddat Deus. At ego, inquit mendicabulum, infortunatus nunquam fui. Obſtupuit ad hanc vocem Theologus, ſed ne forſan erraſſet audiendo, votum ſuum repetens, ſed paullò aliis verbis: Ecquid ais, inquit, felicem te eſſe jubeo. Mox iterum mendicus: Nunquam, ait, infelix fui. Theologus argutari credens dicacem mendiculum, & ut hominis ingenium experiretur: Eveniant, inquit, volo tibi quæ optas: atque id fiat. Non eſt, ait iſte, quod hîc querar, omnia fiunt ut volo; quamvis fortunæ meæ conſilia nõ applicem. At Doctor ille denuo ſalutans an valedicens: Servet te Deus, inquit, vir bone ſi quidem fortunam oderis. Sed dic obſecro, tune ſolus inter calamitoſos beatus? Job ergo falſus qui aſſerit: Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miſeriis? Et quomodo tu evaſiſti omnes malos dies? Non ſatis aſſequor animi tui ſenſa. Ad quæ mendicus: Sic eſt, mi Domine, ut dixi.

Optan-

Optanti manè prosperum, negavi me unquam habuisse improsperum, Sorte meâ, quam mihi Deus hîc assignavit, contentus sum : non egere felicitate felicitas mea est. Ita me nunquam infelicem fuisse ajo, ut cui omnia ex voto cadunt. Quòd si fame urgear, Deũ providissimum patrem ob id laudo. Si frigus me urat, si nimbus in me ruat, si aliis cœlum injuriis me impetat, Deum æquè laudo; cùm aliis ludibrio sum, Deum non minus laudo. Nam certus sum horum omnium auctorem esse Deum: nec posse non esse optimum quod Deus facit. Idcirco quidquid Deus vel tribuit vel evenire permittit, gratum sit an ingratum, dulce an amarum, juxtà habeo, nam hæc omnia velut de manu parentis optimi lætus accepto, & hoc unum volo quod vult Deus; ita omnia fiunt ut volo. Itane verò, inquit Theologus, tu ista ex animi sententiâ profers? Sed dic, obsecro, eademne tibi mens esset, si te Deus ad inferos statuisset præcipitare? Cui promptè mendicus. Me, inquit, ad inferos præcipitare; ad inferos ille? At scias duo mihi esse brachia miri roboris, his ego illum arctis-

simè

simè stringerem complexu insolubili. Unum brachium est, subjectissima Humilitas, per sui oblationem ; alterum Charitas sinceriſsima, per Dei dilectionem. His ego me brachiis Deo sic innecterem, ut quocũque ablegarer illuc eum unà mecum traherem. Et sanè multò foret optatius extra cœlum esse cum Deo, quàm in cœlo sine illo. Suffecerunt hæc Doctori. Utinam doceri vellemus in eo quotquot sumus.

CAPUT XXIV.

Doctrina quædam præclariſsima Sancti Franciſci de Sales, *præcipuam huius libelli ſubſtantiam breviſsimè clariſsimeque dilucidans.*

§. A.

IN hoc primo libro conor præsertim explicare, quòd licet unum sit præceptum dilectionis, per cujus dictamen nemo non seriò teneatur ad sublimiſsimum

mum perfectionis apicem contendere; sic ut nulli sit integrum aliquam perfectionem non affectare, vel eam rejicere, dicendo: *Non sum ad eam obligatus*; diversi tamen sint gradus sive modi, quibus præceptum hoc potest adimpleri.

Tres quidem gradus huc usque solummodò proposuimus, quorum primus est in timore Domini mandata custodientium, secundus in spe consilia principaliora supererogantium, tertius in charitate nihil omninò deliberatè cum advertentiâ plenâ supererogationis omittentium: Rectè siquidem ait Bernardus: *Initium sapientiæ* TIMOR DOMINI, *medium* SPES, CHARITAS *plenitudo*. Tres tantùm gradus & tres viæ solent ordinariè distingui: nimirum purgativa, illuminativa, & unitiva: quarum primæ correspondet libertas ferrea, secundæ argentea, tertiæ verò aurea. Verùm quia liber hic primus disponere conatur animas ad *votum Seraphicum*, de quo secundo libro loquendum erit, ut ad hoc jam proprius accedamus,

Bern. serm. 1. in fest. S. Andr.

§. B.

Inquirere conveniet: An, quando quis adeò profecit ut ad gradum tertium sive charitatis, hoc est, ad viam uni-

unitivam pervenerit, ut ad *propositum Seraphicum* ascenderit & libertatem auream consecutus sit, ulterior quò possit ascendere non restet gradus? Negativa quidem responsio videtur inde colligi debere, quòd hic status non sit incipientium vel proficientium, sed perfectorum: qui, cum jam consecuti sint finem ad quem tendebant, non videntur habere ulterius quò tendant.

Affirmativa tamen responsio plurimis ostendi potest argumentis: ex quibus unum illud brevitati nostræ sufficiet, quòd Apostolus Paulus, quantumvis in ipsâ perfectione promotus esset, ita tamen scribat: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse: sequor autem si quo modo comprehendam.* Notanda sunt præcipuè quæ posteà subnectit, dicens: *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus*; nos videlicet non comprehendisse, sed sequi debere si quo modo comprehendamus. Philipp. 3. v. 12.

Per quæ satis apparet illos tres Deo serviendi gradus ordinarios, nimirum incipientium, proficientium, & perfectorum, non sic intelligi debere, quasi, dum verum quis habet propositum faciendi semper quidquid intelligitur esse

esse perfectius, nullus tunc gradus inveniatur, quò possit altiùs ascendere: quia præter hos tres gradus ordinarios, supereſt gradus quidam alius extraordinarius admirabilem continens latitudinem.

Quatuor itaque gradus perfectionis à S. Francisco de Sales jure meritissimo distinguuntur, secundùm quòd habemus in Canticis, Pacificum Regem habuisse conjuges diversi generis. Ita quippe legimus: *Sexaginta sunt* Reginæ: *& octoginta* Concubinæ: *&* Adolescentularum *non est numerus. Una est* Columba *mea perfecta mea.* Quã diversitatem exponens allegoricè D. Salesius ait, quòd

Saleſ. de Am. Dei lib. 10. c. 4. & 5.

Cant. 6. v. 7.

F. C.

Gradus primus & infimus sit Adolescentularum, quæ computabantur quidem inter amantes & amatas Regis Salomonis, sed ad nuptialem thalamum illius tamen non accedebant: disponebantur autem ut aliquando mererentur accedere.

Adolescentulæ significant animas à peccatorum fœcibus recenter conversas & in amore divino tenellas, infirmas & quasi novitias: quæ licet divinam suavitatem verè diligant, dilectio

lectio tamen earum plurimis affectionibus aliis est intermixta: nam cum earum amor adhuc sit in rudimentis, hinc ita Deum amant, ut simul cum ipso plurimas res vanas, superfluas & periculosas etiam diligant.

Phœnici recenter è cineribus renato, qui lanugine primâ tantùm vestitus & plumis adhuc non instructus, ita volat, ut videatur saltare potius quàm volare, similes istæ sunt animæ delicatulæ, quæ vitam in Christo novam acceperunt, & vixdum è cineribus suæ pœnitentiæ prodierunt, quæ multitudine pravarum inclinationum, & habitudinum depravatarum constrictæ sursum corda vix sciunt ad Dominum elevare. In vero quidem amore Dei vivunt, & vivit amor in ipsis, nam aliàs peccata non reliquissent, hic tamen amor juvenculus est atque debilis & amoribus aliis, ne pleno volatu sursum feratur, impeditus.

Cœlestem illæ Sponsum diligunt, sed sicut adolescentiores filiæ, quæ licet amore vero complecti soleant sponsos suos, attamen simul etiam crepundias suas, parvas aviculas, catellos & alia similia diligendo, non defæ-

catum ſatis amorem erga ſponſos habent. Similiter enim hæ converſæ recenter animæ verum amorem illum quo Sponſum diligunt in vanitates diverſas voluntariè diſtrahunt : ita videlicet ut illum ſuper omnia diligentes, rebus etiam aliis cor adhærere permittant, quas præter illum, & extra illum & ſine illo diligunt. Nam inordinationes illæ quoad abundantiam verborum, veſtimentorum, recreationum & hujuſmodi vanitatum, ſicut propriè loquendo non ſunt contra Deum, ejuſque ſanctiſſimam *voluntatem*, eò quòd per illa non deordinentur ab ultimo fine, ita ſimiliter non ſunt ſecundùm hanc *voluntatem*, ſed extra illam & ſine illâ. Harum autem *Adoleſcentularum nullus eſt numerus.*

Secundus gradus eſt Concubinarum, quæ licet ad excellentiam Reginarum non aſcenderent, thori tamen regalis aliquando participes erant tanquam honoratæ magis ac legitimæ Regis amicæ.

§. D. Concubinæ ſignificant animas, quæ in amore divino profectum aliquem fecerunt : quæ rerum periculoſarum amori taliter abrenuntiarunt, ut amo-

re

re & periculoso & superfluo non careant: eò quòd illis rebus, quas Deus vult ut diligant, affectu passionato terrenoque nimis adhæreant. *Divina voluntas* erat, ut suam conjugem Adam diligeret, non tamen, ut hoc adeò tenerè faceret, ut propter eam divinum præceptum violaret. Non amabat ergo rem superfluam aut secundùm se periculosam, sed periculosè nimis, & plus quàm Deus volebat, eam amabat. Amor parentum, amicorum, & benefactorum, *divinæ voluntati*, secundùm se, conformis est: excessivè tamen eos non infrequenter diligimus, sicut etiam spirituales interdum nostras vacationes & exercitia pietatis, quæ non debemus non amare. Inordinatus autem tunc est eorum amor, cùm illis obedientiam aut bonum commune posthabemus.

Phœnici tales animæ non sunt absimiles, cujus jam pennæ vigoris aliquid acceperunt, sic ut volatu scindat aërem, sed tamen non diuturno, propterea quòd necdum satis ad hoc virium habeat: unde frequenter ad terram descendere cogitur, & quiescere. Nihil amant animæ tales, nisi quod

vult Deus ut ament: Sed excedentes in amandi methodo divinam Bonitatem ſuper omnia quidem diligunt, ſed non in omnibus: quia res, quas non tantùm poſſunt, ſed etiam debent amare ſecundùm Deum, non amant ſolummodò ſecundùm Deum, ſed propter alias etiam cauſas & motiva, quæ licet non contra Deum, extra Deum tamen ſunt. Nuptialem itaque thalamum Cœleſtis Salomonis hæ animæ non nunquam intrant, & in amoroſis elevationibus mentis, in ſuaviori cordis recollectione ſe Deo copulant. Felix quidem hora, ſed brevis eſt mora: quoniam rerum illarum pondere, quas extra Deum ambiunt, ad inferiora terræ negotia, perdentes otia ſua, retrahuntur.

§. E. *Tertius gradus* & inter ordinarios ſupremus eſt Reginarum, quæ, tanquam præcipuæ Regis amicæ, cæteras præcellebant, & regio thoro frequentiùs fruebantur.

Reginæ ſignificant animas, quæ neque ſuperflua neque cum exceſſu quidquam diligunt, ſed tantùm diligunt ea quæ vult Deus, & ut vult Deus. Felices animæ, quæ diligunt amicos in Deo;

Deo, & inimicos propter Deum. Plura quidem cum Deo diligunt, sed nihil nisi in Deo, & propter Deum. Deum amant, non tantùm super omnia, sed etiam in omnibus, & omnia similiter in Deo.

Phœnici perfectè jam renovato, pleniqúe vigoris, quem rariùs in terram descendere videmus, eò quòd assiduè versetur in excelsis, illæ similes sunt animæ, quæ cum adeò perfectè sciunt regere seipsas, ut nihil extra Deum aut absque Deo diligant; sed omnia tantùm in Deo, & propter Deum, non sine causâ *Reginarum* titulo gaudent, sicut & ipse *Regis*.

§. F.

Ultra tres hosce gradus ordinarios, alius adhuc longè superior est, ad cujus perfectionem adeò paucæ conscendunt animæ, ut jure meritissimo dicatur: UNA *est columba mea*, PERFECTA MEA, quæ super omnes alias & amatur, & amabilis est, ac etiam amat: quæ non tantùm Deum super omnia diligit, sed insuper nihil diligit in omnibus præter Deum: sic ut non plura diligat, sed unum solummodò, nempe Deum.

Quia verò solus est Deus quem

diligit in omnibus quæ diligit, æqualiter illum diligit ubique, secundùm quòd beneplacitum illius requirit, extra quascumque res, & sine quibuscumque. Deum cum Universo non ampliùs diligit hæc Amans, quàm Deum solum: quidquid enim Deus non est, ipsi nihil est.

Hæc anima phœnici non potest ultra comparari: quia scilicet ad hæc infima nunquam descendit, sed in cœlis est ipsius conversatio: sic ut per avem illam, quæ *Paradisiaca* dicitur, quæque semper volat in excelsissimis, aptiùs intelligatur. Et licet præter B. Virginem nullus mortalium ad hunc gradum perfectè conscenderit; aliquæ tamen electiores animæ reperiuntur, quæ gradum hunc aliqualiter attigerunt.

Talis erat ille qui toto corde suo Deo cantabat: *Quid mihi est in cœlo & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Talis etiam qui dicebat: *Omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Nonne testabantur hujusmodi se nihil amare extra Dominum & Magistrum suum, amare autem se illum extra omnia alia?

Ps. 72. v. 25.

Philipp. 3. v. 8.

Et

Et quis potuit etiã alius esse sensus præcellentis istius Amatoris, qui totâ nocte suspirabat: *Deus meus & omnia?*

Divum Augustinum, Bernardum, duas Catharinas nimirum Senensem & Genuensem supradictis annumerat S. Salesius: qui & ipse cum Seraphicâ M. N. Teresiâ non potest ab eodem numero sequestrari.

§. 6. Notatu verò digniſſima ſunt verba quæ devotiſſimus ille Genevenſis Epiſcopus adjungit, dicens: *Ad hunc divini amoris gradum, ſicut aſcenderunt jam præfati, ita nemo non poteſt etiam*, ſi modò voluerit, *aſpirare.* Qualiter autem eos aſcendiſſe putamus? Nemo de repente fit ſummus. Infirmas, in principio ſuarum converſionum, voluntates, opportunioribus mediis, ita corroborare ſtuduerunt, ut in hoc gradu paulatim veraciter vellent eſſe: & per hoc ipſum quod vellent etiam poſſent.

Ipſis ergo medullis animæ dictum hoc Oratoris aurei commendemus: *Velle efficit poſſe: ut nolle, efficit non poſſe. Magna vis eſt voluntatis, quæ efficit nos poſſe, quod volumus; & non poſſe, illa quæ nolumus. Nec enim quiſpiam poterit excuſari, quaſi voluerit, & non potuerit: cum conſtet* Chryſ. Tom. 2. in fine Serm. de Zacheo.

eum idcirco non potuisse, quia noluit: ut nolens volentis exemplo damnetur, & volens, quia implevit quæ voluit, muneretur.

CONCLUSIO

Demonstrans quòd nemo cum ratione se possit à proposito Seraphico *excusare.*

§. A. CUm divina ratio non minus judicet omnibus esse convenientem, quàm *divina voluntas* appetat, veram sanctificationem; prout in principio
Cap. 11. libelli clarissimè demonstravimus, si quis à *proposito Seraphico*, cum ratione se posset excusare, manifestè sequeretur aliquam rationem ratione divinâ esse meliorem.

De cœlesti Sponso, qui posuit in sole tabernaculum suum, dixisse novimus Psaltem Regium: *Non est qui se*
Ps. 18. *abscondat à calore ejus.* Lectionem aliam
v. 7. sic habere se dicunt aliqui: *Non est qui se excuset à charitate ejus:* apud Deum enim in vocatione vel ad gratiam vel

ad

ad charitatem perfectam, *non est distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Non equidem dives, ut Reges sęculi, quorum opes distributione minuuntur, sic ut propterea non possint nisi subditorum aliquibus exigui quidpiam tribuere: sed ita dives, ut opes suas, quantumvis distribuat, nullâ tamen parte minuere valeat. Unde non etiam vocat aliquos, relictis aliis, sed aperto clamitat ore: *Venite ad me* OMNES *qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matt. 11. v. 28.

Si omnes igitur ad eximiam (quòd ad se attinet) virtutem Deus alliciat, ad sanctitatem vocet, ad perfectionem invitet, non denegabit assequendi gratiam, nec ascendendi facultatem. Quod namque invitamentum esset, verbo vocare, impulsibus & afflatibus ad epulas invitare & volentibus ac venientibus ostium claudere? Minimè claudit Deus, minimè claudit: sed homines ipsi, vanis se prætextibus excusantes, viam sibi perfectionis occludunt.

Illi sunt qui ad cœnam Regis vocati vel emptione dominatûs, vel rerum §. B.

rum amore deliniti, cœnam illam opiparam & invitantis benevolentiam repudiando, dicunt: Unus quidem, *Villam emi & necesse habeo exire & videre illam; rogo te habe me excusatum.* Alius autem: *Iuga boum emi quinque & eo probare ea; rogo te habe me excusatum.* Tertius verò: *Uxorem duxi, & ideò non possum venire.*

Luc. 14.

Ita profectò nescio quibus non prætextibus major pars hominum ab ineundâ solidæ perfectionis semitâ miserabiliter avertitur. Quidam enim ab ignorantiâ & ingenitâ rusticitate: quidam à corporis imbecillitate, vel adversâ valetudine: quidam autem à negotiis & curis suo statui necessariis, aut ab obedientiâ demandatis: quidam tandem à perpetuâ quadam mentis ariditate, vel affectuum vehementiâ, vel etiam à continuis tentationum incursibus, ab assecutione perfectionis se credunt impediri. Sed facescant à mentibus hominum tam falsa tamque pernicioſa deliramenta.

Ignorantem te dicis & insciam ac per hoc secretorum cœlestium tibi credis aditum impossibilem? Sed si veraciter ignorantiam tuam agnosceres, non

te per illam impediri, sed juvari potiùs ab æternâ Veritate discere valeres, asserente : *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ : quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater quoniam sic placitum fuit ante te.* Matt. 11. v. 25.

Veram certè Dei notitiam, charitatemque perfectam nec scientiæ mundanæ concipiunt, nec illorum ingenia pariunt, qui in subtilitatibus suis evanescunt ; sed qui in spiritu humilitatis Domino Majestatis inserviunt. An sine litteris non potes cœlum pulsare precibus, implere gemitibus ? An non potes, nisi doctrinâ turgeas, esse mansuetus, humilis, atque pacificus ? Cur audebat gloriari David : *Introibo in potentias Domini* ? Causam quæris ? *Quoniam* (ait) *non cognovi litteraturam.* Ps. 70. v. 15.

Optimè profectò Cassianus vim illius Davidici carminis, quo divinum imploramus auxilium, multis exaggerans, sic ejus efficaciam in fine concludit : *Constat neminem prorsus ob imperitiam litterarum, à perfectione cordis excludi, nec rusticitatem obesse ad capescendam animæ puritatem, quæ compendiosissimè adjacet cunctis, si modò sanam & integram intentionem mentis, jugi ad Deum versiculi hujus meditatione,* Cassian. Coll. 10. cap. ult.

ne, ſervaverint. Infinitis hanc veritatem exemplis poſſe ſtabiliri, qui vel parum conſiderare voluerit, non difficulter inveniet.

§. C. De valetudine corporis adversâ, vel infirmitate, vel imbecillitate quacumque, ſi quis excuſationem prætexat, & perfectionem per ſimilia credat inviam fieri; non conſiderat ille, quoniam *probatio fidei, patientiam operatur* (ut S. Jacobus ait) *patientia autem opus perfectum habet.* Nec illud etiam D. Pauli: *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* Et iterum: *Virtus in infirmitate perficitur.*

Jac. 1. v. 4. 2. Cor. 12. v. 10. 2. Cor. 12. v. 9.

Quid multis? In *palæſtrâ ſanctæ libertatis* non magnis opus eſt viribus, non ingenii ſubtilitate, non dicendi facundiâ. Non enim ignotum eſt iſtud Apoſtoli: *Stultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi.* Et rurſus: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.*

1. Co. 1. v. 20. verſ. 27.

Servulus ille toties à D. Gregorio celebratus, paralyſi reſolutus, indigentiâ preſſus, per patientiam eſt ſanctitatem conſecutus; & qui vivens aſpicientibus horrorem incuſſerat, moriens aſtan-

astantes suavissimi odoris fragrantiâ recreavit, & angelis constipatus in cœlum ascendit. Nihil hîc de S. Liduinâ, nihil de pluribus aliis in medium adferam, qui summum perfectionis apicem, infirmi decumbentes, ascenderunt, non multa faciendo, sed morbos & adversitates, cum resignatione, patiendo.

Sed occupationum, inquies, multitudo me Deo vacare non permittit. An occupationibus igitur sanctos Ecclesiæ Patres excedis, an Pontifices vincis, qui totam suis humeris velut Ecclesiam sustentarunt? An Doctores superas qui scribendo, docendo, disputando, cunctas hæreticæ pravitatis nebulas dissiparunt? Non hoc ipsemet in corde judicas. Occupationibus ergo tuis quod superfluum est, amputa; quod sæculare, quod prophanum est reseca; quod distortum, dirige; quod inquietum, remove; quod distractum, collige; quod tepidum, accende: & erunt tibi non imperfectionis seminaria, sed perfectissimæ charitatis instrumenta.

Nemo se mentis etiam ariditate vel quacumque tentationum molestiâ de- §. D.

fende-

defendere ſtudeat. Si dulces enim lachrymarum fontes ſint exſiccati, ſi conſolationum ſubſtracta gaudia, ſi cordis ſerenitas, animæ tranquillitas lætitiaque fugerunt: perſeverantia tolerantiæ non fugiat, cognitio propriæ vilitatis non abeat, mentis compunctio, virtutis fervor non tepeſcat: illa ſunt enim quæ ſine conſolationum gaudiis, imò cum deſolationum fluctibus ad portum optatæ perfectionis adducent. *Non te oportet, ô homo, ut perfectionem aſſequaris* (inquit S. Bernardus) *maria transfretare, non penetrare nubes, non tranſalpinare neceſſe eſt. Non grandis, inquam, tibi oſtenditur via: uſque ad teipſum occurre Deo tuo.*

Bern. Serm. de Advent.

Præclarè ſimiliter ad noſtrum propoſitum Laurentius Juſtinianus: *Vehementer* (ait) *excitat ad profectum charitatis, tentatio. Electorum namque deſideria deprimuntur adverſitate, ut proficiant: ſicut ignis flatu premitur, ut creſcat: & unde quaſi extingui creditur, inde roboratur. Sic nimirum cùm per tentationem humilitas in animâ proficit, proſpera eſt ipſa adverſitas, quæ mentem & charitatem accendit, & ab elevatione cuſtodit.*

Laur. Iuſtin. in ligno vitæ Tr. de char. cap. 14.

Ecce quomodo Sol æternus de tenebris

nebris ipsis facit lumen splendescere. Quàm non in angulo quodam ostendit perfectionem quærendam, vel abscondentem faciem suam? *Sapientia foris prædicat* (inquit Salomon) *in plateis dat vocem suam. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens: Usquequò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sunt sibi noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam?* Prov. 1. v. 20.

Quæ cùm ita sint, frustra profectò retineri se queruntur aliqui, ne studio liberæ perfectionis, perfectæque libertatis incumbant, per hoc etiam quod vel uxoriâ compede sint constricti, quam deserere nequeunt, vel necessariis curarum nexibus irretiti, quibus extricare se nec charitas ipsa permittit. Frustra, dico, similia vinculorum impedimenta multi prætexunt: quia si nullum ibidem cupiditatis vinculum intercedat, libertatis integerrimæ gratiâ potiuntur. Itaque nihil aliud à perfectione solidâ nos retrahere potest, nisi sola vincula cupiditatis, nisi solæ, voluntatis propriæ, circa res inferiores & terrenas, adhæsiones: adeò ut eo casu quo perfectioni sedulam non impendimus operam, nulla, præter iner-

inertiam noſtram, hujus miſeriæ cauſa poſſit aſſignari.

§. E. His interim non obſtantibus, non paucos invenies, qui, tanquam ſi non penderet ab eis, excuſare conantur ſe, per illud Salvatoris de caſtitate prolatum: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* Exiſtimantes enim non aliam totius perfectionis quàm perfectæ caſtitatis eſſe rationem, eò quòd utrumque donum optimum & datum perfectum de ſurſum venire debeat, & non poſſimus ex nobis illa comparare, tanquam ex nobis: hinc ſe juſtiſsimâ credunt ratione poſſe concludere, non ipſis hoc imputari debere, quod dato perfectionis optimo careant.

Matt. 19. v. 11.

Verumenimverò quamvis id quod exiſtimant illi, ſit omninò veriſsimum, id quod inde tamen concludunt eſt abſurdiſsimum: nec enim defectui divinæ bonitatis ſuam perfectionis aſcribere debent inopiam: ſed propriæ tantùm inertiæ voluntatis, & electioni liberrimæ poteſtatis. Hinc eſt quod Os aureum oſtendere ſatagens ex noſtræ voluntatis electione fieri, quòd non proficiant omnes ex illâ, quam Chri-

Christus de castitate fecit, exhortatione (quòd huic intento quoque nostro potest aptari) sic loquitur: *Si electionis opus est*, inquies, *quomodo Christus incipiens* exhortationem *statim dixit: Non omnes capiunt, sed quibus datum est? Ut singulare id esse certamen perdiscas, non ut sorte datam necessitatem suspiceris. His enim datum est qui sponte id eligunt: quòd ideò dixit, ut ostenderet superiori nobis auxilio esse opus (quod quidem omnibus expetentibus paratum est) si volumus in hac luctâ superiores evadere.* Chrys.

Divus etiam Hieronymus eundem locum explanans: *Nemo putet* (inquit) *sub hoc verbo: Non omnes capiunt* &c. *vel fatum vel fortunam introduci, quòd hi sint virgines quibus à Deo datum est: aut quos quidam ad hoc casus adduxerit. Sed his datum est qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt. Omni enim petenti dabitur, & quærens inveniet, & pulsanti aperietur.* Hieron.

Testimoniis jam adductis, illud insuper quod Tostatus habet, adjungamus. Ex duobus (inquit ille) continentia provenit: scilicet ex voluntate & dono. Ex voluntate quidem, ut velimus continere, & labores, qui in con-

tinendo sunt, tolerare. Ex dono, ut id quod volumus, possimus efficere. Et sicut non sufficit voluntas sine dono, sic nec donum sine voluntate.

Aptissimè profectò Corn. à Lapide supradictum quoque locum explanans hujusmodi ponit notabile. Quòd omnes scilicet fideles habeant donum continentiæ in actu primo, quo possint continere si velint: si nimirum vires & gratiam à Deo ad continendum assiduè rogitent, ac Dei gratiæ ad custodiam oculorum, fugam otii, macerationem carnis &c. cooperentur. Ita Origenes, Theophilactus & alii. Et patet (prosequitur idem) ex hoc loco: Christus enim hîc æquè ac Paulus 1. Corinth. 7. cuilibet fideli suadet & consulit continentiam, nihil autem suadetur & consulitur, nisi quod in hominis est arbitrio & potestate, cum gratiâ Dei, quam scilicet Deus cuilibet postulanti præparat & offert. Secus est de dono prophetiæ, linguarum, curationum; hoc enim Deus non omnibus præparat & offert, sed paucis duntaxat electis à se ad commune fidelium bonum.

Inepta prorsus est igitur illorum ca-

villa-

villatio, qui moniti, ne detrectent eam, quam ſui Majores, quam Auguſtinus, quam Franciſcus, quam Dominicus aut Tereſia, viam perfectionis illimitatæ triverunt, ſimiliter eligere, languentem iſtam ſtatim in promptu habent reſponſionem: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* Quaſi dicerent: Hic & ille noſtrorum Majorum ſublimem iſtam perfectionis viam tenere potuerunt, quia fuit hoc illis à Deo datum: ſi daretur & nobis, non diſſimilia faceremus; jam verò quia negatum eſt, nobis imputari non debet, quòd in minus perfectâ charitatis viâ remaneamus. Nunquid hoc ineptiſſimè? Cur enim non datur etiam tibi, qui ſic loqueris? Cur non potes & tu? Si non es totaliter infidelis, ſi tecum eſt lumen oculorum tuorum, ne tergiverſeris, ſed fatere candidè, quoniam ideò tibi datum non eſt, ideò non potes, quia non vis, quia laboris apparentiam perhorreſcis. Certo ſiquidem certius eſt quod imperfectio tua ex te Iſraël.

Sed agedum mentem corrobora, viriliter accingere, laboris exigui te non terreat apparentia. Deprecare Domi- §. F.

num; Quàm ſit ejus & jugum ſuave & onus leve conſidera: devotis inhære codicibus, ora, quære, pulſa: meque fatebor mendacii reum, ſi non impetraveris, ſi non inveneris, ſi clauſa tibi manſerit janua perfectionis.

Imò verò quoties etiam non petentis animum cæleſtes inſpirationes præveniunt, torpentem excitant, teperem incendunt? Quoties non tuis ingerunt cogitationibus hæc aut ſimilia: Quid tibi & crepundiis iſtis? Cur propter hujuſmodi, quibus adhæres, nugas, & quisquiliarum illecebras, augmertum iſtud, quod habere poſſes, ſi ad veram te perfectionem accingeres, æternarum & cœleſtium perdis deliciarum?

Ad Petrum quondam catenis vinctum acceſsiſſe legimus cœleſtem genium, qui *percuſſo latere Petri excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.* Nunquid etiam tuum quandoque latus cœleſtis inſpiratio percellit & vehementer inclamat: *Surge velociter?* Audi vocem ejus & omnes abrumpendo moras exurge cum Apoſtolo, cadentque catenæ de manibus tuis.

Act. 12. v. 7.

Macte

Macte animo quisquis in has fortaſsè paginas incides, noli horam expectare futuram, noli quoque locum propoſito tuo firmando convenientiorem inquirere. Omne tempus, omnis locus, non minus quàm omnis homo propoſito perfectionis eſt idoneus: Omnibus enim quadrat illa S. Petri Damiani exhortatio. Ad cœleſtem perfectionem *ſe jam noſter ſpiritus dirigat: illuc diruptis terrenæ concupiſcentiæ vinculis æſtanter evolare contendat.* Petr. Dam. Serm. 53. de S. Luca.

Nulla debet hîc nulla prorſus imprudentiæ formido ſubrepere. Poterit quis forſitan imprudenter ſtatuere, quòd multum jejunabit, quòd conjugem deſeret, quòd bona ſua pauperibus erogabit, quòd cucullam induet: Quòd verò cor ſuum à rebus terrenis omnibus abſtrahet, quòd ea quæ Deo cognoſcet eſſe gratiora complebit, imprudenter ſtatuere poteſt nemo. Nemo, dico, non puer, non ſenex, non vir, non fœmina, non dives, non pauper, non religioſus, non conjugatus. Nemo, dico, ſit ſanus, ſit infirmus, ſit doctus, ſit inſcius, ſit videns, ſit cæcus, ſit juſtus, ſit iniquus Omnes poſſunt: omnes etiã (prout antcà demon-

ſtravimus) aliqualiter obligantur, *potiorem Dei voluntatem* omnium ſuarum actionum Regulam univerſalem accipere.

§. C. O *voluntas* amabilis! O *voluntas* ſuper aurum & topazion deſiderabilis! quàm rectè ſapiunt qui nullam tibi, te vero rebus omnibus anteponunt? Veniet dies illa, veniet, quâ Zelatores tui qui modò tanquam purgamenta ſunt hujus mundi, cœleſtibus aliquando choris inſerti, ſuos vix dignabuntur deſpectores aſpicere.

Nulli certè magis irrideri ſolent ac deſpici, quàm qui ſine morâ convertuntur à peccatis ad ſtudium perfectionis, & non tantùm ſe mandatorum accingunt obſervantiæ, ſed etiam conſiliorum; omnia perfectionis impedimenta, quantum in Domino prævalent, ſeponentes. Si quis tamen ex animo converſionem hujuſmodi meditetur & exequatur, audeo dicere, *Digitus Dei eſt iſte.* Viriliter itaque procedat, nec vanis eorum argumentis, qui ſpiritum conantur extinguere, terreatur.

Obturet aures ſuas objicientibus, quòd conſiliorum divinorum praxis, tantùm illis, qui in cœleſtium præcepto-

ceptorum obſervantiâ ſunt exercitati conveniat: Aperiat autem illas Angelico Doctori, cujus hæc verba ſunt: *Ut Dominus oſtenderet perfectionem conſiliorum utilem eſſe & innocentibus & peccatoribus, non ſolùm vocavit adoleſcentem innocentem* (dicens illi, ſi vis perfectus eſſe vade, vende omnia quæ habes &c.) *ſed etiam Matthæum peccatorem. Sed tamen Matthæus ſecutus eſt vocantem, non autem adoleſcens: quia facilius convertuntur ad Religionem peccatores, quàm qui de ſuâ innocentiâ præſumunt, quibus dicit Dominus Matt. 21. Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* D. Th. 2. 2. qu. 189. art. 1. ad 1.

Plures audias exaggerantes illud Sancti Gregorii: *Nemo repentè fit ſummus, ſed in bonâ converſatione, à mininis quis inchoat, ut ad magna perveniat.* Ex quo concludendum exiſtimant, quòd nemo debeat ad omnem *divinæ voluntatis* executionem ſe paratum offerre, qui ſe priùs in mandatorum, & aliquorum poſteà conſiliorum obſervantiâ non exercuerit. Sed neceſſarium non eſt ut huic objectioni reſpõdeatur à me, cum ipſe D. Thomas eam efficaciſſimè refutet. Greg. Hõ. 15.

Ipſumne forſitan audire quis appetit?

D. Th. 2.2. qu. 189. art. 1. ad 2.

tit? *Summum* (inquit) *& infimum tripliciter accipi possunt. Uno modo in eodem statu & in eodem homine. Et sic manifestum est, quòd nemo repentè fit summus: quia unusquisque rectè vivens toto tempore vitæ suæ proficit, ut ad summum perveniat. Alio modo per comparationem ad diversos status. Et sic non oportet ut quicumque vult ad superiorem statum pervenire, à minori incipiat; sicut non oportet, quòd, qui vult esse clericus, priùs in laicali vitâ exerceatur. Tertio modo quantum ad diversas personas. Et sic manifestum est, quòd unus statim incipit non solùm ab altiori statu, sed etiam ab altiori gradu sanctitatis, quàm sit summum ad quod alius pervenit per totam vitam suam. Unde Gregorius dicit in 2. Dialog. Omnes cognoscant à quantâ Benedictus puer conversationis gratiâ & perfectione cœpisset.*

Porrò quàm sit eorum evasio frivola, qui propterea perfectissimo, quoad possunt, modo, se *voluntati divinæ* vel obedientiæ recusant subjicere, quòd se multis & magnis affirment spiritualibus infirmitatibus obnoxios, hac ratione luculenter ostenditur. Si quis infirmus ideò se diceret obtemperare consiliis experti medici non audere, quia morbus aut vulnera sunt ingentia, nunquid

quid

quid aptissimè replicaretur illi, quòd propter hoc ipsum consiliis prudentioribus potissimum indigeat? Illud verò si locum habeat in curando corpore, licet apud expertissimos etiam Medicos, ibi frequenter mors inveniatur, ubi vita quærebatur: quantò magis illius in omnibus obtemperandum est directioni, qui certam nobis animæ vitam, & hanc æternam, repromittit?

Ad propositum hoc elegantissimè D. Hieronymus: *Sentiens* (inquit) *anima se peccasse, & habere vulnera peccatorum & indigere cauterio, constanter dicit ad medicum: Ure carnes meas, reseca vulnera: ut tot tormenta sustineam & postea sanitatem recipiam.* Hieron.

Christianorum non paucis hoc Epicteti convenientissimè posset inculcari: *Ignavissime homo, aliudne expetis, quàm quod melius est? Num verò aliud quidpiam melius, quàm quod Deo visum fuerit?* Si nos ille cupit per opera pœnitentiæ sanitatem animæ deperditam recipere, quid in hac parte nos Deo non credimus, & ad ea quæ requirit non ferventer nos accingimus? Epict. lib. 2. dissert. cap. 7.

O quantus olim fuit ad opera pœniten-

nitentiæ Christianorum & quàm perfectus fervor! *Cognovi quosdam in pœnitentiâ sulcasse vultum lachrymis* (inquit D. Ambrosius) *exarasse continuis fletibus genas, stravisse corpus suum calcandum omnibus, jejuno ore semper & pallido, mortis speciem, spiranti in corpore, prætulisse.*

Ambr. lib. 1. de pœnitēt. cap. 16.

Ferrea sunt, & plus quàm ferrea sunt præcordia mortalium, quæ non emolliuntur ardoribus eorum, qui se paratissimos ad omnem sanctæ curationis acerbitatem exhibere soliti fuerunt. Inter quos ædificationi plenissima quondam hæc verba dixisse legitur Henricus Rex Angliæ Legatis Apostolicis, acceptando pœnitentias pro nece D. Thomæ: *Ecce corpus meum in manus vestrâ est. Scitote pro certo, quòd, quidquid jusseritis, paratus sum obtemperare.* Dixit & fecit.

Baron. ad An. 1172.

§. H.

Tempus jam esset hunc primum librum absolvere: Verùm quia non deerunt ineptientes contra virorum sanctissimorum quæ jam protulimus exempla, dicentes: ista fiebant *in illo tempore.* Tempora jam sunt mutata, nec practicari videmus hoc tempore conversiones hujusmodi sive subitaneas sive ferventes.

Redar-

Redarguendi ſunt, qui ſic loquuntur, non à me tamen, ſed à Sapiente. *Ne dicas* (ait ille) *quid putas cauſæ eſt, quòd priora* TEMPORA *meliora fuere, quàm nunc ſunt? Stulta eſt enim hujuſmodi interrogatio.* Eccl. 7. v. 11. Cur ſtulta? Quia ex perſuaſione prorſus ineptâ procedit: quòd videlicet præterita tempora præſentibus meliora fuerint.

Perſuaſionis hujus ineptitudinem abundè manifeſtat, quòd eadem ſemper fuit & hominis ad malum inclinatio, & Dei ad confortandum hominem miſeratio. Nunquid ſemper ſenſus & cogitatio hominis ad malum prona fuit ab adoleſcentiâ ſuâ? Nunquid caro ſemper concupivit adverſus ſpiritum & ſpiritus adverſus carnem? Nunquid ſemper ad carnis illecebras, ad aucupium gloriæ, ad vindictam inimicorum; aliaque ſimilia vitiorum horrenda, naturæ noſtræ rapuit infirmitas? Vel aliam olim naturam Sanctis fuiſſe credimus? Non fuerunt Sancti nobis naturæ melioris (inquit S. Ambroſius) ſed emendatioris: & certum eſt eos vitia non ignoraſſe, ſed emendaſſe.

Ad Deum verò quod attinet: Hoc etiam

tempore verum est illud Isaiæ: Ecce *non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat: neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.*

Is. 59. v. 1.

Sapienter profectò scripsit olim, & nunc scribere posset S. Mater N. Teresia: Inobservantiæ teporem TEMPORIBUS (inquit) *non ascribant*; SEMPER *quippe* EST TEMPUS; *ut magnas gratias Deus eis impendat, qui sincerè & in veritate ipsi serviunt.* Et post pauca: *Ridiculum sanè est* (ait) *quòd imperfectionis meæ causam, conjiciam in id, quòd inter primas non fuerim, & non perpendam quantum sit inter meam vitam ac virtutem, & illarum, quibus gratias tam excellentes Deus faciebat, discrimen. Quàm sunt Deus bone! excusationes hæ frivolæ, & contortæ? Quàm manifestæ & evidentes hæ illusiones?*

Ter. lib. fundat. cap. 4.

Nefas est (deinde prosequitur) *quempiam conqueri: at si Ordinem suum in aliquâ re prolabi, dissolvi, ac relaxari videat, det operam talis lapis ut ipsa sit, suo ut adminiculo ædificium prolapsum restauretur & resurgat: ad quod ei Dominus indubiè auxilio erit.*

Idem certè Dominus est qui merita supplicum excedit & vota: sicut nimirum & excessit in præterito, & in futu-

futuro ſemper excedet; quia dicit ipſemet: *Ego Dominus & non mutor.* Item Apoſtolus: JESUS CHRISTUS (ait) *heri & hodie, ipſe & in ſæcula.* Q. D. Non ſolùm Deus ſuis adfuit eo tempore quod effluxit, ſed adeſt etiam eo quod nunc fluit, nec deerit unquam eo quod poſthac fluet. Mal. 3. v. 6. Heb. 13. v. 8.

§. I.

Pleniſsima ſanè conſolationibus animæ ſunt illa Chriſti verba: ECCE *ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Utinam! ah utinam ſuâ luce dignaretur humanis cordibus, ad hanc veritatem in veritate percipiendam, irradiare Dominus! Quantum inde fervorem conciperent, quantam conſtantiam, quàm conſtantem virtutem, quàm virtuoſam reſolutionem parturirent? Matt. ult.

Videre mihi videor S. Chryſoſtomum exilio proximum, cùm Imperatrix Eudoxia fureret, tam ignitum, quàm aureum hoc eloquium è cathedrâ ſpargentem in populum. *Multi quidem fluctus & undæ immanes, ſed ſubmergi non vereor, quia ſupra petram ſto &c. Quidquid terroris habet mundus, contemno: quidquid delectabile habet, rideo. Divitias non cupio, paupertatem non horreſco, mortem non timeo.*

Hæc

Hæc postquam præmisit, ita prosequitur : *Non ego propriâ virtute confido. Habeo scripturam Domini mei, manum ipsius teneo; illa mihi cautio satis tuta est, illa me securum reddet & intrepidum. Etiamsi orbis commoveatur, ego cautionem Domini mei teneo. Vultis vobis recitem Domini cautionem?* Ecce (*inquit*) vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.

Si nullius momenti homuncio, mei similis vellet ex hac sententiâ concludere, præsentem sibi Christum ad auxiliandum semper adesse; non omnibus, sed solis Apostolis illam fuisse dictam fortè quis replicaret. Verùm non solos Apostolos, utpote qui usque ad finem sæculi supervicturi non erant, sed omnes in Domino confidentes promissum istud respicere satis apertè manifestat Antistes constantissimus. Ac proinde sic addit : Christus *mecum est : quem timebo? Etiamsi fluctus insurgant, etiamsi totum pelagus adversum me conturbetur, etiamsi Principum furor, omnia mihi illa araneæ sunt, & arancis fragiliora.*

En quantas eruit confidentiæ divitias ex hac aurifodinâ Chrysostomus,

Ecce

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Eruemus & nos si fodiendi laborem, si die ac nocte in lege Domini meditandi devotionem, impendere voluerimus. Unde fiet etiam, quòd non minus hæc tempora præsentia, quàm ea quæ fluxerunt, apta judicabimus ad Æternitatis Domino fideliter inserviendum.

Divum, si placeat, Hieronymum super hoc audiamus. *Nec vetus* (inquit) SÆCULUM *præsenti præferas: quia unus utriusque est Conditor Deus. Virtutes, bonos dies, viventi faciunt: vitia malos. Non dicas ergo meliores fuisse dies sub Mose vel sub Christo, quàm modò sunt. Et illo tempore plures fuerunt increduli, & dies eorum mali facti sunt. Et nunc credentes multi reperiuntur, de quibus ait Salvator: Beatiores sunt, qui non viderunt & crediderunt.* Hieron. in Eccles. cap. 7.

Ex his manifestè colligitur, non ideò remittendum esse fervorem, quia tepidi multi sunt in diebus nostris. Quinimò potius per hoc ipsum inveniunt illi qui se virtuti seriò consecrant, actionem quasi per antiperistasim, ut lavent scilicet manus suas, & supra nivem dealbent, in sanguine peccatorum. §. I.

Arri-

Arrigamus aures & detonantem de pulpito Sanctum Carolum Borr. auscultemus: *An verò* (ait) *deterremur à curatione nostrâ, quia exulcerantur animi quorundam passim dictitantium: Non ferunt hæc* TEMPORA *veterum Canonum & antiquæ medicinæ medicamenta? Imò verò* ARDENTIUS *progrediamur.* &c.

Car. Borr. Orat. 6.

Frequentissima nos sacræ Scripturæ doctrina certos reddit diversis similitudinibus, in Ecclesiâ malos bonis omni tempore fuisse permixtos. Sed cur hoc ita permittit providentia Dei? *Ne putetis* (inquit Augustinus) *gratis esse malos, & nihil boni de illis agere Deum: Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur: aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur:* adeoque de bono melior efficiatur.

Aug. in Ps. 54.

Postquam D. Bonaventura causas attulit ex quibus ordinariè status Religiosus *ita deficit, ut non solùm deterior fiat, sed etiam quasi desperabilis, quòd vix unquam, nisi Deus ordinet aliter, reformetur:* ad propositum nostrum ita prosequitur: *Sed qua diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, quod non fit in communi fieri potest in particulari. Quilibet proficere volens convertit ad lucrum suum, alio-*

Bonav. in determ. quæst. circa Regul. qu. 19.

aliorum detrimentum: ut Apostolus, qui auxit Gloriam ex hoc quod non ei nocuerunt pericula in falsis fratribus.

Dixisse quondam Psaltem Regium novimus: *Tempus faciendi Domine.* Sed quare? Forsitan quia virtuosis multorum exemplis ad hoc provocabatur? *Quia* (inquit) *dissipaverunt legem tuam.* Ps. 118.

§. M.

Eandem etiam Deo perfectiùs inserviendi rationem assignat D. Paulus, dicens: *Videte itaque fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes,* REDIMENTES TEMPUS. Quare? *Quoniam dies mali sunt.* Quod explanans D. Thomas ait: *Oportet nos tempus redimere, quia dies mali sunt: quia debemus malitiam dierum vitare & à quibusdam licitis abstinere. In hunc autem modum dicitur aliquis vexationem suam redimere, quia dimittit aliquid de jure suo perire.* Eph. 5. v. 15.

Teporem itaque suum nec non imprudentiam ostendunt illi, qui studium perfectionis in illis difficultatibus, quas experiuntur, considerantes, ex aliquâ circumstantiâ vel temporum vel corporum, vel alterius rei, nullas olim difficultates aut exiguas Sanctos inveniisse, videntur sibi persuadere: sic ut non tantùm spiritui, verùm etiam

carni jugum Evangelicum ſuave fuerit & onus leve. Teporem profectò ſuum oſtendunt, quorum ad illam difficultatem, quam perſecutio malevolorum adfert, videntur corda quaſi congelaſcere: quoniam ſi arderent, non eis noceret boreas, ſed magis accenderet.

Propoſito noſtro mirificè quadrat id quod ſcribit S. Auguſtinus ſuper illud Pſalmi 9. *Dum ſuperbit impius incenditur pauper.* Verba Sancti Patris ita ſe habent: *Mirum & verum eſt, quanto ſtudio bonæ ſpei parvuli accendantur ad rectè vivendum comparatione peccantium. Quo myſterio agitur, ut etiam hæreſes eſſe permittantur.*

Poſtquam Salvator noſter dixiſſet Apoſtolis: *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*, qualem inde traxit conſequentiam? An ut ſe conformarent aliis? An ut veritatem ſeponerent? Nequaquam. Sed, *Eſtote* ITAQUE *prudentes* (inquit) *ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Ipſum itaque periculum quod nobis ex perverſorum imminet conſortio non ad ſocordiam impellere, ſed ad ſerpentinam debet prudentiam excitare.

Matt. 10. v. 26.

Et

Et quænam est, inquies, hæc prudentia? Chrysostomus audiatur: *Serpens totum* (ait) *seipsum tradit, nec minimum curat si ipsum quoque corpus incidi necesse sit, dummodo caput suum integrum servet. Eodem tu quoque modo, præter fidem cætera perdere non cures, sive pecunias, sive corpus, sive etiam vitam ipsam profundere necesse sit. Fides enim caput est & radix, quâ servatâ, etiamsi omnia perdas, omnia tamen rursum majore cum gloriâ recuperabis.* Chrys. Hõ. 34. in Matt.

Ex hac doctrinâ facilè concludi potest, quòd propter ipsos inimicorum insultus, solicitos magis nos esse deceat, ut habeamus prudentiam non humanam, non carnalem, sed fidei, sed istius Serpentis, cujus similitudinem Moyses exaltavit in deserto, hoc est, Christianam; secundùm cujus dictamina perfectionis illimitatæ propositum nulli non expedire demonstravimus.

Porrò quòd propter sæculi corruptionem *propositum Seraphicum* omitti nullo modo debeat, amplius adhuc ostendi potest ex illis Apostoli verbis; *Nolite conformari huic* SÆCULO; *sed reformamini in novitate sensûs vestri: ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* Rõ. 12. v. 2.

fecta. Quem locum explanans Origenes ait, quòd Apostolus *ostendit esse quandam formam hujus sæculi & aliam esse sæculi futuri: & si qui sunt, qui amant præsens sæculum & ea quæ sunt in hoc mundo, secundùm formam sæculi præsentis aptantur: Qui verò non aspiciunt ea quæ videntur, sed quæ non videntur & æterna sunt, transformantur & renovantur ad formam futuri sæculi.*

Orig. in Epist. ad Rom. lib. 9. c. 12.

Non debet igitur propter obloquentium importunitatem & laxiora consulentium, illimitatæ perfectionis propositum omitti: sed potius cum Psalmographo clamandum est: *Libera Domine animam meam à labiis iniquis & à linguâ dolosâ. Quæ est lingua dolosa*, petit Augustinus & mox respondet: *Subdola, habens imaginem consulendi & perniciem nocendi. Ipsi sunt qui dicunt: Et tu facturus es quod nemo fecit? Et tu solus eris Christianus? Et si ostenderit alios hoc facere* (prout in hoc opusculo satis abundanter ostendimus) *Et legerit Evangelium ubi præcepit Dominus hoc fieri* (dum videlicet ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.) *Et legerit actus Apostolorum: Illi quid dicunt in linguâ subdolâ & labiis iniquis? Non poteris fortè implere: mul-*

Ps. 119. v. 2.

multum est quod aggrederis.

Quid ais ô lingua dolosa? O labia iniqua quid mussitatis? Cum fide certum sit quòd omnia possimus in eo qui nos confortat, quid adhuc vos objicitis: *Non poteris* FORTÈ *implere*? Nimis est frigidum verbum istud. Nimis est infirmum illud, *fortè*. §. N.

Quid dixit Apostolus, quòd *fortè* omnia posset in Domino? Quid promisit Christus, quando laborantes & oneratos ad se vocavit? Aitne: Et ego vos *fortè* reficiam? O modicæ fidei, quàm & tu fortis fieres, si illud *fortè* destrueres & in Domino Deo exercituum fortissimo sine vacillatione confideres?

Invitata quondam à serpente protoplastes Eva, quatenus de fructu vetito manducaret, abnuit: sed non ex toto. Quid ita? *Ne fortè moriamur*, inquit. Itane sub dubio pœnam prædixerat Deus, quando verbis expressis cõminatus est: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*? Non ait: *fortè* morieris; sed, *morte morieris*, hoc est, absque dubio, certissimè morieris. Si illud *fortè* non posuisset Eva, certam peccati pœnam formidasset & nobis incer- Gen. 3. v. 3.

tam

tam æternitatis felicitatem non reddidisset : iis præsertim qui ab infelici Matre cupiunt illud *fortè* per hæreditariam quasi successionem accipere.

Renuntiemus in bonum nostrum successioni tam parum utili : quia si fide non dubiâ *voluntatem Dei* perdiscentes, atque spem firmam in illius bonitate projicientes (dum mundus totus est in maligno vel in igne malo positus) per *Seraphicum propositum* curam habeamus, ut ignis æternus amoris divini super altare cordis nostri semper ardeat, cum illis aliquando cohæredes Christi stabiliemur in æternitate, quorum hîc modò perfectionem æmulamur in *propositi Seraphici* veritate. Liceat ergo mihi cum Apostolo dicere fiducialiter:

Col. 1. v. 9. *Oramus, ut impleamini agnitione* VOLUNTATIS DEI, *in omni sapientiâ & intellectu spirituali; ut ambuletis dignè Deo per* OMNIA, *placentes: in* OMNI *opere bono fructificantes, & crescentes in scientiâ Dei:* IN OMNI VIRTUTE CONFORTATI.

LAUDETUR JESUS CHRISTUS,
In æternum.



DE VOTO SERAPHICO LIBER SECUNDUS.

In vinculis charitatis. Ose: 11.
Vincîtur innocens hostia Aug.

INTRODUCTIO.

DE *vinculis abrumpendis* hactenus locuti sumus, nunc de contrahendis aut contractis potius confirmandis restat loquendum: abrumpenda quippe vincula, *vincula* sunt *cupiditatis*, contrahenda verò vel confirmanda potius vincula, *vincula* sunt *charitatis*. De *vinculis* itaque *cupiditatis* transeamus ad *vincula charitatis*; de quibus apud Oseam ita loquitur ille, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum: *In funiculis Adam traham eos*, IN VINCULIS CHARITATIS. Ose. 11. v. 4.

Porrò cum Apostolus ipsam charitatem vinculum esse doceat, & quidem perfectum, dum ait: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est* VINCULUM PERFECTIONIS, Col. 3. v. 14. ut quid non vinculo sed vinculis nos trahere sibiq; copulare promittit humanę salutis Amator Deus? Divinæ scilicet benignitatis est non eo nos tantùm vinculo connectere sibi, quod est charitas: sed ipsam charitatem hanc alio fortificari confirmarique vinculo, nimirum voto, superaddito

Ps.67. v.7. desiderat, ut verificetur, *Educit* VINCTOS *in fortitudine.*

Ut felix *charitatis vinculum* obtinere valeat aliquis, omnia *cupiditatis vincula* debet abrumpere, quatenus extra concupiscentias præsentis sæculi constitutus, & constrictus vinculis seriæ mortificationis, Christo copulari queat vinculo dilectionis. Hinc appositissimè D. Bernardus: *Exeamus* (inquit) *& nos secundùm monita Sancti Pauli Apostoli, cum Sponso nostro, bono* JESU, *extra castra, id est, extra concupiscentias præsentis sæculi, improperium Crucis, &* VINCULORUM *asperitatem cum illo portantes: quia non decet membrum delicatum esse sub Capite Crucifixo: nec ad Capitis corpus se indicat pertinere membrum, quod Capiti compassum non fuit. Vinciamur ergo* VINCULIS *passionis boni* JESU, *ut etiam* VINCULIS CHARITATIS *cum illo vinciri possimus. Ipse enim* VINCULIS CHARITATIS *devinctus, ad suscipienda* VINCULA *passionis, de cœlo tractus est in terras: & nos è contrario, qui de terris trahi desideramus ad cœlum, priùs passionis ejus* VINCULUM *nostro Capite colligemus, ut per hoc ad* CHARITATIS VINCULA *pertinentes, unum efficiamur cum ipso, secundùm quod oravit Patrem, dicens: Rogo*

Bern. de pass. Dō. cap. 4.

Pater

Pater, ut quos dedisti mihi, confirmati in charitate, sint UNUM *in nobis, sicut ego & tu* UNUM *sumus. Quid hac* UNITATE *gloriosius? Quid ultra vel optare poteris vel habere? Unus cum Sponso tuo eris. O felix, felicior, imò omnium felicissima* UNITAS! *Hac unitate se Apostolus Christo unitum sentiebat, cùm dixit: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an periculum, an nuditas, an gladius? Certus sum quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus &c. Neque creatura alia poterit nos separare à charitate, quæ est in* CHRISTO JESU. Unde subjungit: *Optemus totis desideriis, hujus* CHARITATIS VINCULIS *Sponso & Domino nostro colligari.*

In Psalmo 149 dicuntur Sancti destinati, *ad alligandos Reges populorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis.* Quem locum explanans D. Augustinus de Christianis, qui ad VINCULUM charitatis solidioris nondum pervenerunt, ita loquitur: *Ipsi sunt tanquam in compedibus & tanquam in* VINCULIS *ferreis. Unde hoc? Ne progrederentur ad illicita, compedes acceperunt, compedes sapientiæ, compedes verbi Dei. Quare ergo* VINCULA *ferrea & non aurea? Ferrea*

sunt, quamdiu timent : ament, & aurea erunt. Attendat charitas vestra quòd loquar. Audistis modò Apostolum Ioannem; Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor tormentum habet. Et tamen nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem. Initium sapientiæ, timor Domini. Incipit ergo à VINCULIS *ferreis, finitur ad* TORQUEM *aureum. Dictum est enim de Sapientia: Et torquem auream circa tuam cervicem. Non tibi imponeret torquem auream, nisi primùm in compedibus ferreis te alligasset. Sed cœpisti à timore, consummaris à Sapientiâ.*

Verumenimverò quando quis ad eam felicitatem pervenit, quòd à Sapientiâ sit consummatus, quòd charitatem perfectam, quòd *vinculum hoc charitatis* pretiosissimum acceperit, ipsâ discit experientiâ, verissimam esse doctrinam primi libri nostri, quo demonstramus, in exilium & quidem longissimum ejiciendas esse tepidissimas voces istas : *Hoc aut illud perfectionis opus non facimus, quia non tenemur, non sumus obligati.* Quapropter optare solet etiam, ut hoc eis exilium, non tantùm sit longinquum, sed etiam perpetuum.

Quam-

Quamvis autem plura sint media, quibus hanc perpetuitatem stabilire potest, vix ullum tamen efficacius inveniri posse crediderim, quàm aliud *vinculum charitatis aureum*, nempe *votum Seraphicum*. Unde non frustraneum fore spero laborem meum, quo votum istud, in hoc secundo libro conabor declarare.

Isaiæ visio docuit, quòd *Seraphim stant*: unde justum est, ut, non tantùm Seraphicum ardorem, sed ejusdem etiam ardoris stabilitatem expendamus, explicando votum idoneum, quo confirmari valeat propositum faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius: ut sic *status aureus nullius cupiditatis* verè sit *status*: de cujus ratione D. Thomas docet esse, quod aliquam habeat immobilitatem sive firmitatem. Non quod hunc statum velim intelligi peculiarem aliquem gradum in Ecclesiâ constituere: sed loquor de statu prout est in animâ coram Deo, & prout eum distinguit S. Aquinas, à statu secundùm judicium Sanctæ Matris Ecclesiæ.

Is. 6. v. 2.

D. Th. 2. 2. q. 184. art. 4.

Nihil etiam, hoc votum explicans, agam contra veram animæ *libertatem*,

quam primo libro declaravimus; sed pro illâ potiùs: eò quòd necessitas, quam votum inducit, *libertatem* non auferat, sed confirmet atque stabiliat: *Vovendo* siquidem *voluntatem nostram immobiliter firmamus ad id quod expedit facere*: prout loquitur S. Thomas. Magis autem adhuc ad rem facit quod posteà subnectit, inquiens: *Sicut non posse peccare non diminuit* LIBERTATEM: *ita etiam necessitas firmatæ voluntatis in bonum non diminuit* LIBERTATEM, *ut patet in Deo & in beatis. Et talis est necessitas voti, similitudinem quandam habens cum confirmatione Beatorum.*

D. Th. 2. qu. 88. art. 4.

D. Th. 2. 2. qu. 88. art. 4. ad 1.

Ecce quomodo S. Doctor illam justissimè voto laudem tribuit, quòd ad cæleſtem quandam & innocentissimæ vitæ *libertatem*, quæ beatis competit, in quâ sic Deo sunt uniti, ut non possint peccare, animam elevet, non absolutè quidem, sed tamen aliqualiter. Quomodo *libertas* hæc vitæ futuræ, protoplastorum etiam nostrorum in statu innocentiæ *libertatem* superet, ex Augustino juvabit audire. *Prima* LIBERTAS (inquit) *voluntatis erat, posse non peccare: novissima erit multò magis, non posse peccare. Prima immortalitas erat, pos-*

Aug. de correct. & gratiâ.

se

se non mori: novissima erit multò magis, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere: novissima erit perseverantiæ felicitas, bonum non posse deserere.

Scio quidem paucissimos esse quibus conveniat illud votum, cujus explicationem aggredior, quia perfectio paucorum est: & rectè D. Bernardus monet: *Rarissima avis in terris, qui de gradu, quem in Religione semel attigerit, vel parum ascendat.* Unde cum hoc votum non sit nisi perfectorum & qui in statu aureo nullius cupiditatis profecerunt, labore vano me desudare quispiam fortè reprehenderit: sed absit ut adeò siniſtram aliquis opinionem de Religiosis habeat, ut eos, qui *Seraphicum* de majori perfectione *propositum* servant intemeratum & ad perfectionem solidam perfectè properant, nullos omninò credat inveniri. Pudor esset studiosos omnes post sexennium etiamnum in rudimentis desidere: & *miserrimum est* (ut Joannes Abbas apud Cassianum ait) *cujuslibet artis & studii disciplinam quemque profiteri, & ad perfectionem ejus non pervenire.* Bern. Ep. 96.

Quamvis autem vel uni tantùm, ex

ex tot Religioſorum millibus, hæc mea lucubratio vel exiguum aliquid emolumenti conferret, nequaquam fruſtra me laboraſſe crederem: quia melior eſt unus de numero perfectorum, quàm decem millia tepidorum.

Si quis autem propterea forſitan doctrinam hanc redarguendam exiſtimet, quòd aliquibus in laqueum ceſſura timeatur: edifferat, obſecro, feceritne laudabiliter Apoſtolus Paulus, epiſtolas ſuas conſcribendo? Stomachum tibi video moveri, quòd rem adeò certam exiſtimer in dubium velle quaſi vocare; Sed an credis nullos ex epiſtolis Paulinis aliquod accipere ſcandalum. Si hoc credis, non benè legiſti, quòd Apoſtolorum Vertex affirmet, in eis eſſe quædam difficilia intellectu, quæ cedunt in eorum perditionem qui Scripturas hujuſmodi depravant. An ideò damnandi ſunt, qui gladios conficiunt, quia multi gladiis abutuntur?

2. Pet. 3. v. 16.

Certè ſi propter abuſus tacendæ forent ſalutares doctrinæ, non rectè fecit Chriſtus (quòd abſit) caſtitatem conſulendo: quis ignorat enim plures eſſe perſonas, quæ tali conſilio ſemet-

ipſas

ipsas interimunt? Si tales personæ diligentiùs attenderent Christum, quando cælibatum laudat, adjeciſſe: *Qui poteſt capere capiat*: invenirent ſibi conſilium iſtud non convenire. Conſilia ſanè non omnibus, ſed capacibus proponuntur. Unde S. Bernardus: *Conſiliorum* (inquit) *ſolida fortiaque, ex intimis ſapientiæ proponuntur ſanis, & qui exercitatos habent ſenſus*: quia parvulis lac datur potus, non eſca ſolidior. Unde nec intentio mea eſt, ad *votum Seraphicum* indifferenter omnes inducere. Procul hoc abſit. Ad votum iſtud non tantùm probationem, ut prudenter emittatur, prævie requiri, ſed etiam approbationem apertiſſimè demonſtrabitur in ſequentibus: ut hujus voti bravium, non quicumque deſiderat, ſed *qui poteſt capere capiat*.

Matt. 19.

Bern. in Cant. Serm. 76.

Laudo quidem & extollo *votum Seraphicum*, ſed non aliter, quàm cùm Seraphicè nuncupatur, hoc eſt, cùm fit ab animabus inter amoris divini flammas excoctis. Ut vitam ſolitariam prudenter quis laudet & extollat, monere debet, Epiſcoporum ſtatui vitam hanc in hoc eſſe ſimilem, quòd aſſumenda non ſit niſi ab eis qui

jam

jam sunt in gradu perfectionis acquisitæ, probando quòd hæc vita non sit eorum qui tendunt solùm ad perfectionem, sed eorum qui jam perfecti sunt: prout apprimè docent D. Thomas & D. Bernardus & alii passim. Videtur autem omne punctum tulisse qui supradicto præconio monitionem hujusmodi prudenter admiscet. *Votum* ergo *Seraphicum* etiam, cùm sit ejusdem omninò conditionis, eandem quoque prudentiam laudator ipsius debet adhibere. Hoc porrò cùm facit, non magis argui potest, quasi rem nimis arduam, vel periculosam, vel præsumptuosam vel propter aliud simile vitium omittendam, extolleret, quàm cùm extollit vitam solitariam: quidquid enim respondendum foret hanc vitam, propter similia reprobanti, responderi potest etiam *votum Seraphicum* non admittenti.

Vide R. P. N. *Thom. de Var. Regul. Carm. p. 2. dub. 7.*

Mirum aliquibus videbitur id quod proferam: non tamen ideò silendum. Quamvis nunquam foret expediens ad *sublimissimum votum* ullam animarum inducere, necessaria tamen Confessariis esset scientia, quid de tali voto sit judicandum. Mirari verò desinet, qui consi-

considerat, non infrequenter accidere, quòd in hujusmodi votum animæ plures erumpant, præmisso nullius consilio: post factum verò tantùm quęrant consilium. In tali casu quæsierim ego, quid Confessarius, de *voto Seraphico* non satis instructus, responsi poterit adducere? Si quispiam sufficere credat hujusmodi votum protinus tollere, nec esse necessarium voventis capacitatem, cùm particularem ipsius notitiam non habet, examinare, notabile profectò damnum adferret animabus verè capacibus; quarum numerus licet valdè sit exiguus, præstantior tamen est aliis innumerabilibus.

CAPUT I.

Quòd sit conveniens propositum Seraphicum *aliquo* voto correspondente *confirmare.*

DUas invenio rationes præcipuas propter quas videtur expediens, quòd

quòd *propositum Seraphicum* aliquo *voto* correspondente corroboretur. Prima est, ut hoc *propositum* non deficiat: secunda, ut etiam proficiat.

§. A. Quo-ad rationem primam, exemplum speciale nobis exhibet Patriarcha sanctissimus Isaac. Legimus enim, cùm *Gen.22.* immolandus esset, pedes ac manus vinctum fuisse; nec dubium quin ipsius consensu: nullæ siquidem patris jam grandævi vires id potuissent in filium ætate & robore florentem. Igitur cùm ita paratus esset animo, prout hic ipse consensus testatur, quæ fuit causa, cur vel pater filio, vel ipse quoque filius sibi ipsi vincula adhibenda judicaret? Nimirum ut illa bona rectaque voluntas eisdem quasi nexibus Deo devinceretur, ne ullo deinde casu aut perturbatione elaberetur.

Quid D. Ambrosius dicat audiamus. *Nectit filio manibus*, ait, *suis vincula pater ne refugiendo filius ex vi ignis exustus peccatum incurreret.* Hinc etiam S. Augustinus: *Vincitur* (inquit) *innocens hostia, ne offerentis devotio putaret se minus aliquid exhibere, si impatiens doloris victima recalcitraret.* Quare non timidè, sed fortiter egit Isaac, dum sibi necessitatem induxit,

Augusti. Serm. 72.

duxit, quâ semel vellet, nec posset non velle.

Sed quonam, obsecro, *vinculi* genere sanctissimus Patriarcha fuit constrictus? Si funes aut chordas fuisse dixeris: aliam tibi fortè sententiam illud ingeret, quòd ejusmodi *vinculum* statim fuisset combustum. Si ferreum judicaveris, illud certè nimis videtur durum. Quid si præsumam dicere, quod fuerit aureum? Imò plus quàm aureum fuit, quod charitatem adeò pretiosam, ut pro Deo vitam despiceret, corroboravit.

Nunquam mihi persuadere potui, quòd statui perfectorum, nihil imperfectionis cum advertentiâ plenâ committentium, aliquod *votum* correspondere non debeat, cum videamus & statum proficientium per vota Religiosæ professionis, & incipientium per illa quæ nuncupantur in baptismo, confirmari. Præcipuè cum constet, quòd, licet *omnes qui piè volunt vivere in Christo persecutionem patiantur*, quò magis aliqui tamen in pietate proficiunt, eò plures etiam tolerent persecutiones: sic ut illi qui sunt in pietate perfecti locupletissimè favoribus hisce Domini repleantur. §. B.

Exper-

Expertus hoc olim fuit præclarum illud Ecclesiæ lumen Taulerus, qui hanc etiam ingenio suo dignam scribit sententiam: *Animam quam cœlestis Pater donis potioribus exornare & sublimiter transformare decrevit, eam non lavare molliter, sed balneare etiam & submergere ac immergere in mare consuevit amaritudinis. In veritate dico, priusquam Deus impræparatam relinqueret animam, quam tam sublimiter elegit, sibique tam singulari cordis favore segregavit, citiùs vel centum millia hominum, ex hujus animæ occasione, damnum aliquod incurrere permitteret: imò etiam potiùs mille sanctis hominibus occluderet interim oculos, ut vel ignoranter vas illud electionis gravibus judiciis suis præpararent. Plus aliquid dico, priusquam Deus vas istud nobile impurum relinqueret, citiùs è cœlo Angelum suum hujus vasis per tribulationes præparationi destinaret, sicut Beato illi Patriarchæ Iacob legimus contigisse.* Si plures igitur & majores eos qui perfecti sunt tam certò manent tribulationes & pugnæ, nunquid justissimum est, ut per *vinculum* aliquod etiam Deo magis uniantur & fortificentur?

Taul. in Conc.

F. C. Non solent medici vinculis infirmos innectere, nisi cùm incisio durior aliqua debet fieri: & quia status proficien-

ficientium pluribus quàm incipientium inciſionibus ſolet reſpergi, hinc optimè ſtatutum eſt, ut ſub manu Superiorum, tanquam medicorum ſpiritualium, vinculo profeſſionis Aſceta religetur. Ex quo concludere poſſumus etiam aliud *vinculum* adjungi debere, ubi ſe quiſpiam nullis non inciſionibus more perfectorum exponit. Unde non ineptè quoad hoc *vinculum*, illud Anſelmi quis uſurpaverit: *Sæpè* (inquit) *evenire videmus, ut, cum ſecandus eſt aliquis,* ALLIGARI *ſe priùs velit: inſuper etiam conteſtetur, nolle ſe ſolvi, etiamſi petat. Itaque ſi poſteà accidat, ut dolore adactus clamet, ut ſolvatur, ſector tamen pergit, donec curatione peractâ ipſe quoque ægrotus gaudeat ſe non auditum: proficitque ei ſectio, quamquam invito animo admiſſa; & tamen in ipſo quoque ejulatu, non tam medicinam, quam medicinæ aſperitatem recuſabat. Simillimè igitur is, qui initio Religioſum jugum ſponte ſubiit, ſeque alienæ poteſtati quaſi medicandum tradidit, etiamſi deinde quædam incidant à quibus voluntas abhorrere videatur, perfert quia* VINCTUS *eſt: & illud ipſum medicamentum, quamquam non adeò libenti animo receptum, prodeſt tamen, & ſanitatem adfert, quam fortaſſè ſolutus refugiſſet: ut* Anſel. lib. de ſimilit.

denique depulso morbo gaudeat etiam, sibi non aliter licuisse.

Non est alienum à proposito nostro considerare, quàm variè varii Patrum in illud Canticorum luserint: *Murenulas aureas faciemus tibi.* Primò siquidem asserunt aliqui, quòd sit *catena*, quæ significet connexionem omnium scientiarum. Secundò dicunt alii, per *catenam* hanc intelligi beneficia, quibus obligari solent corda hominum & ad amandum dulcissimâ violentiâ pertrahunt. Philo Judæus per has *murenulas* intelligit connexionem & *vinculum* omnium virtutum: Stoici quippe docebant, omnes virtutes inter se ligatas esse, juxtà illud Tullii: *Omnes virtutes germanitate quadam inter se & quasi quodam cognationis* VINCULO *continentur.* A quo nec ipse Doctor Angelicus dissentit.

Cant. 1.

Vide Corn. à Lapide. Cic. 2. Tusc. Th. 1. 2. qu. 65. art. 1.

Illud porrò diligenter advertendum est, in hac virtutum connexione, in omnibus hisce *vinculis*, nulli mortalium sic esse fidendum, ut cum ad ea pervenerit, se jam extra periculorum casus esse reputet: quia tanta est humanæ mentis infirmitas atque mutabilitas, ut, qui hodie fulgent in croceis, cras interdum amplexentur stercora. Quapro-

propter, conquirenda sunt opportuniora media, quibus in aureis hisce virtutum *vinculis* perseverare valeamus: inter quæ *vinculum* aliud, nimirum voti, non ultimum habere locum existimaverim.

§. D.

Parum est virtuosum esse si non contingat etiam in virtute perseverare, sic ut elegantissimè dictum sit à D. Gregorio Nysseno: *Insistendum est, ut cujuslibet* ARDUI PROPOSITI *terminus attingatur, variis augmentis mandatorum Dei consummando opus divinum: Nam neque lapis unus est tota turris fabrica, neque unum mandatum* (aut etiam consilium) *ducit ad animæ perfectionem.*

Vide D. Th. in Luc. 14.

Unde meritissimo jure D. Bernardus ait: *Virtus boni operis perseverantia est: huic soli redditur corona justitiæ. Quid enim prodest esse sapientem, esse potentem, si non perseveraverit usque in finem?*

Bern. de pass. cap. 14.

Ædificavit porrò *Salomon domum & consummavit eam.* Haud aliter (inquit Theophilactus & D. Thomas) *non debemus ponere fundamentum, id est, sequi Christi initium, & finem non imponere, sicut illi de quibus Ioannes dicit, quòd multi ex discipulis ejus abierunt retrorsum. Opus est igitur prædicto fundamento operationis ad ædificium;*

ficium, ut perficiatur in nobis turris fortitudinis à facie inimici. Alioqui deridetur homo à videntibus eum tam hominibus quàm dæmonibus.

Atque hinc graviſſimas illas Divi Hieronymi querelas habemus: *Cœpiſſe multorum eſt; ad culmen perveniſſe paucorum.* Unde Hieremias etiam lamentatur: *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea?*

Hieron. Epiſt. ad Licin.

Thren. c. 4.

Teſtem veritatis hujus infortunatiſſimum adduco magnum illum Eccleſiæ Præſulem Oſium, cui parem nulla vidit & luxit ætas. Oſius ille, qui multis tum in Oriente, tum in Occidente, Chriſtianæ rei causâ, ſummoque bono perfunctus eſt legationibus: Oſius, qui ſummâ cum auctoritate, pariqúe ſeu ſanctitatis ſeu doctrinæ laude plurimis Conciliis interfuit, imò & præfuit:

Baron. ad ann. 357.

Oſius, quem in ſuo Chriſtianæ fidei tyrocinio Conſtantinus Imperator lateri ſemper adhærere voluit, tanquam fidum monitorem ac pœdagogum:

Oſius, quem ille ipſe Auguſtus pronâ quadam pietate *Patrem* vocitare ſolitus, uni illi ſeu ut diſcipulus Magiſtro,

ſtro ; ſeu ut filius Parenti ſubjiceretur:

Oſius, quem ipſi Ariani, licet Religionis noſtræ hoſtes acerrimi, honori ergo *Synodorum Principem* appellabant:

Oſius, qui per omnium ora volitare, qui virorum doctorum monumentis ubique celebrari, qui famâ propè ſuper æthera notus, qui tentatis, devictis, profligatiſque hæreticis nomen ſibi fecerat, apud Deum meritum, Eccleſiæ ſeu matri authoritatem conciliarat:

Oſius denique, quem eo loci ac temporis agnovit, amavit atque ſuſpexit orbis univerſus, velut quoddam ævi ſui miraculum:

Oſius, inquam, ille in conciliabulo quodam Sirmienſi ignominiosè proſtratus, & Nicænæ fidei, quam extulerat ipſe, proditor, atque deſertor extitit, & Urſacii Valentiſque Hæreſim amplexus eſt. Et hoc quidem in extremâ ſenectâ (erat enim, ut teſtis eſt Hilarius, centenario major) & jam in portu eſſe videbatur, qui in ſenili corpore ſpirabat animus, & ad paratas ſibi coronas atque lauros poſt tot exantlatos labores, aſpirare credebatur.

Sed prô dolor, pudorque in ipso unius ævi extremo limine cecidit, & unà secum immanem traxit animarum ruinam. Certè eo lapsu Catholicus orbis contremuit, ac ingemuit, concussæ sunt solidissimæ petræ: &, ut ait Zacharias: *Abietes ululârunt, quia cecidit cedrus.* Zach. 11.

§. E. Exemplum adhuc unum exigitis? Justinus è primis aulæ Hungaricæ dynastis, Regi percarus, generoso pede mundum calcavit: & ad Sancti Francisci cœnobium pius transfuga se recepit: ubi tantum in sui dispicientiâ & humanarum rerum contemptu progressum fecit, ut nihil jam terreni ultra sapiens, totus in supremi Numinis contemplatione mente defixus hæreret: adeò ut cùm Romæ in Conventu, qui *Ara cœli* nuncupatur, degeret, auditâ super mensam (quod mireris) sacri codicis prælectione, è vestigio, cæteris considentibus ac contuentibus, in aëra sublimis raptus sit. Attonitus divino hoc, S. Joannes Capistranus, qui aderat, prodigio, ad ædem sacram fratres divinæ Majestati gratias acturos ablegat, operiens inibi ipsemet intereà quem exitum res sortiretur. Jam sanctitatis fama ad aures Eugenii IV

Annales Ord. S. Franc.

Pon-

Pontificis percrebuerat, qui fratrem Juſtinum ad ſe acciri curat, eumque velut hominem cœlo delapſum, ſummâ honoris ac venerationis ſignificatione complexus eſt, ſibi aſſidere, & quidvis à ſe poſtulandi, quin & impetrandi poteſtatem fecit. Quæ vanitatis aura, uſque eò hunc cœleſtium donorum benè inſtructum myoparonem jactavit, ut ad ſyrtes & ſcopulos alliſus triſti naufragio perierit. Reverſus etenim ad ſuos, animo prorſus elato & contumaci, omnibus offendiculo fuit. Quod ut Capiſtranus obſervavit, hominem aggreſſus: quomodo, inquit, & quantum mutatus ab illo, qui angelus abieras, cacodæmone deterior regreſſus es! Quam monitionem ſarcaſtico riſu Juſtinus eluſit, eoque pervicaciæ devenit, ut, cùm è Religioſo cœtu unum aliquem graviter ſauciaſſet, in vincula conjectus, inde evadens, vagus apoſtata factus ſit, donec rurſus comprehenſus obfirmatam in ſcelere animam exhalarit.

Quid inde concludemus, niſi neminem cogitare debere, quòd, licet ad ſanctam ſpiritus *libertatem* pervenerit, licet ad perfectæ charitatis gradum

aſcenderit, omnia jam ſalva ſint illi: ſemper enim unicuique ne deficiat eſt periculum, Apoſtolo monente; *Qui*
1.Cor. *ſtat, videat ne cadat*: Ac ob id expe-
10.v.12. dientiſſimum ut in eo gradu perfectionis, ad quem divinâ opitulante gratiâ conſcendit, per *voti* ſe nexum confirmet atque corroboret.

§. F. Continget inſuper per eujſmodi nexum, ut etiam proficiat: quia per *votum* non tantùm nos Deo conſtringimus & obligamus, ſed etiam Deum nobis. Unde profuſiores etiam gratias eis infundere conſuevit qui non tantùm illi conſecrant ſuum *velle*, ſed etiam ſuum *poſſe*: per hoc videlicet quod *voto* conſtricti non poſſint abſque delicto aliud velle.

Creditne quiſpiam in illis, qui ad *ardoris Seraphici* gradum aſcenderunt, extingui deſiderium ad ulteriora proficiendi? Quiſquis ita credit, audeo dicere, quòd is ad hujuſmodi gradum necdum pervenerit: adeò ſiquidem ſolet hîc proficiendi deſiderium excreſcere, ut id quod modò perfectionis eſt conſecutus, tanquam nihilum deſpi-
Philip. ciat; & experiatur illud Apoſtoli: *Fra-*
3.v.13. *tres, ego me non arbitror comprehendiſſe.*

Unum

Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Satis intelligit appositissimam hanc inde trahi debere consequentiam: *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Ibid. v. 15.

Ex Episcopo Genevensi jam anteà didicimus, supra tres gradus perfectionis ordinarios, quorum supremus est, ut nihil ametur aliter quàm in Deo & propter Deum, esse gradum altiorem & extraordinarium, in quo non tantùm Deus amatur in omnibus, sed nihil omninò amatur præter Deum: & hic gradus est ad cujus perfectionem suspirant animæ quæ gradus alios jam transenderunt. Lib. 1. cap. ult.

Non tanquam incipientes aut proficientes haberi debent, sed tanquam perfecti qui nullam habent cupiditatem; *perfectio* siquidem charitatis (Augustino teste) *nulla cupiditas*: nulli tamen mirum videri debet, quòd his perfectis aliquid supereſse dicamus quò gressum dirigant: quia scilicet in hac ipsâ *nullitate cupiditatis* in infinitum quasi proficere possumus, & licet omnes perfecti res omnes creatas absque limita-

mitatione contempſerint, in ipſo tamen contemnendi modo vix eſt credibile quantum unus alium ſuperaverit.

Nunquid in ipsâ *nullitate cupiditatis* longiſſimè proceſſerat Apoſtolus, quando non tantùm, quaſi nullius forent momenti res terrenæ, ſic eas intuebatur, verùm etiam ut ſtercora arbitrabatur, quæ nimirum non ſolùm deſpicere, ſed prætereà cum averſione quadam ſolemus horrere? Nunquid Seraphica Mater noſtra Tereſia plus quàm ſimplicem aliquem divitiarum contemptum ſe concepiſſe manifeſtabat, quando profitebatur: *Divitiæ mihi ſunt horrori?*

Philipp. 3. v. 8.

Ter. Ep. 30. ad frat. ſuũ.

Poſtquam præfata virgo totalem ac univerſalem creaturarum omnium abnegationem perfectam inculcaſſet, conſuluiſſetque novitiis ſuis, ut quæ ſe nollent ad ejuſmodi perfectionem reſolvere, ſalutem ſuam alibi conarentur operari, dicendo, quòd alibi forſitan ad eam pertingerent paulatim perfectionem quam inter Diſcalceatas ſuſtinere non poterant, mirabilem doctrinam ſubnectit, inquiens, quòd hęc perfectio *ſimul & ſemel* inter Diſcalceatas

tas assumenda sit: *Nam etsi*, inquit, *expectandum sit tempus, ut quoad interiora nos ab omnibus omninò sequestremus & mortificemus; quoad exteriora tamen id fieri debet quàm brevissimè, ob ingentia, quæ inde ad alias derivari possent, damna.* Ter. in viâ perf. cap. 13.

§. G.

Si dicerem perfectionem quam huc usque delineavi, quâ proponit aliquis ea semper facere quæ intelligit esse perfectiora, nec permittere voluntatis adhærentiam erga quid creatum, quoad substantiam operis eandem esse quam hîc Magistra cœlestis asserit *simul & semel* & *quàm brevissimè* assumendam, aliquorum fortassis opiniones offenderem, qui nimirum persuadere sibi videntur ad ejusmodi perfectionem vix multis annis posse pertingi; quia nimis excelsam hanc esse perfectionem existimant. Sed quid existiment, scire velim, de resolutione, quâ proponit aliquis omni conatu peccata quoque venialia devitare, nec non ad id quod perfectius est intentionem dirigere. Nunquid illud sonare videtur, ipsum quasi perfectionis apicem? Apud ignavos ita fieri videtur: sed apud S. Matrem N. Teresiam hujusmodi resolutio non est aliud quàm spiritualis ædificii pri-

primum aliquod fundamentum.

Ter. in viâ perf. cap. 5.

Verba Seraphicæ Virginis ita jacent: *Iam ſcitis* (ô chariſſimæ) *quòd* PRIMA PETRA *debeat eſſe bona conſcientia, & omnibus viribus vos à peccatis etiam venialibus liberare, nec non inſequi quod perfectius eſt.* Hanc autem veritatem à pluribus etiam Confeſſariis ignorari ſuas admonet Religioſas, ut ab ignaris hujuſmodi ſe decipi non permittant.

Exiguam fateor & forte nullam veræ perfectionis experientiam habeo: quantum tamen ex aliis poſſum addiſcere, videtur mihi (ſalvo meliori judicio) quòd breviſſimo tempore poſſit quis converſus à peccatis, ad illum tertium perfectionis gradum aſcendere quem huc uſque depinximus, quoad ſubſtantiam operum & actiones exteriores, hoc eſt, ut nihil aut agat aut loquatur eorum quæ manifeſtent eum adhuc habere *deliberatam cupiditatem* vel inanis gloriæ vel recreationum vel ſimilium rerum temporalium : ſic ut jam dici poſſit non tantùm *ad perfectionem*, ſed etiam *in perfectione*, ſive perfecto modo, proficere.

Etenim tam diu quàm aliquis habens cor adhuc aliquibus creaturis adverten-

vertenter adhærens, ad hoc intendit ſtudium ut illud ab eis avellat, dicendus quidem eſt *ad perfectionem* tendere ſive proficere: ſed *in perfectione*, ſive modo perfecto, verè tantùm ille proficit qui contemptum univerſalem omnium vanitatum etiam licitarum conſecutus, in hoc incumbit ut eas magis ſemper atque perfectiùs diſcat contemnere: quia exiſtens in illâ perfectione, ut *de induſtriâ* nihil eorum omittat quæ Deo novit eſſe gratiora, ſtudiosè laborat ut minus ſemper & minus vel ex ignorantiâ vel ex infirmitate deficiat: prout in primo libro diximus.

Quando quis recenter *propoſitum Seraphicum* efformavit infinitos quaſi defectus non tantùm ex ignorantiâ, verùm etiam ex infirmitate ſolet committere: porrò ſucceſſu temporis & ignorantiâ ſolet minui, & infirmitas per opportuna media corroborari.

CA-

CAPUT II.

Quòd præter votum obedientiæ regularis, *dari possit aliud* votum *sublimius*, obedientiæ *nimirum* perfectæ: *cujus nuncupationem expressè commendat Venerab.* Richardus à Sancto Victore.

§. A. ADvertendum est, obedientiam distingui posse triplicem, juxta tres illos gradus de quibus huc usque locuti sumus, nimirum *timoris, spei* & *amoris* sive *charitatis*: de quâ scribit Apostolus Petrus: *Animas vestras castificantes* (sive purificantes, aut sanctas & puras efficientes) *in obedientiâ charitatis.*

1. Pet. 1. v. 22.

Primam obedientiam D. Salesius vocat *Christianam*: quia nemo *Christianorum* est qui non teneatur in illis obedire quæ præceptis communibus Christianæ

Salesius discursu II.

ſtianæ vitæ ſunt annexa. Secundam vocat *Religioſam*, quâ Religioſus nimirum obſervat ea quæ votorum ſuorum finibus includuntur. Tertiam appellat *Amoroſam*, quæ ſcilicet ad omnia licita ſe prorſus extendit : nec minus in illis obedire vult quæ ſunt ſupra Regulam, quàm quæ ſunt ſecundùm illam.

§. B.

Etenim ut apertiſſimè pateat hæc ultima diſtinctio & quòd ille qui propoſitum habet obediendi generaliter in omnibus, altiùs aſcenderit quàm votis Religioſæ profeſſionis aſtringatur, una Claræ vallenſis Abbatis auctoritas (ut nihil hîc dicam de aliis) abundè ſufficiet : cum non tantùm præfatam diſtinctionem obiter inſinuet, verùm etiam ratione firmiſſimâ ſtabiliat.

Verba Religioſiſſimi Patris exhibeo : *Is qui profitetur* (inquit) *ſpondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, ſed determinatè ſecundùm Regulam : nec aliam, quàm* (verbi gratiâ) *Sancti Benedicti : ut oporteat eum qui præeſt, non frena ſuæ laxare voluntati ſuper ſubditos, ſed præfixam ex Regulâ ſcire menſuram & ſic demum ſua imperia moderari circa id ſolùm quod rectum eſſe conſtituerit : nec quodlibet rectum, ſed hoc* Bern. de præc. & diſp. c. 7.

ſan-

tantùm quod prædictus Pater. (S. Benedictus exempli gratiâ) *instituit, aut certè quod sit secundùm quod instituit. Sic se quippe habet professio: Promitto, non quidem Regulam, sed obedientiam secundùm Regulam S. Benedicti: Non ergo secundùm voluntatem Præpositi. Proinde si professo secundùm illam Regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentaverit quod non sit secundùm Regulam, aut etiam quod non sit secundùm ista instituta, verbi causâ Basilii, Augustini, Pacomii: quænam mihi quæso in hac re necessitas imminet obsequendi? Solum quippe id à me posse exigi arbitror, quod promisi.*

Interjectis deinde paucis, ita concludit: *Ponant ergo Præpositi metam obedientiæ subjectorum, ex votis labiorum ipsorum, non suorum desideriorum: monentes eos non cogentes ad celsiora: condescendentes eis, cùm necesse fuerit, ad remissiora; non cadentes cum eis.* Ibid. c. 8.

Quænam illa sint excelsiora Divus Bernardus ipsemet explicando monet, ut ad ea nos extendamus: ita siquidem prosequitur: *Cæterum subjectus hujuscemodi obedientiam quæ voti finibus cohibetur, noverit imperfectam*: Nam PERFECTA OBEDIENTIA *legem nescit terminis non arcta-* Ibid. c. 9.

arctatur neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in altitudinem charitatis: & AD OMNE QUOD INIUNGITUR SPONTANEA *vigore liberalis alacrisque animi modum non considerans* IN INFINITAM LIBERTATEM EXTENDITUR. *Hæc est illa, de quâ signanter Apostolus Petrus: Castificantes, inquit, corda vestra in obedientiâ charitatis, pulchrè ipsam per hoc sequestrans ab illâ inerti & servili obedientiâ quodammodo, nec charitati prompta, sed obnoxia necessitati.*

§. C.

Confirmat prætereà doctrinam hanc sententia communis Theologorum, quę cum suo Principe sustinet, quòd Religiosi *quantum ad illa sola obedire tenentur, quæ possunt ad Regularem conversationem pertinere. Et hæc est obedientia sufficiens ad salutem. Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis.* Et hanc obedientiam posteà *perfectam* appellat.

D. Th. 2. 2. qu. 104. art. 5. ad 3.

Cum itaque constet, quòd præter obedientiam regularem alia detur obedientia longè sublimior & quæ se non tantùm extendit ad actus propinquos fini Religionis, hoc est, ad actus charitatis, sed hoc ipsum etiam excellentissimè facit, obedientia nimirum perfecta,

Vide D. Th. 2. 2. qu. 186. art. 8.

fecta, consequenter etiam dicendum est, quòd præter votum obedientiæ regularis aliud votum sublimius, obedientiæ videlicet perfectæ, dari possit.

§. D. Verumenimverò quia non defuturi sunt, qui, licet fateantur expedire quidem præter obedientiam regularem obedientiam perfectam observare, vix tamen induci poterunt, ut credant etiam expedire, quòd aliquis ad hanc sublimiorem obedientiam se per votum obliget, attentiùs illud expendendum erit. Porrò nolim ut in hac parte meis verbis fidem ullam Lector adhibeat: nec etiam ut præparet aures alicui responsioni modernorum atque communium Auctorum; quales v. g. sunt Bonacina, Suarez & plures alii, quos tali voto subscribere manifestum est. Ipsemet enim Richardus à Sancto Victore satis apertam super hoc profert sententiam.

Bonac. To. 2. disp. 4. qu. 2. punct. 1.

Suar. de Voto lib. 2. cap. 8. n. 2. & 14.

Etenim præstantissimus ille Theologus Parisiensis, Canonicorum Sancti Augustini Monachus, cujus est in Ecclesia laus quòd sit in divinis Scripturis eruditissimus, & in Philosophiâ tam naturali quàm morali singulariter exercitatus, ingenio præclarus & sermone

mone ſcholaſticus, moribus & converſatione præcipuus, exercitio contemplationis elevatiſſimus: quem non tantùm Sanctus olim Bernardus adhuc vivum in ſuis difficultatibus conſuluit, ſed ipſemet etiam poſteà D. Thomas & S. Bonaventura non infrequenter in ſuis libris citarunt. Hic, inquam, tantus vir inter alios Tractatus quos compoſuit unum habet de differentiâ ſacrificii David & Abrahæ, qui reponi ſolet in priinâ parte loco penultimo.

Vide Richardi declar. ad S. Bernardū.

In hoc tractatu ingenioſiſſimè diverſas moralizat quæſtiones quoad diverſas differentias ſacrificii David & Abrahæ: ſic enim Dominum Pſaltes alloquitur: *Holocauſta medullata offeram tibi, cum incenſo arietum, offeram tibi boves cum hircis.* Ipſe verò Dominus ad Patriarcham ita loquitur: *Sume mihi vaccam triennem*, &c.

Pſ. 65. v. 15.

Gen. 15. v. 9.

§. E.

Inter cæteras autem quæſtiones unam habet præcipuam, cujus reſolutio totam doctrinę preſentis libelli ſubſtantiam complectitur: pro cujus intelligentiâ clariori brevis alia quædam ipſius quæſtio videtur anteponenda: Poſtquam enim propoſuiſſet, cur Dominus à ſummo Patriarchâ, non bovem, ſed

vaccam quærit? Respondet: *Scimus de bove quia jugum portare potest, lac autem dare non potest. Contingit verò vaccam utrumque facere, & lac dare & domini sui jugum portare. O quale sacrificium, & obedientiæ jugum humiliter portare, & inter quælibet obedientiæ ardua cordis dulcedinem servare, & nihil aliud quàm lacteum dulcorem per verba distillare. Multi, cùm dura sibi præcipiuntur, molestum quidem habent: nec tam dulciter quàm fortiter sustinent. Scimus autem quia masculinus sexus quàm fæmineus fortior est, sed lac tamen dare non potest. Bovem itaque facit obedientia fortis: vaccam verò obedientia dulcis. Bovem offerre, est obedire viriliter: vaccam offerre, est obedire gratanter. Bovem offerimus obediendo constanter: vaccam offerimus obediendo gratulanter. Caro bovina obedientia robusta: caro vaccina obedientia jucunda. Qui igitur potest carnem offerat vaccinam, qui hoc non potest offerat bovinam. Qui neutrum potest ex istis, offerat saltem vitulum de armentis.*

Post explicatam deinde significationem tropologicam vituli, transit ad illam quæstionem quæ præcipua videtur, & eam tractat hoc modo.

§. F. 1. Statum quæstionis exhibet, ac ait: *Illud autem quid esse dicimus, quòd David*

vid non bovem, ſed boves promittit, de manibus verò Abrahæ Dominus, non vaccas, ſed vaccam exigere voluit? Si plus eſt boves, quàm bovem promittere & exolvere, cur non æquè majus ſit vaccas, quàm vaccam in Dei ſacrificio exhibere? Sed nunquid in ſacrificio Abrahæ debemus credere aliquid minus à perfecto eſſe potuiſſe? Cui ergo perfectio jure aſcribitur, ſi ſummo Patriarchæ denegatur? Quis autem dicat vel Dominum tantum amicum ad optima non inſtituiſſe, vel tantum virum ad perfectionis inſtituta animum promptum non habere?

2. Quæſtioni propoſitæ diſcurſum addit, quo difficultatem ipſius non parum exaggerat, ait enim: *Ut autem breviter dicam quid in bove vel bobus ſentiam, hoc eſt (ut mihi videtur) bovem offerre, manum ſuam ad obedientiam plenè exolvendam fortiter extendere. Hæc hoſtia geminatur, quando & ad debitam & ad indebitam* ſive ſupererogatoriam *obedientiam operationis noſtræ manus viriliter extenditur. Penè omnes, cùm ad Religionem venimus, obedientiam cum determinatione promittimus: nam obedientiam ſecundùm ordinem profitemur. Non eſt ergo in Prælati poteſtate ad ea quæ ſupra profeſſionis ſuæ ordinem ſunt, ſubjectum ſuum violenter cogere. Debitum namque eſt quod præ-*

cipitur secundùm ordinem, indebitum quod est supra professionem. Boves itaque cum Prophetâ offerimus, quoniam & debitam & indebitam obedientiam animo nostro extorquemus, & constanter exhibemus. Vaccas autem veraciter tunc offerimus, quando utramque obedientiam non solùm æquanimiter, sed etiam delectabiliter exolvimus.

3. Auctâ quæstionis difficultate, propositionem illius iterum assumit, & dicit: *Quomodo ergo ab Abraham sola vacca requiritur, vel à tanto (ut dictum est) viro una tantùm exolvitur? Nam nec sola indebita obedientia ad debiti solutionem, nec sola debita sufficit ad perfectionem.*

4. Antequam respondeat innuit se dicturum aliquid quod non sint omnes approbaturi; sic enim loquitur: *Dicam certè, dicam quòd super hac re animus mihi suggerit, judicet quisque quomodo voluerit.*

5. Volens resolvere, quòd sit melius unam vaccam aliquo modo, quàm alio modo duas offerre, duos assignat modos offerendi: Primum quippe significat, dum ait: *Potes si volueris nullam obedientiam indebitam tibi facere, & tunc non video quomodo Deus à te possit plus quàm unam vaccam exigere*: Secundum verò

verò cum subnectit: *Si promittis coram Deo tuo, vel profiteris coram Prælato tuo* OBEDIENTIAM AD OMNIA, *jam tibi de reliquo nulla obedientia erit indebita, & pro debito obedientiæ sufficit tibi solam vaccam offerre.*

§. G.

6. His ita præmissis, quæstionem propositam his verbis in morali sensu resolvit: MELIUS (UT MIHI VIDETUR) UNA SOLA VACCA IUXTA HUNC MODUM OFFERTUR, QUÀM CÙM HOSTIA TUA IUXTA PRÆDICTUM MODUM DUPLICATUR.

7. Quia verò durum nimis alicui posset hoc votum apparere, propter ipsam obedientiæ tam illimitatæ difficultatem, adjungit: *Nulla sanè tibi obedientia videbitur gravis, vel importabilis, si illius exemplum perfectè æmularis, qui factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

8. Unde cum in praxi talis obedientiæ cor honestum non debeat difficultatem apprehendere, suam Richardus iterum explicationem ingeminat, & ait: *Vaccam ergo in Domini sacrificio, juxta Abrahæ exemplum offerimus,* SI PLENAM AD OMNIA OBEDIENTIAM PROMITTIMUS *& cum gaudio exolvimus.*

9. Porrò quia posset aliquis inquirere, quibusnam obedientia talis exhibenda sit, ita differit: *Prompti autem & parati simus, quantum in nobis est, non solùm melioribus vel æqualibus; verùm & pejoribus talem obedientiam exhibere, & constabit nos procul dubio juxta dominicum præceptum vel documentum vaccam triennem obtulisse. Hostiam talem, vaccam profectò triennem offerre nos voluit, qui dixit: Subjecti*
1. Pet. 2. *estote omni humanæ creaturæ propter Deum.*

§. H. En verè discursum Richardo dignum, in quo displicere forsitan alicui
Num. 3. posset, quòd obedientia debita sola perhibeatur ad perfectionem non sufficere; videtur enim ad perfectionem satis esse quòd quis mandatis obtemperet, quamvis ea quæ supererogatoria sunt omittat: quia dicit Evangelicus Aquila:
2. Joan. 2. v. 5. *Qui servat verbum ejus* (per quod nimirum à Deo præcepta traduntur) *verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Angelicam hujus difficultatis in Theologorū Principe solutionem invenio. Dicit enim:
D. Th. 2. 2. q. 184. art. 3. ad 3. *Sicut homo habet quandam perfectionem suæ naturæ statim cùm nascitur, quæ pertinet ad rationem speciei; est autem alia perfectio, ad quam per augmentum adducitur: ita est etiam quædam perfectio charitatis, pertinens ad ipsam*

ſam ſpeciem charitatis, ut ſcilicet Deus ſuper omnia diligatur, & nihil contra eum ametur. Eſt autem alia perfectio charitatis etiam in hac vitâ ad quam aliquis per aliquod augmentum ſpiritale pervenit, ut puta cùm homo etiam à rebus licitis abſtinet, ut liberiùs divinis obſequiis vacet. Advertendum eſt autem, quòd hæc ultima perfectio, perfectionis nomen propriè gerat & illius ſignificatum ſit famoſius. Unde cùm dicit Richardus obedientiam debitam ſolùm ad perfectionem non ſufficere, ſufficere tamen debitam & indebitam ſimul, analogum per ſe poſitum ſtat pro famoſiori ſignificato. Quòd ſi quis igitur Authoris allegati judicio ſtare velit, *obedientiæ perfectæ votum* eſſe votum quod inquirimus, ſolis nimirum & omnibus perfectis conveniens, fateri debebit: eò quòd ad talem obliget obedientiam, quæ, ſecundùm ipſum, ſufficiens eſt & requiritur ad perfectionem, omninò ſolidam videlicet atque completam: prout in ſequentis capitis fine magis adhuc erit urgendum.

Etenim ut ad jam dicti capitis veritatem via ſternatur, conſiderare debemus, quòd *quæcumque alia virtutum opera*

Th. 2. 2. qu. 104. art. 3. *opera ex hoc meritoria sunt apud Deum* (teste D. Thomâ) *quòd fiunt ut obediatur* VOLUNTATI DIVINÆ. *Nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hoc* ORDINARET AD IMPLETIONEM DIVINÆ VOLUNTATIS, *quod rectè ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent, sicut nec si fierent sine charitate, quæ sine obedientiâ esse non potest.*

CAPUT III.

Quòd votum Seraphicum *faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius, ad* obedientiæ perfectæ votum *sit reducendum.*

§. A. INdubitatam veritatem illam, quam titulus exhibet, è tribus principiis confirmare possumus.

Primum est, quòd, cùm Hagiophilus tale votum nuncupat: *Ego voveo semper facere quidquid* INTELLIGAM *esse perfectius*

fœtius, nemo perverti vel alterari ſenſum hujus voti dixerit ſi ad illud, *intelligam*, ſuperaddi velim vel ſubintelligi : *prout oportet*; vel, *ut convenit*; vel *eo modo quo decet intelligere*; vel aliquid ſimile.

Secundum eſt, quòd non oporteat, quòd non conveniat, quòd non deceat Hagiophilum ſic intelligere quidquid eſt perfectius, quaſi facere deberet omnia quæ ſunt in abſtracto ſive ſecundùm ſe perfectiora; ſed illa ſolummodò quæ ſunt hîc & nunc voventi, ſive ſpectatis omnibus omninò circumſtantiis, perfectiora, magiſque conformia *divinæ voluntati*.

Tertium eſt, quòd non oporteat etiam, quòd non conveniat neque deceat Hagiophilum ſic intelligere quidquid eſt ſibi perfectius aut *voluntati divinæ* conformius, ut judicio proprio determinet tale vel tale quid eſſe ſibi perfectius; ſed ut os Domini priùs interroget, & illud ſolummodò ſibi perſuadeat in ſupererogatoriis eſſe perfectius, pro quo ſententiam ſui Superioris vel Directoris audierit.

Principium primum adeò clarum eſt ut illud probare nulli ſit neceſſarium intelligenti. Secun-

Secundum verò tam certis ostenditur argumentis in primi libri vestibulo, ut apertè constet, non tantùm vanum, sed etiam impium esse votum faciendi semper quidquid est perfectius in abstracto sive secundùm se; cum sæpissimè perfectio propter perfectionem sit relinquenda.

Apparentia solùm aliqua difficultatis quoad principium tertium illis potest obtrudi, qui non considerant

1. S. Matris N. Teresiæ quoad præsentem materiam exemplum,

2. Plurimorum Auctorum & SS. Patrum concors pro dictâ veritate monumentum,

3. Tandem ipsum humanæ rationis instinctum.

§. B. Quo-ad primam considerationem: Chronologus Ordinis nostri R. P. Franciscus à S. Mariâ refert exactissimè, quòd, licet generosissima Fundatrix nostra, post partũ Virginis Anno 1560, nuncupaverit absolutè votum faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius, quia tamen in determinatione, quidnam in occurrentibus occasionibus tanquam perfectius deberet amplecti, scrupulos patiebatur, de consilio suo-

Lib. 1. c. 30.

rum

rum Confessariorum, videlicet Patris Magistri Garciæ de Toledo Ordinis Prædicatorum, Patrisque præsentati Fratris Antonii de Heredià Prioris Carmelitarum Avilæ, mutaverit hoc votum suum & in tali formâ renovaverit, ut eo non obligaretur, nisi tres hæ conditiones simul adessent.

1. *Quòd sciret Confessarius eam hoc votum habere.*

2. *Quòd ipsamet interrogaret illum quid esset perfectius.*

3. *Quòd Confessarius determinaret quidnam hoc esset.*

Appositissimè verò notat præfatus Chronologus, quòd per hujusmodi reductionem vel mutationem, votum S. Matris N. Teresiæ de faciendo semper quidquid intelligeret esse perfectius, non tantùm nihil de splendore suo perdiderit, verùm etiam aliquid abundantiæ luminis acquisierit. Quam veritatem facilè confitebitur qui statim dicenda cum attentione ruminabit.

Quo-ad secundam considerationem: ex innumeris Antiquorum auctoritatibus, paucæ brevitati nostræ sufficient. §. G.

Et primò D. Benedictus agens de tempore Quadragesimæ, sic ait: *Ergo his die-*

Benedic. in suâ Reg. c. 49.

diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum servitutis nostræ, orationes peculiares, ciborum & potûs abstinentiam: & unusquisque supra mensuram sibi indictam aliquid propriâ voluntate cum gaudio sancti Spiritûs offerat Deo: & subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate &c. Hoc ipsum tamen (ait) *quod unusquisque Deo offert, Abbati suo suggerat, & cum ejus fiat oratione & voluntate. Quia* QUOD SINE PERMISSIONE PATRIS SPIRITUALIS FIT, PRÆSUMPTIONI DEPUTABITUR, *& vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo* CUM VOLUNTATE ABBATIS OMNIA AGENDA SUNT. Hæc Divus Benedictus: ubi nihil sine voluntate Abbatis & ejus oratione sive permissione, quæ hîc pro expressâ voluntate sumitur, ut ex præcedentibus & subsequentibus constat, faciendum esse decernit.

Basil. Serm. 5. exercitat.

Deinde S. Basilius ita loquitur: *Vera & PERFECTA OBEDIENTIA subditorum erga Præfectum declaratur; ut non solùm ab absurdis ex consensu Præfecti abstineant: sed neque ea quæ laudabilia sunt, citra illius consensum faciant.* Cujus rationem alibi reddit his verbis: *Si itaque repereris per gratiam Dei bonorum operum Doctorem; serva apud te ipsum ut nihil præter sententiam ipsius*

Serm. 2. Exercitat.

sa-

facias. Quidquid enim extra ipsum fit furtum est & sacrilegium; ad mortem ducens & non ad utilitatem, etiamsi tibi bonum esse videatur. Si enim bonum est, cujus gratiâ occultè & non in propatulo fit? Interroga cogitationem tuam, per dexteram deprædari te volentem; per bonas nimirum disciplinas, siniſtras tibi actiones subornantem. Ne velis aggredi incantationem serpentis, cum inexpertus sis artis incantandi: ne fortè attractis serpentibus, ab ipsis impliceris: deinde impotens ad resistendum ipsis existens, sine misericordiâ ab ipsis consumaris. Hæc Basilius.

Aliam prætereà rationem suggerit idem Sanctus, dum inquit: *Si verò quis se ampliori onere, quàm communi opus habere putat, sive in jejunio, sive in vigiliis, sive in quacumque aliâ re, revelet hanc rem his, quibus communis cura commissa est: ob quam videlicet causam putat se ampliori onere indigere: & quod ab ipsis approbatum fuerit, observet: sæpè enim alio modo, id quod sufficiens est necessitati, fieri oportebit.* Ubi Magnus Basilius etiam majori onere, ac districtiori vitâ indigentibus non permittit, pro suo arbitrio suis humeris majora, quàm communia onera, imponere: quia, ut ipse ait, fortè aliâ viâ huic necessitati occurren-

Idem in Regul. brevior. Interrog. 138.

dum

dum erit, quæ sufficiens sit: quod Prælati judicio pensandum est.

Climac. gradu 25. Accedit etiam Divus Climacus, ita differens: *Qui ductore caret, etiamsi sapiens sit, sæpè tamen errat in viâ. Sic qui suam voluntatem ac judicium in hac viâ spirituali sequi decernit, licet omnem omnium sapientiam solus obtineret, facilè tamen in exitium animæ rueret.*

Bern. in Cant. Serm. 77. Optimè quoque Doctor Mellifluus, harum rerum peritissimus Magister, ait: *Quàm multi ex hoc arrepto tramite periculosissimè aberrasse comperti sunt! Nimirum ignorantes astutias Sathanæ & cogitationes ipsius, factum est ut qui spiritu cœperant, carne consummarentur, abducti turpiter, lapsi damnabiliter.* Seductori dat manum qui dare dissimulat Præceptori.

Cassian. Collat. 36. c. 11. *Ipse Sathanas* (inquit Cassianus) *transfigurat se in Angelum lucis, ut obscuram ac tetram caliginem sensuum pro vero lumine scientiæ fraudulenter effundat. Qui nisi humili & mansueto corde suscepti, mansuetissimi fratris vel probatissimi senioris reserventur examini, & eorum judicio diligenter excussi, aut abjiciantur, aut recipiantur à nobis: sine dubio venerantes in cogitationibus nostris pro Angelo lucis Angelum tenebrarum, gra-*

gravissimo feriemur interitu. Quam perniciem impossibile est evadere quemquam suo judicio confidentem. Hoc ipsum quod Cassianus, omnes etiam disciplinæ spiritualis Auctores uno ore tradiderunt.

Audiamus inter alios adhuc Divum Gregorium *Melior est* (inquit is) *obedientia quàm victima; & auscultare magis, quàm offerre arietum adipem: quia longè altioris est meriti, propriam voluntatem alienæ semper voluntati submittere, quàm magnis jejuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Quid est adeps arietum, nisi pinguis & intrena devotio? Melior est tamen obedientia.* Greg. in lib. Reg. c. 2.

Et ut Patrum testimoniis finem imponamus, præstantissimam ejusdem Gregorii doctrinam auribus arrectis excipiamus. *Illum* (ait) *sine dubio sublimioris discipulatus ordinem apprehendere, qui, relictis omnibus quæ exteriùs possederat, etiam internas voluntates frangere parat: ut se alterius voluntatibus subdens, non solùm in pravis desideriis, sed ad perfectionis cumulum etiam in bonis votis sibimet renuntiet, & cuncta, quæ agenda sunt, ex alieno arbitrio observet. Hunc hostis callidus tantò mollius alloquitur, quantò ab excellentiori dejicere ardentiùs conatur, moxque virulentâ suggestio-* Idē lib. 32. Moral. cap. 17.

ne blandiens, dicit: O quanta per temetipsum miranda agere poteris, si nequaquam te judicio alterius subdis! Cur profectum tuum sub studio melioritionis imminuis? Hæc blandiens insinuat: seorsum verò in voluntatibus ejus propriis exercendæ superbiæ causas parat. Hactenus Gregorius. E cujus, & aliorum Patrum testimoniis constat, quantò melius, quantò perfectius, quantoque securius haberi debeat omne suum arbitrium relinquere, quàm id retinere, etiam benè utendo. Unde nemo cogitare debet quòd intelligat aliquid, ut decet, esse perfectius, nisi postquam Oraculum Obedientiæ consuluit.

§. D. Supereſt adhuc tertia consideratio, quam è rationibus assignare possumus: quarum prima sit. Qui sine sui Rectoris sive Prælati consilio aliquid aggrediuntur, sæpè in ipsis bonis operibus, quæ agunt in oratione, in jejuniis, vigiliis, &c. ad minus possunt aliquid propriæ voluntatis, imò & multum immiscere. Quantum autem de propriâ voluntate inseritur; tantum de bonitate operis minuitur. Ac ideò solùm ille congruenter intelligit quidnam sit perfectius, qui perfectionis opus ex obedientiæ dictamine perficit.

Nec

Nec argumenti vim evacuas, dicendo, te Dei voluntatem habere pro duce vel Scripturam ſacram: eò quòd ipſa Dei voluntas & Scriptura ſacra, nihil ita requirant à nobis, quàm ut non ſimus prudentes apud noſmetipſos, & ut ad conſilia Sapientum nunquam non recurramus.

Secunda ratio. Quoniam cum obedientiæ benedictionem ad ſupererogationis opera prærequirimus, ſi licentiam obtineamus, jam exercemus actum obedientiæ & abnegationis proprii judicii & voluntatis in hac re, deinde præſtamus opus à nobis concupitum & illius meritum conſequimur: ſi verò licentiam à Prælato non obtineamus, nullo tamen ſupradictorum propterea fruſtramur. Nam imprimis propriam voluntatem & judicium in hac re depreſſimus & abnegavimus, ac inſuper operis, quod facere nitebamur merito minimè caremus; cum voluntas apud Deum pro facto reputetur. Illi verò qui non conſulto Prælato ſine licentiâ congruâ perficiunt opus etiam alioquin optimum, ſolummodò perficiunt actum illum quo completur opus; mercedem tamen obedientiæ non con-

ſequuntur, imò cum in hoc opere propriam ſequantur voluntatem atque judicium, in ipſo opere multum de merito amittunt: & fortè, imò certiùs propriæ quæſitioni intendunt. Ex quo ſequitur, quòd ille qui judicare vult aliquid ſibi perfectius eſſe, non inſtructus per obedientiæ declarationem, dici non poſſit intelligere, prout congruit, *potiorem Dei voluntatem.* Undè *votum Seraphicum* faciendi ſemper quidquid intelligitur eſſe perfectius ad obedientiæ perfectæ votum eſt reducendum.

Tertia ratio. Si quis infirmus promitteret facere quidquid intelligeret ſanitati ſuæ magis eſſe conveniens, omnem intelligentiam propriam ita ſeponere deberet & obedientiæ periti medici ſubjicere, ut nunquam plenum formaret judicium hoc vel illud ſanitati ſuæ magis eſſe conveniens, antequam ſui medici didiciſſet ſententiam: ſic ut is qui promittit facere quidquid intelliget ſuæ ſanitati magis eſſe congruum, nihil magis illo faciat qui promittit in omnibus obedire medico, ſive ſemper facere quidquid medicus indicabit eſſe magis aptum ſanitati. Non aliter etiam ad votum generalis obedientiæ

dientiæ, Medicis animarum exhibendæ, reduci debet votum faciendi semper quidquid intelligitur magis esse congruum sanctitati.

Certè sicut erraret infirmus, quantumvis etiam peritissimus, qui proprio judicio determinare vellet congruentia sibi, sic etiam vovens omnia perfectiora facere, deciperetur, qui preponeret aliqua perfectiora judicio proprio determinare. Sapientissimè siquidem Cassianus *Nullo* (inquit) *vitio tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cùm neglectis consiliis seniorum, in suo sibi judicio persuaserit ac diffinitione doctrinave confidere.* Quòd efficacissimè D. Dorotheus confirmat, qui spiritualium virorum lapsus omnes & interitus, ad proprium judicium, quo seipsos discernere voluerunt, tanquam ad primariam radicem reducit: nec S. Augustinus erravit, cùm docuit: *Ubi dixisti: Meus sensus sufficit mihi; ibi defecisti, ubi tuo consilio placuisti.*

Cassianus Collat. 2. c. 11.

D. Doroth. Doctrina 5.

Aug. lib. 14. de Civit. c. 13.

Ergo ne incurrat, qui currit (cum D. Bernardo concludere possumus) *illuminari necesse est lumine* DISCRETIONIS, *quæ mater virtutum est, & consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet: Ne quid nimis.*

Bern. Serm. 3. de Circ.

At verò quia omninò rara ista avis est in terris, hujus DISCRETIONIS LOCUM IN VOBIS, FRATRES, SUPPLEAT VIRTUS OBEDIENTIÆ: *ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quàm imperatum sit, facietis.*

Plures allegari possent adhuc & rationes & auctoritates ex Vener. Patre nostro Thomâ à Jesu, qui Regulam nostram exponens, super illa verba: *Si quis autem supererogaverit ipse Dominus cum redierit reddet ei: utatur tamen discretione*, principalem hanc & præcipuam ponit conclusionem: *Periculosum valdè est & non ita meritorium opera supererogationis facere sine Prælati obedientiâ*: Sed nunquid jam dicta sufficiunt ad ostendendum, non oportere, non convenire neque decere quempiam judicio proprio quidnam sibi sit perfectius & *voluntati divinæ* conformius determinare: sic ut propterea *votum Seraphicum* faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius ad *votum obedientiæ perfectæ* necessariò sit reducendum? Sufficiunt abundantissimè; clarissimeque demonstrant, quòd convenienter statui possit hæc

FOR-

BREVIS FORMA VOTI SERAPHICI.

Promitto Deo ſemper facere quidquid intelligam eſſe perfectius, juxta præſcriptum & præceptum Superioris mei vel Directoris.

Quod idem eſſe poteſt ac ſi diceretur : Voveo ſemper facere quidquid intelligam eſſe perfectius: & quia perfectius eſt judicio proprio nihil determinare tanquam ſtatui meo convenientius, propterea tunc ſolummodò me votum ſub reatu culpæ conſtringet, quando Superioris mei vel Confeſſarii præceptum interveniet.

Interim dum in his imprimendis occupor, accipio formam *voti Seraphici*, quod non tantùm propriâ ſcripſit manu, ſed etiam ſanguine proprio ſubſignavit Venerab. Mater Joanna Franciſca Fremiot fundatrix Ordinis Viſi-

tationis B. Mariæ, dilectissima præ cæteris filia Sancti Francisci de Sales. Refertur hæc forma in historiâ vitæ ipsius cap. 21, estque talis:

Dilectissime Redemptor, post renovationem votorum meorum, obedientiæ, castitatis, paupertatis, & faciendi semper quidquid intelligam esse perfectius, sub directione disciplinaque Domini Genevensis, veri Patris ac Domini mei, cui, coram divinâ Majestate tuâ, totaque cœlesti curiâ, particularem atq; fidelem obedientiam voveo: meipsam exuo, & quidquid sum & quidquid est rerum abnego, absque omni prorsus exceptiunculâ, relinquens & resignans in sinum divi-

divinæ protectionis tuæ, & in ſecretiſſimum fidelitatis amoris tui ſancti, curam æternæ ſalutis meæ, vitæ meæ, mortis meæ, interioris quietis ac pacis animæ meæ, conſolationum mearum, afflictionum, deſideriorum, reflexionum ſuper id quod in me tranſit, ac deſiderii quo pœnas interiores meas auferri cupio: breviter, ſcabroſorum maximè horribiliũque, hanc mihi ſolam reſervando curam ut ſpiritum meum referam in te, in quo me perdere nec non immergere totaliter ac abyſſaliter concupiſco: ut me non ultra reſpiciam, non intuear,

nec

nec aliud quidpiam ; idque non felicitatis ergo, quam continet in te confidere, suamque curam in te jactare, sed quia sic est voluntas tua sancta, per divinas inspirationes tuas, ac per consilia dignissimi Patris animæ meæ, tuique sancti famuli, mihi manifestata : in cujus consideratione spero, quòd, sicut mihi donasti gratiam hoc votum faciendi, sic etiam donabis perficiendi. SOROR JOANNA FRANCISCA FREMIOT. Datum hac XVIII. Maj M.DC.XVI.

Longior quidem hæc est voti forma, talesque plures pro cujusque devotione componi possunt ; dummodò serventur ea, quæ Christianam prudentiam

dentiam, in votorum praxi, poſtulare poſteà domonſtrabimus.

Porrò ſatis jam advertiſſe Lectorem exiſtimo, quòd totam quaſi vel certè præcipuam libelli noſtri ſubſtantiam caput hoc præſens cum præcedenti contineat: ſic ut in binis hiſce capitibus totus rei cardo vertatur, & ſecundùm hæc approbari debeat hoc opuſculum vel reprobari. Quia ſuppoſito quòd præter votum obedientiæ regularis, dari poſſit votum obedientiæ perfectæ; prout nos præcedenti capite docuit Ven. Richardus à S. Victore: & præterea, quòd *votum Seraphicum* faciendi ſemper quidquid &c. ſit reducendum ad votum obedientiæ perfectæ, nihil ultra ſupereſt quod quæramus: Etenim cum in primo libro luculenter explicaverimus perfectis omnibus & ſolis *Seraphicum* perfectionis illimitatæ *propoſitum* eſſe proprium, & jam invenerimus tale *votum* quod huïc propoſito correſpondeat adæquatè; ſi quis hîc aliquam adhuc difficultatem latere contenderet, is profectò nodum in ſcirpo quæreret. Ego certè necdum aſſequi valeo quid evaſionis habeant, qui, concedentes obedientiæ perfectæ vo-

votum laudabiliter consuli, negant hoc votum esse perfectorum ; firmissimè siquidem hoc syllogismo concludi posse videntur;

Omnis paratus ad omne opus bonum est perfectus:

Omnis autem prudenter vovens obedientiam perfectam est paratus ad omne opus bonũ:

Omnis igitur prudenter vovens obedientiam perfectam est perfectus.

Majorem D. Thomas expressè docet, his verbis: *Tunc homo est perfectus, quando est instructus, id est, paratus ad omne bonum: non solùm ad ea quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea quæ sunt supererogationis.* Ubi D. Thomam de perfectione completâ loqui satis per hoc ostenditur, quod ad perfectionem inchoatam aut proficientem sufficiat esse paratum ad aliqua supradicta. Minor autem probatur: quia nemo prudenter vovet aliquid (ut posteà demonstrabitur 8. cap.) ad quod non est paratus: obedientiæ verò perfectę votum requirit ut quis ad omne opus bonum sit paratus ; eò quòd obedientia perfecta (secundùm D. Thomam) nihil sit aliud quàm *obedientia secundùm quam subditus obedit* IN OMNIBUS *quæ non sunt contraria legi*

D. Thõ. in cap. 3. Ep. 2. ad Tim.

legi divinæ vel Regulæ quam professus est. Porrò quantum ad consequentiam attinet, cum sit in BARBARA syllogismus, hæc nullo modo potest negari.

Non verba quidem, sed substantiam hujus syllogismi nuper opposui publicis quibusdam Thesibus libello nostro non multum faventibus. De quibus cum simus in Appendice latiùs acturi, ad ulteriora nunc progrediamur.

CAPUT IV.

Probabiliter ostenditur, quòd fide *certum sit*, votum Seraphicum *à* Richardo *commendatum, ab ipso Deo consuli.*

§. A.

DOctrina Richardi quoad votum obedientiæ generalis, eisdem argumentis probari posse crediderim, quibus D. Thomas astruere nititur, esse contrariam fidei positionem eorum, qui dice-

dicebant, quòd opera bona forent laudabiliora sine voto facta; quàm cum illo: cujus oppositum potiùs esse tenendum diversis argumentis ostendit; è quibus nostro magis apta proposito sequentia collegi.

§. B. D. Th. Opusc. 17. c. 12.

ARGUMENTUM I. *Quia voluntas humana mutabilis est, ad hoc ut verbis hominum fides habeatur, in tantum inolevit consuetudo, ut hoc, quod aliquis alteri vult facere, promissione confirmet, & ulterius promissionem roboret legitimis munimentis. Plus autem debet homo sibi, quàm proximo, præcipuè in his quæ pertinent ad spiritualem salutem, secundùm illud Eccl. 30 Miserere animæ tuæ placens Deo. Potest autem homo propter voluntatis mutabilitatem prætermittere id quod proposuit pro suâ spirituali salute, sicut & quod proposuit pro commodo temporali alterius. Si igitur aliquis utiliter providet proximo, vallando promissionem suam juramento, fide-jussione, vel pignore, multò magis utiliter & laudabiliter sibi providet, si bonum propositum quod concepit vel voto, vel juramento, vel quocumque alio modo firmare studuerit. Unde Augustinus dicit Epist. ad Paulinam & Armentarium: Quia vovisti jam te astrinxisti, aliud tibi facere non licet. Et postea subdit: Nec ideò te vovisse pœniteat: imò*

imò gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset

ARGUMENTUM II. *Inter alia bona opera maximè observatio virginitatis commendari solet, ad quam Dominus invitat, dicens Matt. 19. Qui potest capere capiat: Sed ipsa virginitas ex voto commendabilis redditur; dicit enim Augustinus lib. de Virginitate: Neque virginitas, quia virginitas est, honoratur, quam vovet & servat continentiæ pietatis. Et infra: Nec nos in virginibus, quòd virgines sunt, prædicamus: sed quòd Deo dicatæ sint piâ continentiâ virginitatis. Multò igitur magis aliqua opera laudabiliora reddantur ex hoc, quod per votum Deo dicantur.* Ibid.

ARGUMENTUM III. *In Ps. 75 dicitur: Vovete & reddite Domino Deo vestro. Ubi dicit Glossa: Notandum quòd alia sunt communia vota Dei, scilicet sine quibus non est salus; ut vovere fidem in baptismo, & hujusmodi, quæ, etiamsi non promittimus, solvere debemus: & de his præcipitur omnibus; vovete & reddite. Alia sunt vota propria singulorum, ut castitas, virginitas, & hujusmodi. Ad hæc ergo vovenda nos invitat, non præcipit ut voveamus, sed ut vota reddamus. Vovere enim voluntati conceditur, sed post voti emissionem, redditio exigitur* Opusc. 18. c. 12.

gitur necessariò. Votum ergo quoddam est in præcepto: quoddam in consilio. Ex utroque autem ex necessitate concluditur, quòd melius est aliquod bonum facere ex voto, quam sine voto. Manifestum est enim, quòd ad ea quæ sunt de necessitate salutis, omnes tenentur ex Dei præcepto: nec est fas æstimare aliquod Dei præceptum in vanum dari. Finis autem cujuslibet præcepti est charitas, ut dicit Apostolus 1. Tim. 1. Frustra ergo daretur aliquod præceptum de aliquo faciendo, si non magis ad charitatem pertineret illud facere, quàm non facere. Datur autem præceptum non solùm de credendo, vel de non furando, sed etiam ut hæc voveamus. Credere igitur ex voto & abstinere à furto ex voto, & cætera hujusmodi, magis ad charitatem pertinent, quàm si sine voto fiant. Quod autem magis ad charitatem pertinet magis est laudabile & magis meritorium. Magis ergo est laudabile & magis meritorium facere aliquid ex voto, quàm sine voto.

Opusc. 18. c. 12. ARGUMENT. IV. Consilium datur non solùm de virginitate vel castitate servandâ, sed etiam de vovendâ; ut patet ex Glossâ suprà inductâ. Sed consilium non datur nisi de meliori bono, ut suprà dictum est. Melius est ergo servare virginitatem cum voto, quàm sine eo: & simile est in aliis.

ARGU-

ARGUMENTUM V. *Quodlibet bonum finitum cum enumeratione alterius boni melius est : Nulli autem dubium esse potest, quin ipsa promissio boni sit aliquod bonum: unde & qui homini alicui promittit, bonum aliquod ei videtur jam impendere; unde & quibus aliquid promittitur, gratias agunt: votum autem est quædam promissio Deo facta, ut patet per illud quod dicitur Ecclesiastes 4. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Melius est igitur aliquid facere & vovere, quàm facere simpliciter absque voto.* Ibid.

ARGUMENTUM VI. *Quantò aliquis plus dat alicui, tantò majus aliquid ab eo meretur. Qui autem facit aliquid sine voto, dat ei solùm quod facit propter ejus amorem: qui autem non solùm facit, sed etiam vovet, non solùm dat ei quod facit, sed etiam potentiam quâ facit. Facit enim se non posse quin faciat, quod priùs non facere licitè poterat. Majus ergo aliquid meretur apud Deum qui ex voto aliquid facit, quàm qui illud facit sine voto.* Ibid.

ARGUMENT. VII. *Ad laudem boni operis pertinet, quòd voluntas firmetur in bono, sicut ad aggravationem culpæ pertinet, quòd voluntas sit obstinata in malo. Manifestum est autem, quòd qui aliquid vovet, voluntatem* Ibid.

tatem ſuam firmat ad id quod vovet: & ſic cùm implet quod voverat, opus bonum ex voluntate firmatâ procedit. Sicut igitur ad gravamen culpæ pertinet, quòd ex propoſito firmato aliquis malum operetur, hoc enim eſt ex malitiâ peccare, ita ad augmentum meriti pertinet, quòd aliquis bonum opus operetur ex voto.

ARGUMENTUM VIII. *Quantò aliquis actus ab excellentiori virtute progreditur, tantò laudabilior eſt, cum laus operis ex virtute procedat. Contingit autem quandoque actum inferioris virtutis à ſuperiori virtute imperari: puta cùm aliquis actum juſtitiæ ex charitate facit: multò igitur melius eſt, opus virtutis inferioris facere ex imperio ſuperioris virtutis, ſicut melius eſt opus juſtitiæ ſi ex charitate fiat. Manifeſtum eſt autem quòd particularia bona opera quæ facimus, pertinent ad aliquas inferiores virtutes; puta, jejunare ad abſtinentiam, continere ad caſtitatem, & ſic de aliis: vovere autem eſt propriè latriæ actus, quam nulli dubium eſſe debet eſſe potiorem vel abſtinentiâ, vel caſtitate, vel quacumque aliâ hujuſmodi virtute. Majus eſt enim colere Deum, quàm rectè ſe habere erga proximum, aut ſeipſum. Opus igitur abſtinentiæ, vel caſtitatis, vel cujuſcumque talium virtutum quæ ſunt infra latriam, lau-*

laudabilius est, si ex voto fiant.

ARGUMENTUM IX. *Huic etiam suffragatur pium Ecclesiæ studium, quæ homines ad vovendum invitans, & voventibus ire in subsidium terræ sanctæ vel aliàs in defensionem Ecclesiæ, indulgentias & privilegia largitur. Non autem invitaret ad vovendum, si melius bona opera esset facere sine voto. Hoc enim esset contra exhortationem Apostoli* 1. Corinth. 12. *Æmulamini charismata meliora. Unde si melius esset bona opera facere absque voto, non invitaret ad vovendum, sed etiam à vovendo retraheret vel prohibendo, vel etiam dissuadendo. Similiter etiam cum Ecclesiæ intentio sit, homines fideles ad meliorem statum reducere, omnes à votis factis absolveret, ut sic eorum bona opera laudabiliora existerent.* Ibid.

Ex his argumentis hanc finalem trahit consequentiam D. Thomas: PATET IGITUR (inquit) HUIUSMODI POSITIONEM (quæ voto contradicit) REPUGNARE EI QUOD COMMUNITER ECCLESIA TENET. UNDE ET TANQUAM HÆRETICA REPROBANDA EST.

Quisquis verò doctrinam hanc D. Thomæ ponderat attentiùs, apertissimè reperit illius mentem non esse tantùm ostendere, quòd fide constet hoc

vel illud votum in particulari esse divinum consilium, sive quòd opera cum hoc solùm vel illo voto facta sint laudabiliora: sed potius quòd hoc de voto quocumque generaliter possit ac debeat prædicari: rationes enim quibus hoc probat ex diversis Scripturæ locis & aliunde, non solùm pro hoc vel illo particulari voto concludunt, sed omninò pro quolibet: prout argumenta singula consideranti satis apparebit.

Jam verò si fidé constet omne votum generaliter ex mente Doctoris Angelici (cui consonat etiam aliorum Scriptorum auctoritas) consilium esse divinum, negari non poterit etiam, de *voto Teresiano* sive majoris perfectionis, idem esse sentiendum.

Ne quis verò neget hanc Sancti Doctoris mentem fuisse, consideret, aliàs hoc argumentum, quod alibi format, nihil omninò concludere: *Si virtuosum est Religionis statum assumere: Virtuosos autem actus ex voto facere laudabilius est: laudabiliùs agunt illi, qui statim Religionem ingredi non valentes, se ad ingressum Religionis voto obligant.* Hæc argumentatio nihil certè valeret, nisi omnes actus

D. Th. Opusc. 17. c. 12.

vir-

virtuosos ex voto facere laudabilius esset: adeoque secundùm *voluntatem Dei* consultius foret nihil facere sine voto.

Nervosum itaque similiter erit hoc argumentum: Si virtuosum est semper id agere quod quis intelligit esse perfectius: imò si nihil perfectè virtuosum est nisi quod fit cum intentione semper in melius proficiendi (prout jam ostendimus abundanter) Virtuosos autem actus ex voto facere laudabilius est: laudabiliùs agunt illi, qui semper id faciendi votum emittunt, quàm qui hoc sine voto faciunt.

§. D.

Contra nostri sæculi Novatores probare solemus Sancto Petro datam fuisse curam à Christo, non horum tantùm vel illorum fidelium, sed prorsus omnium, ex illo Joannis 21, *Pasce oves meas.* Dicimus enim quòd, cum „ Christus absolutè illi assignet pascen„ das oves suas, non ad has vel illas „ in particulari determinando, hoc de „ omnibus omninò fidelibus intelligi „ debeat: quia scilicet nullus fidelis est „ qui se non glorietur esse ovem Chri„ sti. Sicut si pater aliquis absolutè „ dicat: Relinquo bona mea filiis meis,

„ nec hæc nec illa bona deberent ex-
„ cipi, nec ullus etiam filiorum exclu-
„ di: Et Dominus cùm ait, Joan. 10.
„ *Cognoſco oves meas*, Et, *Ego pono ani-*
„ *mam meam pro ovibus meis*, tametſi non
„ dicat, omnes oves meas, aut, om-
„ nibus ovibus meis, tamen nullus ne-
„ gat, quin de omnibus ſit locutus.
„ Ità etiam cùm dixit Petro: *Paſce oves*
„ *meas.*

Urgemus adhuc ulterius: Cùm Do-
„ minus ait Petro: *Paſce oves meas*: vel
„ commendavit illi oves ſuas omnes,
„ vel nullas, vel aliquas certas & de-
„ finitas vel aliquas indefinitas. At ne-
„ mo dixerit, nullas, aut aliquas cer-
„ tas eſſe commendatas: id enim eſt
„ manifeſtè falſum: Nec etiam ali-
„ quas indefinitas, quia non eſt ſa-
„ pientis proviſoris relinquere indefini-
„ tam curam, cum poſſit eam defini-
„ re, præſertim cum certa confuſio &
„ perturbatio ex illâ indeterminatione
„ oriatur. Prætereà commendare aliquas
„ & non indicare quas, idem videtur
„ ac ſi commendarentur nullæ. Reſtat
„ igitur ut omnes omninò ſuas oves
„ Petro Chriſtus paſcendas aſſignave-
„ rit. Ita Bellarminus.

Hoc

Hoc nunc ad propoſitum noſtrum, non magni laboris erit, applicare. Cum enim conſilium divinum de vovendo datum ſit abſolutè per hæc verba: *Vovete & reddite Domino Deo veſtro*: non aliter illud etiam, quàm abſolutè debet intelligi: nec ad hæc vel illa vota ſpecialiter reſtringi. Ac proinde non hi tantùm vel illi virtutis actus laudabiliter ex divino conſilio poſſunt voveri, ſed omnes omninò, nullos excipiendo, prout videlicet poſſunt proponi. Vel certè dici deberet melius eſſe aliquá facere ſine voto, quàm cum illo: quod tamen ut hæreticum reprobat D. Thomas. Pſ. 75. v. 12.

Accedit etiam quòd S. Pater Auguſtinus explicans locum præallegatum: *Vovete & reddite*, ad omne votum generaliter conſilium illud extendendum inſinuat: *Quiſque quod poteſt* (ait) *voveat & reddat. Ne voveatis & non reddatis; ſed quiſque quod poteſt voveat & reddat. Non ſitis pigri ad vovendum: non enim viribus veſtris implebitis. Deficietis, ſi de vobis præſumitis, ſi autem de illo cui vovetis, vovete, ſecuri reddetis. Vovete & reddite. Quid debemus vovere? Credere in illum, ſperare ab illo vitam æternam, benè vivere ſe-* §. E.

cundùm communem modum. Est enim quidam modus communis omnibus. Furtum non facere &c. Hoc totum omnes debemus vovere. Alius Deo vovet castitatem, alius vovet relinquere omnia sua distribuenda pauperibus & ire in communem vitam, in societatem sanctorum. Magnum votum vovit. Quisque quod vovere vult, voveat; illud attendat, ut quod vovit reddat. Nunquid illimitatam omninò voti materiam esse D. Augustinus insinuat, quando tam generaliter ad votum exhortatur, ut dicat: *Quisque quod* (sive quodcumque) *vovere vult, voveat*? Imò sanè videtur aliquid hoc ipso magis esse materia voti quò melius est, eò quòd votum nihil sit aliud quam promissio facta Deo de meliori bono.

Non est profectò credibile, quòd, cùm de vovendo Deus consilium dedit, hoc tantùm intellexerit de votis illis quibus firmari possint virtutes incipientium & proficientium: noluerit autem hoc intelligi de votis illis quibus roborari possunt virtutes perfectorum. Præcipuè cum jam ostenderimus acriores frequenter eorum pugnas esse.

Eo certè melius votum est atque per-

perfectius, quo res illa quæ vovetur est melior & perfectior: Unde S. Augustinus, in serm. 3 diei Nativitatis Dominicæ, sic loquitur: *Fortassis interrogatis me quid debeatis hodie vovere & reddere? Sunt enim multi qui vovent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius ut vinum non bibat per aliquot annos, alius ut carnes non comedat. Non est illud votum optimum nec perfectum. Adhuc melius volo. Non eligit Deus nec speciem tuam, nec oleum tuum, nec jejunium tuum: sed hoc quod in te hodie redemit, ipsum offer, hoc est, animam tuam.*

§. F.

Qualiter obedientiæ perfectæ voto suam quis animam dici possit offerre, sequenti capite clariùs apparebit. Jam verò nostram occupare debet considerationem argumentorum illorum eximia vis, quibus obedientiæ non minus perfectæ, quàm religiosæ votum contra nostri temporis sectarios Bellarminus astruere nititur, aut saltem astruit:

„*Primò* (inquit) grata est Deo obedientia etiam in iis rebus quas ipse non præcepit: nam Hieremiæ 35. laudantur & renumerantur à Deo filii Jonadab, qui, ut obedirent patri

Bell. de Monach. lib. 2. c. 21.

„tri ſuo, non bibebant vinum, non „ſerebant agros, non habebant do„mos, ſed habitabant perpetuò in ten„toriis: Omne *autem* (ait) *quod Deo* „*gratum eſt voveri poteſt.* Igitur obedien„tia, etiam alioqui non debita, Deo „voveri poteſt.

„*Secunda ratio* ex teſtamento novo „ſumi poteſt, nam conſilium perfe„ctionis eſt ſequi Dominum, *perfectè* „abnegando ſeipſum, ut colligitur ex „illo Matt. 16. *Qui vult venire poſt me* „*abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam* „*& ſequatur me*; nam etſi in præpara„tione animi abnegare ſeipſum præ„ceptum ſit, cum ibidem Dominus „addat: *Qui enim voluerit animam ſuam* „*ſalvam facere perdet eam*: tamen extra „articulum neceſſitatis abnegare ſe„ipſum *perfectè* & *omnibus in rebus*, „ſubjiciendo judicium & voluntatem „ſuam alterius judicio & voluntati, „non eſt præceptum, ſed conſilium. „Ideò enim Matt. 19. dicitur: *Si vis* „*perfectus eſſe, vade, & vende omnia* &c. „*& veni ſequere me.* Porrò *perfecta* ſe„quela Domini quæ in abnegatione „ſui ipſius, id eſt, in *perfectâ obedientiâ*, „conſiſtit, neceſſariò includit votum,

„quo

„ quo quis ita ſeipſum abneget, ut non „ poſſit retrocedere: non enim perfe- „ cta eſt abnegatio ſui, obedire alte- „ ri ad tempus (aut etiam obedire tan- „ tum in aliquibus determinatè) & „ paulò poſt non obedire: quocirca „ Dominus ibidem addidit: *Et tollat „ Crucem ſuam*: ſiquidem, ut eleganter „ monet Joannes Caſſianus lib. 4 de „ inſtitutis cœnobiorum c. 35, verus „ ac perfectus Monachus, ſimilis cru- „ cifixo eſſe debet, qui enim Cruci „ affixus eſt, non ſolùm non ambulat „ quò vult, nec facit quod vult, ſed „ nec poteſt ambulare aut operari, niſi „ ab alio moveatur.

„ *Tertia ratio*: rectè faciunt homines, „ qui, cupientes vitam communem age- „ re, communi conſenſu eligunt ſibi „ aliquem in præpoſitum; id enim & „ recta ratio ſuadet & Scriptura etiam „ monet Proverb. 3 cùm dicit: *Ne in- „ nitaris prudentiæ tuæ.* Rurſus præpoſi- „ to conſtituto, bonum eſt & Deo „ gratum, ut illi obediatur; cum ſcrip- „ tum ſit: *Qui vos audit, me audit*, Luc. „ 10. Et, *Obedite præpoſitis veſtris*, Heb. „ 13. At, OMNE *quod Deo placere conſtat „ teſtimonio ipſius, rectè voveri poteſt*, ut ad-

„ verſa-

„ versarii concedunt : poterit igitur obe-
„ dientia exhibenda præpositò à nobis
„ electo, & cui alioqui obedire non
„ teneremur, rectè voveri.

Non video sanè, quòd his Bellarmini rationibus aliquid solidius, ad ostendendam obedientiæ perfectæ voti convenientiam, possit adferri.

Etenim cum extra controversiam sit obedientiæ perfectæ virtutem, extra limites Evangelicæ perfectionis non erumpere, valdè notanda videtur hîc illa Venerandi Domini Joannis de Sancto Paulo Episcopi Sabiensis à D. Bonaventurâ celebrata quondam sententia : *Si quis intra Evangelicæ perfectionis observantiam, & votum ipsius, dicat contineri aliquid novum, aut irrationabile, vel impossibile ad observandum, contra Christum Evangelii auctorem blasphemare convincitur.*

Bonav. in legẽd. S. Franc. c. 3.

CA-

CAPUT V.

De ſummâ voti Seraphici *felicitate.*

QUiſquis attentè ruminat illa Sancti Patris Auguſtini verba, quibus votum extollit, dicens, *Felix neceſsitas quæ in meliora compellit*, non obſcurè perſpiciet, omni voto prorſus hæc duo competere, quod ſit in illo tam felix neceſſitas, quàm neceſſaria felicitas: hæc enim in eo videtur eſſe poſita, quod omne votum *compellit*: & iſta in eo, quod non compellat in alia quàm *in meliora*. §. A. Auguſt. Ep. 45.

Quamvis autem ex illis quibus anteà (primo libro videlicet) *Seraphici propoſiti* tum honeſtatem excellentiſſimam, tum utilitatem fructuoſiſſimam, tum præterea jucunditatem ſuaviſſimam oſtendimus, abundè ſatis videre poſſimus *voti Seraphici* non poſſe non eſſe ſummam felicitatem: ex aliis autem quæ ſecundo jam libro probavimus etiam feliciſſimam ejuſdem voti neceſ-

necessitatem: brevi tamen verbulo conveniens hîc erit ex professo considerare primum quidem capite præsenti, secundum verò sequenti.

§. B. Minor vel major votorum felicitas ex ipsâ materiæ quæ promittitur felicitate debet colligi: sic ut illius voti sit omninò summa felicitas, quod compellit in ea, quæ, inter meliora, maximè præcellunt. Unde cum nihil excellentius inveniatur, quàm *obedientia charitatis*, nullius etiam voti felicitas major poterit inveniri.

Excellentiam obedientiæ D. Thomas consistere docet in hoc, quod ipsa bonum hominis excellentissimum, animam videlicet ipsam, Deo sacrificet ac voluntatem. Verba Sancti Doctoris ista sunt: *Inter virtutes morales tantò aliqua potior est, quantò aliquis magis aliquid contemnit, ut Deo inhæreat. Sunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo potest contemnere propter Deum; quorum infimum sunt exteriora bona, medium autem sunt bona corporis, supremum autem sunt bona animæ: inter quæ quodammodò præcipuum est voluntas, in quantum scilicet per voluntatem homo omnibus aliis bonis utitur. Et ideò per se loquendo, laudabilior est obe-*

D.Th.2. 2. qu. 104. art. 3.

dientia

dientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt.

Undè sapientissimè D. Gregorius explicans illum sacræ Scripturæ locum, *Melior est obedientia, quàm victimæ,* scribit sequentia: *Si pro excellenti virtutum gloriâ excellens bonum quærebas; bonum obedientiæ, quod excellentibus etiam excellit, eligere potiùs debuisti.* 1. Reg. 15. v. 25.

Nihil discrepat ab hac sententiâ quod apud S. Hieronymum reperimus: *Aurum* (inquit) *deponere incipientium est, non perfectorum. Fecit hoc Crates, Antistenes Thebanus fecit. Seipsum offerre Deo, propriè Christianorum est & Apostolorum.* Hieron. Epist. ad Licin.

O *Monache* (inquit D. Augustinus) *lege quod dicitur: Melior est obedientia, quàm victima. Quæ causa est, nisi quia in victimis aliena immolatur caro, sed in obedientiâ voluntas propria & caro mactatur.* Itaque si recolas illam Hipponensis hujus Antistitis doctrinam, quâ monebat illud esse votum optimum atque perfectum quo Deo consecratur non vinum, aut oleum, aut aliquid hujusmodi, sed ipsa, quæ redempta fuit per illum, anima; votum obedientiæ charitatis optimum Aug. Tō. 1. Serm. 7. ad frat. in eremo. *Vide cap. præced. §. E.*

mum atque perfectum esse non dubitabis asseverare.

§. C. An non animam quoque suam (inquies) ille Deo sacrificat, qui mandatis omnibus, licet non consiliis, promittit obtemperare? Et quidem totam, quia scilicet unum ex mandatis est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ.* Sed animam eamque totam diversis adhuc modis Domino sacrificari posse dubium non est; secundùm quòd diversis nimirum formis aut modis converti potest ad Dominum. Alia siquidem est forma conversionis incœptæ, alia non nihil promotæ, alia verò perfectæ.

Et quænam est, quæso, forma conversionis perfectæ? D. Bernardus expendens illud Sancti Pauli: *Domine quid me vis facere*, talem construit exhortationem: *Hæc planè fratres perfectæ conversionis est forma*: Neque continere se potest quin exclamet: *O verbum breve, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione. Quam pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ formâ, qui suam ita abjecerunt voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant, ut non quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni horâ requi-*

Bern. Serm. 1. in Conv. S. Pauli.

quirant, dicentes sine intermissione: Loquere Domine quia audit servus tuus. Heu plures habemus Evangelii illius cœci, quàm novi Apostoli imitatores. Quid vis (ait Dominus ad cœcum illum) ut faciam tibi? Quanta est miseratio tua Domine, quanta dignatio tua? Siccine Dominus quærit, ut servi faciat voluntatem? Verè cœcus ille, quia non consideravit, non expavit, non exclamavit: Absit hoc Domine, tu magis dic quid me facere velis. Sic profectò sic multorum usque hodie pusillanimitas & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat; Quid vis ut faciam tibi? Non ipsi quærant. Domine quid me vis facere? Considerare necesse habent Ministri & Vicarii Christi, quid sibi præcipi velint: non ipsi considerant quæ voluntas sit præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus parati sunt obsequi. Discernunt & dijudicant eligentes in quibus obediant imperanti. Hujusmodi itaque etsi tolerari se videant & condescendi ac morem geri infirmitati suæ, proficiant, obsecro, pudeatque semper inter parvulos inveniri.

§. D. Saluberrimum pudorem hunc idem S. Abbas etiam alibi conatur incutere, dicens nos, si discutimus, si dijudicamus & in hoc præcepto quidem, sed non in illo obedimus, offerre Domino

nummum non integrum, sed fractum. Unde posteà subdit: *Vis audire perfectæ obedientiæ formam? Vidit Dominus (ait Evangelista) Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Faciam, inquit, de piscatoribus piscatores, imò prædicatores. At illi continuò nihil dijudicantes, aut hæsitantes, non soliciti unde viverent, non considerantes quonam modo rudes homines & sine litteris prædicatores fieri possent, nihil denique interrogantes, sine omni morâ relictis retibus & navi secuti sunt eum. Agnoscite fratres, quoniam propter vos scripta sunt hæc, propter vos singulis annis in Ecclesiâ recitantur: ut discentes veræ obedientiæ formam castigetis corda vestra in obedientiâ charitatis.*

Bern. Serm. 2. in fest. S. Andreæ.

Si teste Salvatore sunt *beati mundo corde*, & in obedientiâ sive per obedientiam charitatis corda castificantur, hoc est, omninò casta, sive pura, & munda efficiuntur, nonne clarum quòd per hanc obedientiam summa felicitas & beatitudo veraciter obtineatur?

Notatu porrò dignissimam hanc rationem insinuat S. Mater N. Teresia, cur obedientia medium sit, non tantùm securissimum, sed etiam compendiosissimum, ad veram, quæ in volun-

luntatis noſtræ erga divinam ſubjectione conſiſtit, felicitatem perveniendi: Quia ſi prætendamus (*ait*) ad hanc ſubjectionem induſtriâ noſtrâ, per judicii noſtri ductum pervenire, longa nimis & periculoſa eſt hæc via; quoniam amor proprius frequentiſſimè decipit judicium noſtrum. Et propterea conſultius eſt eorum ſe judicio reſignare, quibus à Domino dictum agnovimus: *Qui vos audit, me audit*; Ut per eos, quid Deus à nobis exigat, ſecuriùs edoceamur. *Ter. lib. Fund. c. 5.*

CAPUT VI.

De feliciſsimâ voti Seraphici *neceſsitate.*

§. A.

PRæſupponendum eſt hæc duo multum diſtingui: Neceſſitatem aliquam Chriſtianis incumbere votum aliquod emittendi, & votum abſque neceſſitate nuncupatum feliciſſimam adducere neceſſitatem: certum eſt enim nullam eſſe neceſſitatem ad culpam ali-

quam obligantem faciendi *votum Seraphicum*, nec illud ullo modo contendimus hîc oſtendere: Sed quòd oſtendere nitimur eſt, *votum Seraphicum* emiſſum feliciſſimam neceſſitatem adducere.

Nunquam in rebus aliquibus eſſe poteſt ſumma felicitas, niſi ſit in eiſdem etiam feliciſſima neceſſitas, ſeu firma prorſus & immobilis ſtabilitas: quantum enim de hac deeſſe conſpicitur neceſſitate ſive ſtabilitate, tantum de ipsâ deeſſe creditur felicitate. Unde vel ex hoc præſertim capite deſpicienda docetur omnis mundi felicitas, quia *vertitur in luctum cithara, & extrema gaudii luctus occupat.* Infelix eſt omninò felicitas illa, quę non alium quàm infelicem exitum poteſt ſortiri. Et quamvis, alia, quæ felicem poteſt exitum ſortiri, felix aliquemodo poſsit dici, non debet abſolutè tamen, ſi poſsit etiam contrarium.

Job. 30. v. 31. Prov. 14. v. 13.

6. B. Nunquid felix olim cum ſuis complicibus erat Lucifer, quando creatus in gratiâ ſupernaturali hujus viæ beatitudine fruebatur? Erat utique. Sed cur non fuit illa felicitas abſoluta, ſive conſummata? Quia nunquam fuit illa

illa felicitas confirmata, quia non fuit immobilis & neceſſaria; quia, licet ille Seraphim fuerit, in veritate tamen non ſtetit. Hinc enim factum eſt, ut ille, qui creatus fuerat tam felix angelus, infelix apoſtata ſit factus diabolus, & à felicitate ſuâ devolutus ſit ad inferni ſupplicia.

Cœleſtem æmulari perfectionem, & angelicam attingere fælicitatem Religioſos illos qui charitate pollent, non immeritò docuit S. Hieronymus: eò quòd hîc verificari cernamus illud: *Supremum infimi attingit infimum ſupremi*: Nec aliud eos in cellis facere, quàm quod in cœlis faciunt angeli, jam ex Abbate Clarevallenſe didicimus. Ecquis eorum felicitate beatius aliquid inveniri poſſe crediderit? Nemo ſanè quidpiam in his infimis. *Hieron. in Regulâ Monach.*

Sed quid ſibi velle dicemus, lamentum illud animæ Tereſinaæ, quo dicit: *Vera religioſitatis via tam parum frequentatur: ut Monachus & Monialis vocationem ſuam ſincerè vereque, ſequi incipere volentes magis confratres & conſorores, quàm omnes* SPIRITUS INFERNALES *timere debeant?* Spirituumne igitur infernalium ſimilitudinem Religioſis aliquibus competere Ter. in vitâ ſuâ cap. 7.

Vbi suprà. re dicendum est? Hoc, ubi non est charitas, evenire docet apertè S. Hieronymus.

Sanguineis profectò lachrymis est digna quorundam miseria, qui, cum spiritu cœperunt, carne consummant: & qui in principio vocationis Religiosæ pleni erant charitate, pleni sunt posteà carnalitate: sic ut, qui primò videbantur angelicam æmulari perfectionem, dum ad Creatoris sui nutum adsunt veloces, nec in supererogatoriis minorem, quàm in obligatoriis ostendunt promptitudinem, nec ab illicitis solùm, sed à licitis etiam abstrahunt cor suum, in diabolicam deinde pravitatem degenerent, & *heu rebellionis spiritu armati* (prout D. Bernardus loquitur) *tam præcipiti impetu per abrupta vitiorum currunt ad mortem, ut eos auriga præsidens nullo fræno disciplinæ valeat cohibere.*

Bern. de ord. vitę.

§. C.

Vidimus (ingemiscit Antistes Africanus) *multos, Domine, & audivimus à patribus nostris* (*quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor*) *ascendisse primitùs quosdam usque ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocasse: postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & ani-*

Aug. in Soliloqu. cap. 29.

& animas eorum in malis obstupuisse; vidimus stellas de cœlo cecidisse. Sed unde quæso tanta miseria, tam misera calamitas, tam calamitosa conditio? quænam res est quæ stellas hujusmodi suâ poteit gloriâ deturbare? Dilectum Christi discipulum audiamus. Vidit ille draconem magnum & rufum: *Et cauda ejus*, inquit, *trahebat tertiam partem stellarum cœli.* Apoc. 12. v. 4.

Non parum certè prodesse poterit investigare quidnam illa cauda significet? Hanc ego (salvo tamen judicio meliori) non ineptè crediderim sic interpretari, ut significet libertatem abstinendi à supererogatoriis venenosam, & frigidum illud atque pestiferum: *Non sum obligatus: Ad hoc vel ad illud non teneor.* Ferventi siquidem Dei famulo non hoc facilè dæmon suggeret, ut vota sua substantialia scienter infringat: scit enim hoc frustra se facturum: eò quòd defectus adeò crassos jam ex animo suo prorsus excluserit. Sed primùm hoc satagit, ut supererogandi fervor tepescat, & antemurale lugeat, non ignorans quòd posteà murus etiam facillimè dissipabitur, & à nauseabundo bonitatis divinæ stoma-

cho paulatim evometur.

Occurrit v. g. modicum aliquid quod majoris esse perfectionis, ex obedientiæ perfectæ documento, satis intelligit, ut cùm Superior aliquem suorum quærit, qui lavandi lances faciat charitatem. Adest continuò suggestio satanæ mirisque subditum præstigiis incantat: Cur tu magis (ait) faceres quàm es obligatus? Satis erit si tuas obligationes fideliter adimpleas: nihil mali facies illud omittendo: quamvis enim à voluntate Dei per hoc deflectes, nullius tamen culpæ reus eris. Est modò recreatio, sapit jam lusus, & ille tibi non est illicitus. Quoties heu! quoties non contingit, quòd, qui similem obedientiæ perfectæ vel charitatis omissionem, similem ad lusum adhæsionem, tanquam piaculum olim abhorruerat, dum ad incantationes hujusmodi non obturat aures, in illam cadat perversitatem, ut alicui creaturæ cum advertentiâ plenâ sinat adhærere cor suum, contra potiorem Dei voluntatem?

Nec hoc locum obtinet in illo solùm tentationis genere in quo de supererogatoriis agitur in rebus exiguis

&

& nullius momenti : ſed idem, imò pejus, accidit in rebus momenti majoris. Quoties enim occurrit occaſio generoſius aliquid ſupererogandi propter amorem Dei : Miſſioni v. g. perdifficili vel peſtiferorum obſequio ſe præſentandi, vel acceptandi pœnitentiam aut humiliationem aliquam graviorem, ad quam, non tantùm propriâ dictante conſcientiâ, ſed aliorum quoque tam pietate quàm ſcientiâ pollentium ſuffragante judicio, non quidem ſecundùm rigoroſam aſtringitur obligationem, ſed ſecundùm amoroſam ſolummodò perfectionem: quomodo non inſtat, non urget, non tentat inimicus, ut hoc omittatur? eâ ſcilicet ratione, quia nihil ibi eſt mali, nihil peccati; quia libertatem habet, etiam citra Dei offenſam, utendi jure ſuo, neque ſub aliquâ culpâ tenetur ſe illo ſpoliare.

Jam verò licet aliquoties hac percuſſus caucâ, hac tentatione pulſatus manere poſsit conſtans & immobilis: eò tamen faciliùs aliquandò protrahetur ad caſum, quò minus apparet à patre mendacii tentationem ſimilem, veritatis apparentiâ ſplendidam, procede-

cedere. Cui tentationi postquam præbuit aurem, quâ, ne faceret illud quod Regulam excedebat, fuit persuasum, secundam intonat incantationem diabolus: nec difficulter adducit infra prescriptum Regulæ paulatim descendere; cursuque temporis eò progreditur, ut illum suę voluntatis faciat mancipium, & in vinculis ferreis constringat pedes illius: sic ut suspirare cum Augustino jure meritissimo possit, se ligatum, non ferro alieno, sed suâ ferreâ voluntate.

Ecce qualiter obscuratur aurum, mutatur color optimus, qualiter ad inimici vincula paulatim ferrea devolvitur, quem priùs aureum divinæ charitatis vinculum constringebat. Et quid obsecro tantæ calamitati, causam, quid initium dare potuit? quid, nisi quòd noxiæ libertatis adhuc aliquid superesse videbatur & non plenè sinebat replicare dœmoni suggerenti: *Non es obligatus.* Quo dum quasi draconis caudâ percutitur, & tanquam eo, quod, expulso penitus inimico, solum adhuc ultimumque remanserat, miserrimè de cœlo cadit, qui poterat inter sidera firmare nidum suum.

Sed

§. D.

Sed benedictus Deus qui gladium ſuppeditat nobis, quo caudam hanc amputemus & vinculũ charitatis aliud adhuc nobis exhibet, quo primum variabile nimis adeò firmiter feliciterque confirmemus, ut quâ parte ſuam incipiat tentationem, non inveniat inimicus. Et quidnam illud niſi *votum Seraphicum*? Hoc certè vinculo quicumque ſe conſtrictum videt, tam felicem illius invenit neceſſitatem, tam immobilem in Domino felicitatem, ut jam cum Prophetâ canere non dubitet: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo: Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* Pſ.117. v.6.

Quam veram ad hoc efficaciam *Tereſianum votum* habeat, ſatis elicere poſſumus ex illâ Doctoris Angelici doctrinâ, quâ non dubitat affirmare, quòd *vovendo voluntatem noſtram*, tantoperè per ſuam fragilitatem infirmam atque mobilem, *immobiliter firmamus ad id quod expedit facere.* Nunquid aſſerendo quòd per votum noſtram voluntatem *firmamus* ad id quod expedit facere, felicem voti neceſſitatem ſatis expreſſerat S. Doctor, quamvis non adderet, *immobiliter*? Addere tamen hoc voluit: &, ut D.Th. 2.q.88. art.4.

ut minus de feliciſſimà voti neceſſitate dubitaremus, aſſeverare, quòd voluntatem noſtram *immobiliter firmamus*.

Magnam olim feciſſe Deum miſericordiam invenimus, quando Regi David, aliiſque non-nullis promiſit quòd firmaret regnum eorum in æternum. Huic eſt omninò ſimile beneficium quod illi concedit, cui majorem promittendi perfectionem animum ſuggerit: cum enim tali modo Numini deſervire ſit eminentiſſimè regnare; quid niſi firmatur immobiliter regnum iſtud, quando *votum Tereſianum* emittitur, & ad eum, ſi non anteà, jam ſaltem ſtatum aſcendit, ut affirmare non tantum liceat, quòd anima talis, *optimam ſibi partem elegit*, verum etiam addere: *Quæ non auferetur ab eâ.*

Luc. 10. v. 42.

Si foret mihi fas conjecturam hîc injicere, quænam conſideratio S. Matrem noſtram Tereſiam ad votum præcipuè permoverit, non temerarium fortaſsè foret ſuſpicari, quòd cum ſupradicta Chriſti Sponſa (quam ut hujuſmodi ſpecialiter agnoſcit Sancta Mater Eccleſia) devotione ſingulari fuerit affecta verbis illis, quæ de Sponſo ipſius in Symbolo Nicæno concinimus:

In officio Rom. S. Matris N.

Regni

Regni ejus non erit finis, infinitatem etiam aliquam suæ dominativæ subjectionis ad Creatoris nutum studuerit æmulari, certò sciens quòd si perseveranter in omnibus obediret, de omnibus amanter imperaret.

§. E. Ecquis igitur in *Seraphico* lætus *proposito* non exclamet cum Ecclesiæ Petrâ: *Domine bonum est nos hîc esse?* Sed non frustra dictum ab eodem novimus: *Faciamus hîc tria tabernacula.* Completam enim suam, quâ tunc fruebatur, felicitatem, non existimabat, si non aliquam in eâ posset habere stabilitatem: quâ si nunc etiam in cœlis beati carerent, beati profectò non essent: *Beatitudo* siquidem, juxta Boëtium, *est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.*

Matt. 17. v. 4.

Boët. de consol. Philoph.

Tam malus, quàm bonus angelus in summâ fuerat felicitate creatus. Malo similem esse diximus eum, qui, de Seraphico fervore, cujus confirmationem non obtinuit, miserrimè deficit: Bono verò similis dici potest, qui per *votum Seraphicum*, à deficiendi periculo se quasi præservat, unde prorsus angelicè D. Aquinas docet: *Necessitas voti est habens quandam similitudinem, cum confirmatio-*

matione beatorum. Ac propterea voventibus aptari potest, quod B. Petrus Damiani de confirmatis in gratia spiritibus effatur. *Remanentes* Angelos, Deus (inquit) *summâ prosecutus est largitate, dans eis in munere ne possent amplius aliquâ labefactatione corrumpi. Confirmati igitur & de sui status stabilitate securi, lucidioris gratiæ subiere fastigium. Serviunt ergo illi cui servire regnare est, & felici securitate, & securâ felicitate.*

Pet. Dā. Serm. 52. de S. Micha.

Omne sanè votum hoc gaudet privilegio, ut quandam cum beatorum confirmatione gerat similitudinem: sed unum longè majorem alio. Unde licet felices sint, quos votum baptismale præceptis ligat; feliciores tamen sunt, quos votum clauſtrale consiliis aliquibus religat (qui propter hanc rationem Religiosi vocantur) Feliciſsimi verò sunt, quos omnibus obligat consiliis votum perfectionis illimitatæ. His enim solis tum supernæ Jerusalem civibus est cōmune, quòd ad quemcumque *divinæ voluntatis* nutum se teneantur suo bono inflectere, quodque nunquam liceat in re gravi sine gravi culpâ subterfugere quidpiam perfectionis per illud languidum: *Non sumus obligati*: sic ut cum

D. Thō. in Epist. S. Iac. cap. 1. v. 27.

Sanctis

Sanctis jure meritissimo possint sine fine clamare, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Verè *Sanctus*, qui nos mandatis ligavit in baptismo: iterum *Sanctus*, qui nos consiliis principalioribus religavit in claustro Religioso: *Sanctus* denique, qui nos obligavit omnibus etiam supererogatoriis in *voto Teresiano.* Unde nec insipientes erimus, si propter voti firmitatem aliquam nos in Domino sanctitatem habere gloriemur: Nam *sanctitatis nomen* (teste D. Thomâ) *importat firmitatem. Unde apud antiquos sancta dicebantur, quæ legibus erant munita ut violari non deberent. Unde & dicitur aliquid esse sancitum quia est lege firmatum.* D.Th.2. 2.q.81. art.8,

Funiculus triplex (inquit Sapiens) *difficilè rumpitur*: Ideò qui non tantùm sunt ligati vel religati, sed etiam sic obligati, ut nunquam liceat eis de industriâ *voluntatem divinam* in quocumque tandem etiam consilio seponere, certam omninò suam vocationem & electionem facere videntur. Eccles. 4.v.12.

Nescio sanè quas vires animabus conferat illa gratia, quam Deus votis annexuit: &, si non ipsa nos doceret experientia, vix credi posset, quàm §. I.

facilè

facilè rebus etiam difficillimis omnem adeò difficultatem votum abstergat, ut vix ullam tentandi vim, quoad ea quæ Deo sunt promissa, videatur inimicus possidere. Quis unquam crederet perennem ab esu carnium abstinentiam, cui Carm. Discalceati post votum professionis obligamur, & arctissimam præterea clausuram, cui se nostræ Moniales astringunt, adeò nullam eis molestiam adferre, ut à plurimis fide dignissimis & sinceriſsimè loquentibus audias, se nunquam tentationem aliquam in hujusmodi rebus percepisse.

Digitus esse Dei videtur in hoc, quòd dum aliquid, per nostram electionem propriam, non licet amplius, non libet amplius: illud verò quod nobis adhuc licere volumus, aliqualiter etiam lubere demonstramus. Unde colligitur, quòd illi qui non audent se Teresiano voto constringere, cujus alioqui sufficientem videntur capacitatem habere, per hoc ipsum ostendant, ea quæ mundi sunt, nondum ex toto sibi displicere: quæ tamen ut immunda, prorsus à se repellunt, qui *majoris perfectionis votum* emittunt, aut emitte-

emittere cum prudentiâ concupiſcunt. Non mirum eſt igitur quòd Auctor naturæ, qui nihil vacuum eſſe permittit, dum à rerum terrenarum appetitu videt eos evacuaſſe corda ſua, cœleſtium eis gaudiorum abundantiam impartiatur.

Beneficiis Deus ſe nunquam vinci permittit, unde cum ſit opus Deo gratiſſimum *libertatem propriam* abdicare, mirum videri non debet, quòd eam abdicantes ſuâ viciſſim gratiâ locupletet. Quàm verò ſit grata Numini talis abdicatio perappoſitè D. Bernardus oſtendit: *Cum nihil* (inquit) *in nobis ſit charius, intimius, altius, & majus* PROPRIÂ LIBERTATE, *ac facultate uſus ejus, abdicare hanc à ſe, prout eſt poſſibile, tantò eſt perfectius & altius, quantò iſta præponderat omnibus aliis abdicabilibus noſtris.*

CAPUT VII.

Cur ipsis etiam beatis *dici possint aliquo modo* beatiores *illi, qui* voto Seraphico *prudenter sunt obligati.*

§. A. EX omnibus, quæ capite præcedenti dicta sunt, licet concludere, beatis aliquo modo similes illos esse, qui voto se plus quàm Religioso devinxerunt. Sed quid si dicere præsumerem, eos beatis aliqualiter esse beatiores? Multum fortassis hoc alicui videatur: & tamen illud dicendo ne vel latum unguem à semitâ veritatis declinarem: imò vel ex hoc ipso, unde beatis videntur inferiores, dici possunt illis aliquo modo esse beatiores. Unde siquidem minus illis, qui jam regnant in cœlestibus, dicendi sunt beati, nisi quia sunt minus de suâ beatitudine securi? Sed nunquid ex hoc ipso magis etiam

etiam aliquo modo dici possunt illis esse beati? Possunt omninò: quia scilicet eorum felicitas ob hoc semper vacillat, quod in viâ sit, & non in Patriâ: sed ob hoc ipsum illa magis eos aliquo modo beatificat: scimus enim quòd hæc ipsa conditio facultatem tribuat in infinitum quasi semper æternam adaugendi beatitudinem, beatiorem reddendi æternitatem; magis ac magis Deum glorificandi, majorem ipsius gloriam, tum in animâ propriâ, tum in animabus aliis propagandi.

Nunquid propterea S. Christina mirabilis Patriam ipsam viæ postposuit? Ex hujus etiam evidentiori veritatis intelligentiâ profectum existimaverim, quòd S. Pater Ignatius aliquando sit auditus dicere: *Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim Deo inservire & proximorum saluti, quàm certum ejusdem gloriæ statim mori.* §. B. Breviar. Rom. in festo S. Ign.

Ad stuporem usque videbit, eorum qui *votum Seraphicum* emiserunt, meritorum cumulum excrescere, qui considerat:

Primò, quanti sit meriti generosissimus ipsemet actus, quo votum illud emittitur. Cum enim pro quantitate

difficultatis meritum augeatur, quid obsecro dicendum est de tali actu, qui vires naturales tantoperè supergreditur, ut eum tanquam impossibilem, à pluribus, qui non ambulant in vivâ fide, reputari videamus? Si Religiosa professio semper (juxta Sanctorum doctrinam) sit ex naturâ suâ, propter excellentiam ipsius, indulgentiâ plenariâ non indigna, quanti meriti non erit *votum perfectionis illimitatæ*, quo vetus homo perfectissimè sepelitur ut vivat renovatus Christo?

Secundò, quàm multa ex hac radice supererogatoria necessariò proveniant & nascantur, quæ nunquam fortassè lucem, si non fuisset hoc votum, aspexissent.

Tertiò, quàm magna similiter possint occurrere supereroganda, quæ vel obedientiâ dictante vel declarante, nobis innotescunt Deum amanter exigere, non rigorosè tamen sub aliquâ culpâ præcipere. Et quamvis hujusmodi nihil unquam occurreret, promptum semper ac paratum, imò cupidum, ac in similia quò majora, quò difficiliora, eò meliora, propensum indesinenter affectum gerere, non posse nisi locupletissi-

ſiſſimos meritorum theſauros accumulare.

Quartò, quàm infinitum penè valorem operibus omnibus, tam obligatoriis, quàm ſupererogatoriis, tam minimis, quàm maximis, hoc *votum Seraphicum* adjungat. Etenim ſi propter illam intentionis rectitudinem, quæ *propoſito Tereſiano* eſt annexa, valor operum noſtrorum ad ſtuporem uſque (prout in primo libro probavimus) excreſcat: quid fiet de operibus illis, propter ipſam rectitudinis hujus, quæ voto correſpondet, firmitatem? Nullum perfectionis opus, poſt nuncupatum hujuſmodi votum poteſt fieri, quod propter hoc ipſum (NOTA BENÈ) perfectionem non habeat duplo majorem, quàm habuiſſet, ſi votum illud non adfuiſſet. Hujus veritatis ipſum Doctorem Angelicum teſtem adduco. *Perfectionis eſt* (inquit ille) *non ſolùm opus perfectum facere, ſed etiam opus perfectum vovere: de utroque enim conſilium datur: Qui ergo opus perfectum ex voto facit*, AD DUPLICEM PERFECTIONEM *attingit*. D. Th. Opuſc. 18. c. 15.

Causâ brevitatis hîc non exprimam rationes optimas, quibus in ſuâ Sum-

D. Thõ. 2. 2. qu. 88. art. 6.

mâ Doctorum Phœnix Aquinas ostendit, cur illa opera magis sint meritoria quæ cum voto, quàm alia quæ sine voto fiunt. Recurrere poterit ad illum qui voluerit. Duas tamen rationes efficaciſſimas, quibus S. Mater N. Teresia declarat, quòd multum, imò totum inde dependeat ut quis operetur cum *resolutione resolutissimâ* (prout, à voti nomine vix abstinens, ipsa loquitur) subticere non valeo.

Ter. in viâ perfect. c. 23.

Prima est, *quòd inimicus* (inquit) *tantam ad generosas & resolutas animas tentandas potentiam non habeat: ab illis enim sibi imprimis timet, experientiâ quippe jam novit magnum sibi ab illis damnum accedere; & quidquid ad illis nocendum adducit ac dirigit, hoc totum, tam in ipsarum, quàm in aliarum commodum cedere, itaque se damnum referre. Non proptereà tamen nos aut negligentes esse, aut huic rei confidere debemus: nam cum proditoribus vaferrimis nobis est negotium, qui cautos sibique attendentes non tam audacter impetere præsumunt: quia dæmon valdè meticulosus est; unde si quem negligentem & incautum videret, maximum illi damnum inferret. Si quem verò vacillantem, & nutabundum nec in virtute solidè fundatum, nec ad perseverandum satis animatum,*

tum videat, hunc assiduè noctes & dies insectabitur, huic timorem incutiet, & ejusmodi difficultates objiciet, ut nunquam se possit expedire. Equidem id per experientiam optimè novi, hinc & ipsum describere potui; & addo, neminem profectò scire quantum hac in re momenti situm sit.

SECUNDA RATIO est, *quòd resolutus hic homo majore animo & generosiùs certet: novit enim quidquid demum mali sibi eveniat, sibi nefas esse retrocedere. Non secus ac qui in acie & conflictu constitutus est, qui novit, si hostes illi prævaleant ac superiores sint, nequaquam sibi vitam condonaturos; & si fortè hoc in conflictu non occumbat, se nihilominus mori debere. Hic ergo generosiùs & animosiùs pugnat, caroque vitam suam (uti dicitur) vendere satagit, nec ictus & vulnera multum curat: præ oculis namque habet, quanti suâ referat victoriam de hoste reportare, vitamque suam inde dependere, quòd eum superet. Necesse præterea est, ut magnâ cum animi certitudine, ac securitate incipiamus, fore scilicet, ut tandem victoriam consequamur, si minimè nos vinci sponte patiamur: hoc saltem certum & indubitatum est, minimum quod hinc referemus commodum & lucrum fore, quòd permultum spiritualium opum inde nobis simus comparaturi.* Hæc &

plura ſuper eâdem re, cui libuerit, apud S. Matrem N. Tereſiam inveniet.

CAPUT VIII.

Quæ & qualis probatio *neceſſaria ſit, ante prudentem* voti Seraphici *nuncupationem.*

§. A. Matt. 19. v. 12. D. Hieron. in hunc locum.

POſtquam virtutem caſtitatis eſſe conſulendam Chriſtus inſinuaſſet, adjecit: *Qui poteſt capere capiat.* Quòd ideò factum docet Hieronymus: *Ut unuſquiſque conſideret vires ſuas, utrum poſſit virginalia & pudicitiæ implere præcepta. Per ſe enim caſtitas blanda eſt, & quemlibet ad ſe alliciens: ſed conſiderandæ ſunt vires, ut*, non quicumque vult, ſed *qui poteſt capere capiat.*

Capite 6. primi libri, cùm oſtenderemus, quòd ita ſoli *divinæ voluntati* mens verè libera debeat obedire, ut ne vel ipſis quidem conſiliis divinis adhæreat, in generali ſatis explicavimus, quòd

quòd propter impedimenta diversa vel circumstantias evenire soleat, ea, quæ secundùm se perfectiora sunt, debere seponi. Verùm quia *voti Seraphici* tam summam felicitatem, quàm felicissimam necessitatem jam declaravimus, ne quis, antequam habeat alas, volare præsumat, explicandum illud hîc in particulari videtur, ut hoc bravium, non quicumque desiderat, sed *qui potest capere capiat*. Huic enim excellentissimo voto quadrare videtur usitatum illud:

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Sicut ad sacros Ordines & ad solitudinem præexigitur sanctitas, ita similiter ad vota, Quapropter notandum hîc est illud S. Gregorii: *Casum appetit, qui ad summi loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum. Scimus enim quòd ædificati parietes non priùs tignorum pondus accipiunt, nisi à novitatis suæ humore siccentur, ne si ante pondera quàm solidentur accipiant, cunctam simul fabricam deponant.* D. Th. 2. 2. q. 189. a. 1. ad 3. Greg. apud D. Th. 2. 2. qu. 189. art. 1.

Quamvis igitur inveniantur aliqui vix à peccatis conversi solitudinem petiisse, vel nuncupasse vota quædam nec talia qualia, sed etiam perfectorum, aut obligationem certè solis perfectis conve-

convenientem ſubjiſſe (nam & S. Matthæus ex telonio vocatur ad Apoſtolatum & S. Paulus ex perſecutore factus eſt prædicator) ſciendum tamen eſt, quòd unicuique talium applicari poſſit ſententia Divi Bernardi, quam ſcripſit ad quendam Brunonem, ex peccati cœno ſolium Epiſcopale cogitantem: *Non tam exemplum eſt, quàm miraculum.* Unde ſicut Magiſter Angelicus de ſolitariâ vitâ diſſerens, & oſtendens, quòd illa tantùm ſit à perfectis aſſumenda, tali modo diſcurſum claudit: *Si autem abſque præcedenti exercitio talis vita aſſumatur, eſt periculoſiſſima, niſi per divinam gratiam ſuppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur, ſicut patet de beatis Antonio & Benedicto:* Non diſſimiliter etiam rectiſſimè dicitur, quòd periculoſiſſimum ſit in votum ſublimiſſimum erumpere, niſi per exercitium prævium vires quis idoneas & acquiſierit & probaverit.

Bern. Epiſt. 8.

D. Th. 2. 2. q. 189. art. 1.

§. B.

Moneo te (ſcribebat olim ſorori ſuæ D. Bernardus) *ut facias bonum quod promiſiſti. Non ſis in verbis facilis & in operibus difficilis. Coram Deo facere aliquid, facilè non promittas: ſine conſideratione virium nihil præſumas. Quod non potes facere non promittas.*

Bern. de modo benè vivendi Serm. 62.

mittas. Ut quid enim ? Auſculta : *Si quid voviſti Deo* (inquit Eccleſiaſtes) *ne moreris reddere : diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio. Sed quodcumque voveris redde : multòque melius eſt non vovere , quàm poſt vota , promiſſa non reddere.* Eccl. 5. v. 3.

Infidelis illa debet promiſſio nuncupari , quæ non ſolvit id quod vovit : nam *fraus voti eſt quædam infidelitatis ſpecies* , inquit D. Aquinas. Et ſecundùm hoc dicit Apoſtolus de viduis adoleſcentioribus , quæ votum caſtitatis infregerant : *Damnationem habentes, quia primam* FIDEM *irritam fecerunt.* D Th. 2. 2. q. 88. art. 3. 1. Tim. 5. v. 12.

Stulta verò promiſſio dicitur quæ prævie non attendit quidnam promittat. Hinc de voto Jephte dicit Hieronymus : *In vovendo fuit* STULTUS , *quia diſcretionem non habuit : & in reddendo impius.* Vide D. Thō. 1. ubi ſuprà art. 2. ad 2.

Jam verò licet nullus unquam vovere debeat aliquid abſque debitâ conſideratione prævîâ, ſintne videlicet vires ipſius , quà corporales , quà ſpirituales , illi voto, quod meditatur, idoneæ : in *voto* tamen *obedientiæ charitatis* hoc maximè locum habet : Rectè ſiquidem Suarez ait : Conſideranda eſt „ maximè materia voti : nam quò vo- „ tum *Suar. de Relig. Tr. 6. de voto lib. 1. c. 8.*

„tum est de meliori & perfectiori,
„magis perpetuo, magisque univer-
„sali bono, eò ex se melius est, ma-
„gisque expediens: Tamen eo ipso
„potest esse difficilius; & ideò contin-
„gere etiam sæpiùs potest, ut non ex-
„pediat, propter indispositionem &
„fragilitatem voventis. Ita Suarez.
Unde sequitur, quòd, cum *votum obedientiæ perfectæ* materiam hebeat universalem non minus, quàm perfectam, absque seriâ consideratione prævià nuncupari nullo modo debeat.

§. C. Sicut nemo prudens turrim incipit ædificare, nisi priùs *sedens*, hoc est, cum attentione computet, an habeat sumptus ad perficiendum: ita, Christo docente, prudentis est, in scholâ perfectionis non plus sapere quàm oportet sapere, nec altiora moliri, quàm aliquis, considerationè præmissâ, se videt posse perficere.

Luc. 14. Luc. 14. v. 33. *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, ait suprema Veritas. Ac propterea deliberandum non est, an expediat omnibus renuntiare, vel dubitandum, an secundùm proportionem quòd aliquis renuntiat omnibus, Christi discipulus efficiatur, & ido-

& idoneus sit ad perfectionis turrim ædificandam. Hæc enim, quia certa sunt, sub deliberatione cadere non debent. Quid est ergo quod sub eâ cadit? *Hoc* (inquit D. Thomas) *cadit sub deliberatione*: *Utrum hoc quod facit* aliquis *sit abrenuntiare omnibus quæ possidet*: id est; utrum abrenuntiatio vel cupiditatis rerum temporalium abdicatio (quæ significatur per sumptus ad ædificandam turrim) sufficiens & proportionata sit illi vitæ generi, cui si quis prætendit addicere. D. Th. 2. 2. q. ult. a. ult. ad 3.

Triplicem porrò cupiditatis abdicatæ gradum esse, luculenter ex eis quæ primo libro diximus intelligi potest: Aliqui siquidem abdicant cupiditatem rerum omnium illicitarum vitæ Christianæ; & hic est gradus *timoris*, qui vix altiùs ascendit quàm ut mandatis obtemperet. Aliqui insuper abdicant cupiditatem illicitam quamcumque vitæ Regulari; & hic est gradus *spei*, qui non tantùm mandatis, sed principalioribus etiam consiliis intendit: Aliqui tandem omnem omninò cupiditatem sine limitationibus ullis ablegant, & hic est gradus *charitatis*, cui competit facere quidquid intelligitur esse

esse perfectius: cui quadrat *votum obedientiæ generalis.*

§. D. Diximus quidem alibi *Seraphicum propositum* omnibus esse conveniens, & quòd nullus illud efformando prudentiam possit offendere. Quoad *votum* autem *Seraphicum* aliter omninò loquendum est; eò quòd hoc sine probatione prudentissimâ nullo modo debeat nũcupari. Diversitatis hujus illa videtur esse ratio: quia requiritur ad *voti* prudentiam, ut habeatur aliqua certitudo, quòd in eo, qui votum facit, vera sit voluntas & efficax promissum adimplendi; quæ quidem veritas non aliter quàm probando potest innotescere. Sed in formando prudenter *proposito* cognitio talis, & consequenter probatio, nõ est necessaria; cum hoc potius ad *virtuosi propositi* laudem in principio pertineat, ut ab eo non recedatur, licet aliquis, ob frequentiores lapsus, opinetur, se necdum ad propositi sui veritatẽ pervenisse.

Quantum verò spatiũ tẽporis probationi destinandũ sit antequã *votũ Seraphicũ* emittatur, quãvis hoc determinare difficultatẽ habeat; primò tamen certũ videtur, quòd probatio longior votum hoc præcedere debeat, quàm illud quo quis obe-

obedientiam tantùm ſecundùm aliquam Regulam promittit : Deinde videor mihi rationis aliquid adferre poſſe, ſi dixero neceſſarium eſſe, quòd in hac ipsâ *charitatis* viâ (prout à viâ *timoris & ſpei* diſtinguitur) ſit adeò promotus, ut inter proficientes poſſit annumerari.

§. E.

Hujus doctrinæ rationem ſuppeditare nobis videtur S. Aquinas, dum, poſtquam oſtendit eſſe tres gradus charitatis, *incipientium* videlicet, *proficientium*, & *perfectorum*, ad objectionem iliam, quâ dicitur, quòd *proficiens* charitas ab *incipiente* non videatur debere diſtingui, propterea nimirum quòd ſtatim cùm charitas incipit eſſe, incipit etiam proficere; talem ponit reſponſionem : *Ad ſecundum dicendum, quòd illis, in quibus charitas incipit, quamvis proficiat, principalior tamen cura imminet, ut reſiſtant peccatis, quorum impugnatione inquietantur. Sed poſteà hanc impugnationem minus ſentientes,* IAM QUASI SECURIÙS INTENDUNT AD PROFECTUM : *ex unâ tamen parte facientes opus : & ex aliâ parte habentes manum ad gladium, ut dicitur in Eſdrâ de ædificatoribus Hieruſalem.*

D.Th.2. 2.q.24. art.9.ad 2.

In hoc plus quàm aureo D. Thomæ documento, illa præcipuè notanda

da ſunt verba, quibus aſſerit, quòd proficientes minus inquietati per impugnationem à defectibus, *jam quaſi ſecuriùs intendunt ad profectum.* Quia nimirum in principio ſeriæ converſionis ſive charitatis imperfectæ, qualis nimirum in illis eſt qui recenter à peccatis mortalibus reſipiſcunt, ſive charitatis perfectæ, qualis eſt in illis qui recenter ad ardorem Seraphicum acceſſerunt & ad efficaciam propoſiti non omittendi quidpiam eorum quæ Deo ſciunt eſſe gratiora: vel etiam in principio obedientiæ charitatis (quod à jam dicto non diſcrepat) tam ambigua communiter eſſe pugna conſuevit, ut à quâ parte ſtet victoria non ſatis appareat. Quamvis enim voluntas nova ſervandi mandata vel conſilia, contra veterem, conſuetudine roboratam, taliter aſſurgat ut non ſuccumbat, quamdiu tamen non videt hoſtem proſtratum, opinionem quidem de præſentiâ ſuâ ſuggerit animæ, ſed non ſcientiam. Poſtquam verò jam novæ conſuetudinis paulatim robur acquiſivit illa bona voluntas, & hoſtem quodammodò ſub pedibus aſpicit, tunc non ambiguam de præſentiâ ſuâ ſuggerit opinio-

nionem, sed certitudinem, sed securitatem, sed scientiam, non quidem omnimodam, sed aliqualem tamen, sic ut saltem jam securiùs intendere possit & soleat ad profectum: adeoque nec scrupulorum etiam inquietudinibus sit subjecta. Quod cùm in se probaverit anima tunc dicimus esse tempus opportunum, approbatione Directoris idonei vel Superioris accedente, *Seraphico* se *voto* constringere.

§. F.

Non parum hîc ad rem mihi facere videtur etiam discursus, quo Vener. P. N. Joannes à Jesu Mariâ (cujus à pluribus jam lustris defuncti corpus Romæ servatur adhuc incorruptum) diversum agendi modum depingit, qui reperitur in *incipientibus*, in *proficientibus* & in *perfectis*. Ipsius verba sunt: INCIPIENTIUM *charitas in eo potissimum versatur, ut à peccatis recedat, & passionibus, quæ illi oblucantur, validè repugnet. Ac propterea pervigili studio nutrienda & confovenda est, ne tot incursibus tentata succumbat.*

Ven. P. Joan. à Jes. M. Theol. Myst. c. 2.

PROFICIENTIUM *studium in hoc præsertim annititur, ut charitas, quæ jam minus acriter impugnatur, propter victorias partas, feliciùs coalescat, &* VIRTUTES UNIVERSAS SIBI CONNEXAS STABILIAT.

Principis nimirum strenui more, qui fusis ab obsidione hostium copiis ad futuros impetus arcendos, & ad urbem contutandam, mœnibus extruendis, & aulis ædificandis, instauratæ pacis tempore nervos intendit. Etsi enim hostis nunquam ab impugnatione desistat, enervatus tamen superioribus prœliis, facilè fugatur, & augmento virtutum cordis castrum benè septum, & tutum, relinquit immune.

Perfectorum *autem opus, post revectos de vitiis passionibusque triumphos, post multaque charitatis incrementa, unio est: ut scilicet summo bono jugiter adhæreant, ac in optatissimis Dei amplexibus, mel de petrâ sugentes conquiescant.*

Notasse Lectorem existimo, quòd venerabilis hic Author, in descriptione charitatis *proficientium*, dicat, eorum studium esse, ut charitas *virtutes universas sibi connexas stabiliat*, hoc est, confirmet, fortificet, atque corroboret. Unde cum obedientiam perfectam charitati præcipuè connexam esse, non possit in dubium revocare, satis etiam intelliget non frustra dici, *proficientibus* esse convenientissimum, postquam videlicet per annos aliquot se probaverunt, ut virtutem hanc per voti stabilitatem, extra periculum ferè deficiendi, quin & in necessitate proficiendi, constituant. Ete-

§. G.

Etenim ut apertiùs oſtendam imitari volenti Seraphicam Matrem N. voventem, hoc abſque congruâ probatione præmiſsâ fieri non debere, conſiderandum eſt, illam nullatenus abſque tali probatione votum ſuum nuncupaſſe. Teſtem veritatis hujus non eſt neceſſe procul inquirere: quoniam ipſamet ſub idem ferè tempus quo votum ſuum emiſit, ita ſcripſiſſe legitur: *Aliquot anni ſunt, quòd tu, quantum intelligere valeo, me tuâ manu tenes Domine, & quòd me video cum deſideriis ac determinationibus (& aliqualiter his annis, non paucis in rebus,* PER EXPERIENTIAM PROBAVI *) non faciendi contra tuam voluntatem, quantumvis etiam exiguum; licet ignoranter me tuam Majeſtatem frequenter offendere, non vocem in dubium: videtur etiam mihi, quòd nulla mihi res poſsit occurrere, quàm cum ingenti reſolutione propter amorem tui non libenter ſuſtineam.* Ita ſe per aliquot annos in *Seraphico propoſito*, priuſquā *votum* emitteret, prudētiſſima Virginū probavit: quisquis igitur eā ſequi cupit voventem, priùs ſequatur probantē.

Ter. in vitâ ſuâ cap. 6.

Ne quis verò mox poſt initia ſuæ reſolutionis angelicæ, propterea *voto Tereſiano* ſe credat idoneum, quod acric-

res interdum pugnas intermitti conſpiciat, & inſolito quodam devotionis affectu perfundi, valdè notandum eſt, quòd *ſapientiſſimus Deus ita vias has*, incipientium videlicet, proficientium, & perfectorum *ſtudiaque diremit, ut tyrones interdum veteranorum prærogativis exornet & ſuaviſſimo divinæ contemplationis blandimento permulceat: ne fortè objectâ virtutis arduitate ac tentationum preſſurâ territi ab incæpto reſiliant.* Unde ſicut naucleri pro nihilo reputant illum ventum qui manè ſolet oriri, propterea quòd ſtabilis eſſe non ſoleat; ſic nec tyrones ſibi debent blandiri, dum ſpiritum aliquem devotionis accipiunt, eò quòd hic etiam brevi pertranſeat: & ſi hodie videantur ſibi tanquam ſub pedibus hoſtem conſpicere, cras forſitan aſpicient eum robuſtiùs inſurgere.

Idē qui ſuprà.

§. H. Non perfunctorium itaque ſed exactum valdè ſcrutinium, an verè quis inter *proficientes* annumerari poſſit, debet præcedere, antequam ſublimiſſimum de majori perfectione votum emittatur. Hoc autem ſcrutinium ne quis forſitan humilitati non eſſe conforme ſibi perſuadeat, aut phariſaicam & illicitam aliquo modo præ ſe ferre præ-

præsumptionem, id, quo contrarium probat S. Mater nostra, juvabit expendere. *Si licitum* (inquit illa) *sit, adeoque meritorium perpetuò meminisse, habere nos à Deo esse, ac quotidie sustentari, nec non reliqua beneficia, puta, mortis ejus & laborum, quæ etiam diu antequam nos crearet, in gratiam singulorum modò viventium præstitit: cur mihi licitum non erit sæpè agnoscere & videre, & considerare me de rugis ac vanitatibus loqui solitam fuisse; & Dominum jam voluntatem mihi dedisse, non aliâ de re, quàm de ipso loquendi.* Ter. in vitâ suâ cap. 10.

Interjectis deinde paucis, ita magis adhuc ad propositum nostrum loquitur: *Ea naturæ nostræ conditio est (prout mihi quidem videtur) ut huic impossibile sit, animum ad magna & sublimia habere, qui non intelligit liberaliter à Deo & amicè se haberi; ita namque miseri sumus, & ad terrena inclinati, ut is ægrè magnâ cum resolutione ac generosè detestaturus sit quidquid terrenum est, qui aliquod supernorum se pignus habere non intelligit.* Ecce quàm procul testimonium hujus Magistræ cœlestis abesse docet à vitio considerationem gratiarum, quas à Domino recepimus, aut etiam progressûs in virtute, quem per auxilium hujus gratiæ, fecimus.

Sufficere Teresiæ filiis hoc solum testimonium existimo: verùm quia satis-fieri debet etiam aliis, devotissimum Antistitem Genevensem etiam audiamus: & in ore duorum testium hoc verbum stabit. *Plures* (inquit ille) *nec volunt nec audent particulares, quas à Domino gratias acceperunt, cogitare vel considerare, ne vel complacentiæ vel inanis gloriæ vitio depraventur, & in hoc certè semetipsos decipiunt: Quia cum ad amorem divinum perveniendi verum sit medium (Angelico Doctore suffragante) divinorum beneficiorum consideratio, quò magis illa considerabimus, eò magis Deum amabimus: & cum beneficia particularia magis efficaciter excitent, magis etiam attentè debent considerari.*

Sales. Introd. p. 3. c. 5.

Nihil profectò nos ita coram Dei misericordiâ potest humiliare, quàm beneficiorum illius abundantia, nec ad animi demissionem coram divinâ justitiâ provocare, quàm offensionum nostrarum multitudo. Consideremus ea quæ pro nobis ipse fecit, & quæ nos fecimus adversus eum: & sicut peccata nostra sigillatim & cum attentione perpendimus, eodem etiam modo gratias ipsius perpendamus.

Timendum non est quòd nos instabit illarum rerum cognitio, quas Deus posuit in nobis,

bis, modò cum diligentiâ reflectamus ad hanc veritatem, non esse de nobis id quod est bonum in nobis. Quin è contra potiùs acceptarum gratiarum consideratio nos humiliat. Sic Beatissima Virgo confitetur, quia fecit ei magna qui potens est; ut per hoc & Deum magnificet & se humiliet.

CAPUT IX.

Quòd ad prudentem voti Seraphici nuncupationem *necessaria sit etiam* approbatio *Superioris, vel idonei Directoris. Et quisnam eligi debeat ut idoneus.*

§. A.

QUamvis in præcedentibus jam aliqua dixerimus, unde capitis hujus intentum facilè concludi potest, non tamen ingratum *Lectori* futurum existimo, si tanti momenti veritatem clariùs explicemus.

Magnum quidem est multumque per

per omnem modum conſcientiæ propriæ teſtimonium, in Dominò cum fiduciâ dictantis, inviolatum jam tempore notabili ſervatum fuiſſe *propoſitum Seraphicum*: & ſufficiens etiam foret ad emittendum votum illi proportionatum, ſi Deus vellet hominem ſuo regi judicio, ſuumque judicem & rectorem conſtituiſſet. Sed aliud omninò velle Deum D. Bernardus innuit, dicens: *Hoc vult Deus, ut homo per hominem doceatur.*

Bern. de Ordine vitæ.

Quin imò non infrequentia ſunt divinæ Scripturæ loca, quæ nos diffidere de nobismetipſis, & ad aliena conſilia recurrere commonent. Sic ſcriptum legimus: *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.* Sic dictum ſcimus: *Conſilium ſemper à Sapiente perquire.* Si nihil prorſus eſt ſine conſilio faciendum, nihil profectò minus quàm tanti momenti votum emittere ſine conſilio convenit. Et ſi conſilium ſemper à ſapiente perquiri debet, quantò magis eo tempore quo negotium tale quis meditatur, à cujus ſucceſſu non parum pendet æternitas?

Eccl. 32. v. 24. Tob. 4. v. 19.

Ipſa profectò Seraphica Fundatrix noſtra, cujus voti ſequelam explicamus,

mus, absque consilio maturissimo se-se non obstrinxit: Reverendus enim Pater Ribera votum ipsius referens, hæc inter cætera scribit: *Nec verò leviter id & temerè ipsa nuncupavit, vel quid ageret non advertendo: sed consultò admodum, & Generalis sui & Commissarii Apostolici nutu & assensu accedente.* Ribera in vitâ S. Ter. lib. 4. c. 10.

Non sufficit ergo testimonium conscientiæ propriæ: sed ad Sapientum consilia recurrere, non eos solummodò qui sunt ignorantes, verùm etiam sapientes, oportet. Hinc legimus: *Qui sapiens est audit consilia.* Hinc etiam Os aureum, *Consiliariis* (inquit) *omnes opus habent, etiamsi Moysi conferri possint.* Sanctus quoque Bonaventura non aliud hortatur. *Inter omnes* (ait) *tentationes videtur ista periculosior cuique Christiano, scilicet, proprio sensui nimis inniti. Cum enim nemo reperiatur ita perspicacis intelligentiæ, quin possit in aliquibus falli, qui hoc totum & solum reputat justum quod ipse senserit, astuto adversario ad varias seductiones, sub specie boni, liberum aditum pandit.* §. B. Prov. 12. v. 15. Chrys. Hom. 9. de laud. Pauli. Bonav. de 6. alis cap. 7.

Triplicem præterea docet idem Sanctus in hoc utilitatem reperiri. *Primò, si alii idem sentiunt quod ipse, securior est, quòd*

quòd non decipiatur. Secundò, quidquid fecerit cum prudentium consilio, si inde aliquid evenerit contrarii, minus ei poterit imputari, quàm si de suo tantùm sensu fecisset. Tertiò, quòd sæpè in merito humilitatis talis, Deus dat ei agnoscere, per se vel per alium, quod ante non intellexit. Hinc Moyses, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium Iethro soceri sui gratum habuit & servavit.

Huc facit etiam cœlestis illa doctrina Ven. Patris N. Joannis à Cruce, qui nullis quoq; visionibus aut revelationibus inniti quempiam debere monet, nisi cùm Ecclesiæ Ministris, suoque Directore priùs illas communicaverit. Et apertè videmus hoc in Apostolo Paulo, qui, licet Evangelium se sciret accepisse non ab hominibus, neque per hominem, sed per revelationem Jesu Christi, conferre tamen illud voluit cum aliis Apostolis. Et quare? *Ne fortè* (ait) *in vanum currerem aut cucurrissem.*

V.P.N.Io. à Cruce Ascens.M. Carm. lib. 2. c. 22.

Gal. 2. v. 2.

Ex illo præterea quòd Christus asserit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, postquam supradictus Pater appositè concluisset, ibi non esse Deum, ubi tantùm est unus, ingeniosè probat esse verif-

Matt. 18. v. 25.

veriſſimum iſtud Eccle. 4: *Væ ſoli.* Eccl. 4.
Non ergo mirum eſt, quòd illi, v. 10.
qui prudenter ſibi volunt conſultum, alienis conſiliis aurem libenter accommodent, & præcipuè ſeniorum expertorum atque prudentium. Hinc Ariſtoteles: *Oportet*, inquit, *attendere expertorum & ſeniorum & prudentium in indemonſtrabilibus enuntiationibus & opinionibus, non minus quàm demonſtrabilibus: propter experientiam enim vident principia.* Ariſt. 6. Ethic. c. 11.

Verumenimverò quid adhuc immoror in comprobandâ veritate tantoperè manifeſtâ? Quisquis enim judicio proprio ſeu voluntate propriâ quidpiam promittere Deo feſtinat, ineptam nimis eſſe promiſſionem ſuam per hoc ipſum non obſcurè demonſtrat: eam ſcilicet ob cauſam, quia nihil eorum quæ cum voluntate propriâ peraguntur, divinæ Majeſtati placere conſuevit. *Quare jejunavimus* (dicebant olim Deo filii Iſraël) *& non aſpexiſti? Humiliavimus animas noſtras & neſciſti? Ecce* (reſpondebatur eis) *in die jejunii veſtri invenitur* VOLUNTAS VESTRA. §. C. Iſa. 58. v. 3.

Quàm verò turpiter aberret ille, qui propterea ne fortaſsè qui conſulendus eſt, cujuſque directioni voluntas ſub-

ſubmittenda, majorem perfectionem vovendi licentiam nolit concedere, voluntati propriæ laxat habenas, unicus hic locus ſatis oſtendit: *Melior eſt obedientia, quàm victimæ.* Quonam enim fine, quæſo te, *votum Seraphicum* deſideras nuncupare? Nunquid ut per tale votum te Deo ſacrifices, eò quòd credas hoc eſſe bonum? Si veritati divinæ fidem negare non audeas, debes indubiè tali voto ſanctam adhuc obedientiam præponere: quia *melior eſt obedientia quàm victimæ.*

1. Reg. 15. v. 22.

Si directa per Scriptum ſanctum pia Mater Eccleſia, nemini permittat votum obedientiæ Regularis emittere, niſi probationi præmiſſæ jungatur approbatio Religioſorum quibus aggregari deſiderat, quantò magis erit neceſſarium unius ſaltem Directoris idonei calculum expectare, ut quis *obedientiæ perfectæ voto* prudenter ſe conſtringat?

Fateor quidem Sanctorum aliquos in impetu ſpiritûs ſe votis aliquibus obſtrinxiſſe, nullâ cum aliquo prudentium conſultatione præmiſsâ: ſed nec in te damnari poterit factum ſimile, ſi ſpiritum quoque ſimilem habue-

habueris. Quòd si verò non aliâ quàm ordinariâ viâ procedas, indubitatum illud sit apud te, quòd non expediat obedientiæ perfectæ votum emittere sine Directoris idonei prævio consensu.

Illud porrò notandum est etiam, quòd non sufficiat sui Directoris consensum extorquere: sed cum non alia voventis debeat esse voluptas, quàm sola Dei voluntas, sereno vultu tam illius dissensum, quàm consensum oportet excipere: nihilque magis appetere, quàm ut animæ suæ statum Director ex toto perspiciens, id, quod ei in Domino magis expedire videbitur, liberrimè decernat. Unde non tantùm Director est obsecrandus ut in omnibus & per omnia capacitatem illius exploret, sed & ipse debet omnia quæ in intimis animæ latent medullis, & in abditissimis conscientiæ suæ recessibus, cum quantâ fieri potest claritate, manifestare, notans illud commune dictum: *Confessario, Medico, Advocato, nihil celato.*

§. D.

Ad secundum nunc ergo punctum hujus capitis ut gradum faciamus, illud imprimis Senecæ memorandum occur-

Greg. in quadam Epist. occurrit: *Omnia confer cum amico, sed prius de amico.* Quam sententiam à D. Gregorio citatam legere gavisus fui: æquũ est enim illud assertum: *Fide, sed cui vide.* Quia non convenit leviter omnibus manus injicere: dicit enim Veritas ipsa: *Multi pacifici tibi sint: & consiliarius sit tibi unus de mille.* Eccl. 6. v. 6.

Duplicem per hæc verba, diligentiùs inspecta, multorum errorem corrigi deprehendet ille, qui solerter & illud *unus*, & illud *de mille* considerat. Per illud *unus* enim corrigitur error illorum qui coacervant sibi Directores prurientes auribus. Hoc tamen non ita velim intelligi, quasi non liceret nisi ab uno Directore consilia sumere, nec ad alterius charitatem, ne quidem in absentiâ Directoris electi, recurrere: sed licet plures habeamus spirituales amicos, non plures tamen expedit, quàm unum, habere Patrem, & ordinarium Directorem.

Et hoc est, quod, inhærendo Seraphicæ Matris exemplo, manifestè nos docet S. Salesius, qui cuidam Dominæ notatu dignissimam hanc suggerit admonitionem. *Ejusdem* (inquit) *cum illis sententiæ sum, qui scrupulos tibi volue-* *Salef. Ep. 44. lib. 1.*

voluerunt injicere, quòd non expediat nisi UNUM *habere Patrem spiritualem, cujus authoritas in omnibus semper, & per omnia præferatur voluntati propriæ, nec non etiam judicio cujuscumque personæ privatæ: Sed hoc non impedit ullo modo commercium & communicationem spiritûs cum alio quopiam, nec se conformare judicio & consiliis aliunde receptis. Parum antequam vestras acciperem, librum quendam vesperi sumpsi præ manibus, qui de bonâ Matre Teresiâ loquitur, & reperi quòd voto singularis obedientiæ se devinxerit Patri Gratiano sui Ordinis, quòd omni vitâ faceret id quod ipse præscriberet ei, quod non contrariaretur Deo nec obedientiæ Superiorum ordinariorum Ecclesiæ & suæ Religionis. De cætero non omittebat ipsa magnum quempiam & singularem semper amicum eligere, cum quo confidenter agebat, & à quo directiones & consilia recipiebat, impenso studio practicanda, & in omnibus usurpanda in quibus obedientiæ promissæ non contrariarentur. In quâ re valdè benè reperiebat sese, prout ipsamet frequenter in pluribus scriptorum suorum locis testatum relinquere voluit. Hæc eò dicta sint* (prolequitur idem) *ut appareat quòd Patris spiritualis* UNITAS, *non excludat confidentiam & communicationem cum altero, modò firma remaneat obedientia,*

dientia, quæ promissa fuit, in suo gradu, & aliis præferatur.

§. E. Emendandus est igitur error eorum, qui non unum, sed plures Directores æquè principales accipiunt: sed nec excusandus error aliorum, qui magnum existimant esse numerum capacitatem habentium spiritualia consilia suggerendi. Longè siquidem aliud sacra Scriptura declarat, dicens: *Consiliarius sit tibi unus* DE MILLE: non quicumque obvius, non de viginti, vel quinquaginta, vel centum eligendus, sed *de mille.*

Eccl. 6. v. 6.

Paucitatem eorum qui per angustam salutis viam nituntur, aliisque ducatum in eâ valent præbere, Divus olim Hieronymus, suo jam tum sæculo deplorabat. *Conversatio ista paucorum est* (inquit) *estque perrarum atque difficile idoneos hujus itineris comites reperire. Quin etiam multi hàc ire se simulant, & per diversa errorum diverticula ad viam multitudinis revertuntur. Ideoque timendum est, ne, quos duces recti hujus itineris habere nos credimus, eos comites habeamus erroris.*

Hieron. Ep. 22. Celantiæ Matronæ.

§. F. Verùm ut non tantùm paucitatem eorum qui ad dirigendas animas in veritate sunt idonei, sed quid requiratur

tur etiam ut aliqui tanquam idonei possint eligi, cognoscere valeamus, initium epistolæ D. Bernardi ad Archiepiscopum Senonensem directæ, non parum nos illustrabit: in hac enim ponderans illam Christi sententiam: *Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Et paucitatem idoneorum Consiliariorum, & duas hasce conditiones in eis requisitas, *prudentiam* videlicet ac *benevolentiam*, inde colligi debere contendit. *Vix* (ait) *in multitudine hominum, unum reperio in utrâque gratiâ consummatum.* Sic ut proinde non immeritò congratuletur illi, dicens: *Benignam ego non dubitaverim vobis esse divinitatem, cui de tantâ raritate inter mortales, non unum, sed duos, ipsosque idoneos satis indulsit Consiliarios providos, benevolos.*

Bern. Ep. 42.

Matt. 14. v. 45.

Plus adhuc luminis suppeditare poterunt ea quæ scribit S. Mater N. Teresia; quæ, tum alibi, tum præsertim cap. 13 vitæ suæ conditiones boni Directoris exprimit ad amussim. *Permagni refert* (inquit) *Instructorem virum prudentem & cordatum esse: boni, inquam, ingenii & multæ experientiæ: si præterea doctus sit, & litteratus, hoc magnum quid est*

Ter. in vitâ suâ cap. 13.

& peroptandum. At si tria hæc in uno reperiri nequeant, duo priora potiora & majoris momenti sunt: doctos quippe viros aliunde facilè habere & comparare possunt, ut, si quando opus habebunt, eum illis de rebus suis conferant. Dico itaque doctrinam in principio parum juvare, nisi Director ipse orationi addictus sit.

Diligenter hîc advertendum est, quòd, cum S. Mater N. jure meritissimo requirat, ut ille, qui directurus est alium in orationis studio, ab eodem studio nequaquam sit alienus; hinc certum liceat argumentum sumere, deliberanti se constringere *voto Seraphico* fore non parum conveniens, eligere Directorem animæ suæ talem, qui Seraphicæ perfectionis habeat experientiam.

S. Basilius ad nostrum intentum sic instruit: nos tutos esse *communicando cum his qui ejusdem nobiscum animi sunt; fideique atque intelligentiæ certum documentum dederunt: ut deliberatio nostra si mala sit, corrigatur; si bona, confirmetur.*

Basil. in Regul. brevio. interrog. 227.

Adjungamus adhuc aliam, magisque perspicuam ejusdem Sancti Patris doctrinam: *Summâ* (inquit) *vigilantiâ acerrimaque in omnes partes animi circumspectione*

Idem in serm. de abdic. rerum.

ſpectione operam dato, ut aliquem tibi virum invenias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi vitæ ſtudiis certiſſimum ducem ſequare, ejuſmodique qui rectum iter ad Deum volentibus pergere ſciat commonſtrare: qui ornatus virtutibus ſit, cujus univerſæ totius ipſius vitæ actiones teſtimonio ſint, charitatem in eo erga Deum ineſſe; qui divinarum litterarum ſcientiam habeat, virum integrum, nec ulli diſtractioni indulgentem, ab avaritiâ abhorrentem &c.

Deinde ſubdit: *Ac ſi talem quempiam nactus fueris, tum verò voluntatem tuam omnem expuito, ac foras projicito: atque ubi hoc feceris dede te illi, ut ſinceriſſimum veluti vas quoddam exiſtas, qui, quæ in te infundantur virtutes, ad laudem Dei gloriamque, ab omni vitio caſtas conſerves: Ubi enim videt adverſarius noſter improbus perſuadere ſe nobis non potuiſſe, ut in mundi confuſione perditioneque maneremus, in eo jam omni conatu contendit, ut nobis perſuadeat, ne nos vitæ demus perfectiori: neve ei nos viro committamus, qui noſtra omnia peccata nobis ante oculos ſtatuat corrigatque: ſed ut alicui nos credamus, & gloriæ nimio plus avido, & propria vitia affimulatâ quadam lenitatis erga familiares ſuos ſpecie commendanti, ut hoc modo innumerabilibus nos denùo pravis animi*

libidinibus, contra animi nostri propositum veluti VINCULIS *irretiat.*

Longiori discursu probat hanc ipsam veritatem S. Abbas Isaac, qui, postquam declaravit, quòd præstet aliquis multam habens experientiam ejus materiæ, quæ tractatur, valdè litterato, sed experientiâ tali destituto, concludit: *Illo ergo Consiliario utere, qui novit probare in patientiâ res discretionis. Propter hoc autem non est quilibet fide dignus ad dandum consilium, nisi qui priùs voluntatem propriam gubernavit & actores & detractores non extimescit.*

Tom. 5. Biblioth. lib. de cõtẽptu mundi 39.

Laurentius etiam Justinianus perpulchrâ, quod intendimus, similitudine declarat. *Quemadmodum* (ait) *nullus à nativitate cœcus, quamvis naturalis ingenii acumine polleat, nisi opinitavè valet de coloribus judicare, ita neque de spiritualibus potest ad plenum sensum proferre, quisquis eorum extiterit inexpertus.* Nullus ergo capax haberi debet ad alium in solidæ perfectionis viâ dirigendum, quî non conatur & ipse per illam incedere.

Laur. Justin. in prologo ad vitã solitar.

§. 6. Ex quo manifestè satis colligere mihi videor, inidoneum reputari debere quoad alterius, in hac summã perfe-

perfectione, regimen, qui vota passim omnia, præter ea quæ solemniter in claustris emittuntur, consuevit reprobare. Sicut enim magno verti debet vitio, quòd omnes aliquis indifferenter ad votum v. g. castitatis inter sæculares admittat, nec personarum, quibus hoc indulget, prudenter capacitatem attendit: sic etiam vitium, & quidem non exiguum, est, indifferenter in omnibus hoc reprobare, vel ad annum solummodò sive 2 annos, non examinando capacitatem personarum, cum quibus agunt, indifferenter approbare.

Multum hinc etiam delinquere videntur illi, qui mox ut audiunt personam aliquam, cujus nec spiritum nec mores unquam se cognovisse fatentur, votum castitatis perpetuæ in sæculo emisisse, rident, subsannant, reprobant, calumniantur. Sed quid est, quæso, quod rident, quod subsannant, & reprobant, & calumniantur? Non potest esse particularis illa persona, quæ voto se constrinxit, quàm se non diffitentur ignorare; ipsum itaque rident votum, nec non in voto Deum, qui vovendi dedit consilium.

Reprobandumne, dices, igitur illud, quòd (ut commune fert proverbium) juvenculis expediat, *aut murus aut maritus*? Nihil minus: imò nec illud, quòd eis determinatè non expediat murus, sed maritus: apertè siquidem Apostolus admonet: *Volo juniores nubere, filios procreare*; Sed advertendum est quasnam hîc intelligat junicres, videlicet, *otiosas*, *verbosas*, *curiosas*, uti patet ex contextu. Non igitur absolutè vult omnes nubere (prout ex hoc loco contendunt Novatores) sed illas quæ non sunt capaces consilii castitatis; de quo consilio scribit idem: *Volo* OMNES *vos esse sicut meipsum.* Illæ siquidem tam malè retrahuntur à castitatis consilio quæ sunt capaces, quàm malè compelluntur ad illud quæ sunt incapaces.

1. Tim. 5. v. 14.

1. Cor. 7. v. 7.

Quòd si res ita se habeat, quidnam sibi, quæso, volunt illi, qui, tanquam si jam foret abbreviata manus Domini, & tanquam si non posset jam quoque capaces aliquas votorum, extra clausuras monasteriorum, efficere, qui millenas olim effecit, ita statim ac audiunt aliquid de votis non solemniter emissis, illa rident, & irrident.

Satis

Satis oſtendunt qui hujuſmodi ſunt, quòd, dum tam parum ea quæ Dei ſunt ſapiunt, ad alienam directionem capaces reputari nequaquam debeant: & multò minus ut determinent, ſitne talis vel talis perſona voto majoris perfectionis idonea, vel non.

Nullo tamen modo neceſſarium arbitror, ut is, qui de *voto Tereſiano* vel emittendo vel omittendo cuipiam debet inſtructionem dare, ſit ipſemet illo voto conſtrictus: ſufficit enim quòd ita vivat, ut illud emittendi capacitatem habere ſit reputandus. Nam quod de facto non emiſerit, hoc provenire poteſt tum aliunde, tum ex hoc particulariter, quòd propter obedientiæ perfectionem, ſuo Directori vel Superiori exhibendam, abſtineat.

Quo-ad conditiones igitur in Directore neceſſarias, ut id quod præcipuè habeo communicandum, hîc in fine capitis exprimam: audiantur ea quæ ſcribit Sanctus Epiſcopus Genevenſis: *Dicit Avila unum* Directorem *ex mille ſeligendum: ego vero dico ex* DECEM MILLIBUS: *tam enim exiguus eſt eorum numerus qui capaces ſunt, ut exprimi vix queat. Plenus eſſe debet*, primò *charitate*, Saleſ. Introd. p. 1. cap. 4.

tate, secundò *scientiâ*, tertiò etiam *prudentiâ*; *quarum si desit vel una non abest periculum.*

CAPUT X.

Qui Directoribus aut Superioribus indiscreta, *non tamen* peccaminosa, *quandoque præcipientibus, obtemperare nesciunt*, voti Seraphici *capaces non esse demonstrantur.*

§. A. EX eis, quæ superiori capite diximus, aut potius ab aliis dicta citavimus, apertè satis colligitur, in eligendo conscientiæ Directore, non obiter aut absque judicio vel ponderatione conditionum illius, an videlicet prudentiam habeat, esse procedendum. Post factam autem electionem, si contingat à Directore vel etiam à Superiore, quem citra nostram electionem supra capita nostra Deus constituit,

tuit, aliquid præcipi quod non ſecundùm diſcretionem eſſe videtur, oportetne præceptum adimplere vel omittere?

Magni refert id quod hîc reſpondendum eſt benè percipere, tum ob alias cauſas, tum ſingulariter ideò, quia nihil eſt unde certius indicium, de veritate ſive ſoliditate virtutis alicujus, poteſt accipi, quàm ab illius obedientiâ.

Poſtquam S. Mater N. Tereſia plures alicujus perſonæ virtutes apparentes enarraſſet, ac eas non niſi deceptiones meras fuiſſe concluſiſſet: *Hæc* (inquit) *uti & aliæ duæ animæ, quas in hac vitâ vidi, ex iis quidem quas ſuo ipſarum judicio ſanctas fuiſſe nunc recordor, plus mihi timoris incuſſerunt, quàm quæcumque peccatis obnoxiæ, quas unquam vidi. Dominum rogate, chariſſimæ, nobis ut lumen det, eumque impensè laudate, quòd vos ad Monaſteria vocarit, in quibus vos diabolus, quantumlibet conetur, tantum decipere non poteſt, quantum eas quæ in ſuis ædibus agunt.* Ter. in Cōcept. divin. amor. c. 2.

Quàm multæ porrò ſunt animæ, quibus nihil, quò minus ad cœlos evolent, deeſſe videtur: quòd perfectionem juxta proprium ſuum judicium & opinionem in omnibus ſequantur?

Sed

Sed nullus est qui ipsas cognoscat: quia in Monasteriis STATIM *ac* SEMPER *eas agnovi, eò quòd eas ibi facere oporteat, non quod ipsæ volunt, sed quod ipsis imperatur. In mundo verò etsi homines verè eas cognoscere velint, eò quòd Domino hæ placere cupiant, agrè possunt: quia quidquid demum faciunt, id juxta propriam voluntatem faciunt: &, quamvis interdum huic obsistatur, in mortificatione tamen usque adeò se non exercent. Exceptis aliquibus, quibus Dominus jam per aliquot annos lucem dedit: hi quippe semper aliquem habere desiderant & procurant, qui ipsos intelligat, cuique se subjiciant. Magna autem humilitas exiguam de seipso confidentiam includit, &, etiamsi sint doctissimi, alieno se judicio & opinioni subjiciunt.*

Quàm clarus & infallibilis, virtutis veræ lapis lydius sit obedientia, non posset apertiùs indicari, quàm quòd Seraphica Doctrix nostra se dicat animas per eam *statim ac semper* agnovisse.

Antiquorum etiam Anachoretarum consultatio, volens explorare soliditatem virtutis Sancti Simeonis Stylitæ, qui per annos aliquot jam in excelsâ columnâ vixerat, nihil invenit aptius, quàm ut tentaret illius obedientiam.

De-

Deputant igitur qui ex eorum parte descensum illi præcipiat: cui præcepto cùm promptè paruisset, in probatæ jam virtutis exercitio, prout optabat, prosequendi, copiam fecerunt. *Vide Salesi. de amore Dei lib. 8. cap. 13.*

§. B.

His ita præmissis indubitatam nunc propositæ quæstionis responsionem hanc esse profiteor, quòd ille, qui renuit simpliciter obedire, quando vel Superior vel Director aliquid indiscreti, cujus tamen executio non sit peccaminosa, præcipit, ad veritatem obedientiæ perfectę nondum ascenderit: ac proinde *Seraphici voti* nullatenus habeat capacitatem.

Antequam verò progrediamur ad obedientiæ charitatis, quæ semper ad omnia non illicita se protendit, apertiorem declarationem, advertendum est, quòd, licet obedientia vim tantam habeat, ut propter eam id quod consilii foret, consultum non sit: nequaquam tamen propter obedientiam omitti potest id quod est præcepti. Unde sapientissimè D. Aquinas: *Triplex* (ait) *est obedientia, scilicet indiscreta, imperfecta discreta tamen, & perfecta.* D. Th. in 2. sēt. dist. 44. art. 3.

INDISCRETA OBEDIENTIA, *quæ nec obedientia dici debet, est, quando aliquis obedit*

dit in illis quæ divinæ legis Regulæ contrariantur, quam debet inviolabiliter observare, vel etiam in illis quæ contrariantur Regulæ quam professus est, in his duntaxat, quæ dispensationi Prælati non subduntur; & ad hanc obedientiam nullus tenetur, imò quilibet tenetur eam non habere.

Imperfecta *autem* obedientia, *sed sufficiens ad salutem obedientiam profitentibus, est illa, quâ quis obedit in his quæ servare promisit, & non in aliis. Unde Benedictus dicit: Cæterùm subditus hujusmodi obedientiam, quæ voti finibus cohibetur, noverit imperfectam. Et ad hanc obedientiam profitentes obedientiam ex necessitate coguntur.*

Obedientia *verò* perfecta *est, secundùm quam subditus obedit* in omnibus quæ non sunt contraria legi divinæ vel Regulæ, quam professus est. *Unde ibidem Benedictus dicit: Perfecta obedientia legem nescit &c. Et ad hanc obedientiam nullus tenetur debito necessitatis, sed solùm ex honestate quadam, sicut tenetur semper æmulari charismata meliora.*

Vbi suprà ad 4. Ad objectionem, quâ quis argueret pro obedientiâ veraciter indiscretâ, quam D. Thomas meritò condemnat, dicendo, quòd inferiori nullum de Superio-

periore judicium relinquatur, aptiſſima ſupradicti Doctoris hæc eſt reſponſio. *Quamvis ſubditus non habeat judicare de præcepto Prælati, habet tamen judicare de actu proprio, in his duntaxat in quibus Prælato ex ordine prælationis ſubditus non eſt. Et ideò non oportet quòd in omnibus obediat: imò neceſſe eſt quod in quibuſdam non obediat.*

Arnoldo quondam Abbati Morimundi, qui gregem ſuum cum ſcandalo deſerebat, ſubditorum non ultimus, cui nomen Adam, tenaciùs adhærebat, & imprudenter obediebat. Hunc ita ſuum actum defendentem D. Bernardus introducit: *Quid ad me, inquis* (utrum videlicet malè procedat Abbas meus) *Ille viderit cui mihi contradicere fas non eſt. Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum. Docendus, non docturus, ejus lateri adhærebam. Sequi debui, non præire, præceptorem auditor.* Juſtificationem hanc quomodo prædictus Pater irridendo refutet, non vanum erit auſcultare: *O iſtorum temporum* (ait) *Paule ſimplex, ſi tamen & ille alterum ſe tibi exhibuiſſet Antonium, ut quidquid vel leviter de labiis ejus procederet, neceſſe non haberes diſcutere, ſed ſine cunctatione ad omnia nihil hæſitans obedires. Monachorum obedientiſſimum, cui ex quibus-* Bern. Ep. 7.

quibuslibet seniorum verbulis ne unum quidem iota prætervolet. Non attendit quale sit quod præcipitur. Et hæc est obedientia sine morâ. Si ita oportet, sine causâ legitur in Ecclesiâ: Omnia probate, quod bonum est tenete. Si ita oportet, deleamus de libro Evangelii: Estote prudentes sicut serpentes; sufficiente quippe quod sequitur, & simplices sicut columbæ. Nec dico à subditis mandata Præpositorum esse dijudicanda, ubi nil deprehenditur juberi divinis contrarium institutis: sed necessariam assero & prudentiam, quâ avertatur si quid adversatur; & libertatem, quâ & ingenuè contemnatur.

Prudentiam hanc & libertatem ideò specialiter hîc præmonendam existimavi: ne, dum ostendere meditor obedientiam amorosam omnes humanæ rationis tenebras abnegare, sine grano salis hoc forsitan aliquis intelligeret. Hoc itaque jam supposito, progrediamur ulterius.

§. C. Aug. Tr. 30. in Joan.

Dicuntur pulli aquilarum (inquit Augustinus) *à parentibus sic probari, patris scilicet ungue suspendi, & radiis solis opponi: qui firmè contemplatus fuerit, filius agnoscitur: si acie palpitaverit, tanquam adulterinus ab ungue dimittitur.* In hac probatione dubium non est, aquilarum pullos non

non exponi ſolaribus radiis, per nubis alicujus interpoſitionem, modificatis, ſed omninò claris, & abſque nubis temperamento rutilantibus.

Ingens illorum eſt numerus, qui *voluntatis divinæ* ſplendorem, hoc eſt, obedientiæ claritatem, non illibenter aſpiciunt, dummodò ſplendor ille ſive claritas intermediam habeat nubem aliquam humanæ rationis, dummodò videatur eis, id quod præcipitur, aliquid rationis includere: Verùm ſi ſplendor ille purus & abſque prædictâ nube refulgeat, hîc palpitat acies virtutis eorum: & ex magno pullorum numero vix aliquos invenies, qui valeant irretortis oculis indiſcretum aliquod obedientiæ præceptum intueri.

Tota verò cauſa, cur indiſcreta præcipientibus (dummodò peccata non ſint) oporteat obedire, videtur hæc eſſe, quia ſubditorum non eſt uti judicio ſuo vel diſcretione, ſed ex judicio præcipientium, eò quòd vices Dei gerant, atque diſcretione dependere. *Diſcernere Superiorum eſt* (inquit Bernardus) *ſubditorum eſt obedire.* Bern. ad Frat. de monte Dei.

Huic appoſitè conſonat illa D. Gregorii ſententia: *Vera obedientia nec Præpoſito-*

Greg. in lib. 2. Reg. c. 4.

ſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit; quia qui omne vitæ ſuæ judicium majori ſubdidit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur operatur: NESCIT IUDICARE QUISQUIS PERFECTE DIDICERIT OBEDIRE; *quia hoc tantùm bonum putat, ſi præceptis obediat.*

Hieron. Epiſt. 4. ad Ruſtic.

S. Hieronymus etiam: *Non de majorum* (inquit) *ſententiâ judices, cujus officii eſt obedire & implere quæ juſſa ſunt, dicente Moyſe: Audi Iſraël & tace.*

Vide Rodriguez Tom. 3. Tract. 4. cap. 6.

Imò S. Pater Ignatius obedientiam perfectam ab imperfectâ, non aliunde, quàm ex hoc diſtinguebat, quòd illa judicio proprio renuntiaret, hæc autem non: dicebat enim quòd ſicut in Eccleſiâ militante duplicem ſalutis viam Deus aperuit hominibus: unam communem quæ conſiſtit in obſervantiâ mandatorum, alteram ſpecialem, quæ conſilia nimirum Evangelica ſuperaddit, quod præcipuè Religioſorum eſt: ſic in ipsâ quoque Religione duplex eſt obedientia, una communis & imperfecta, altera perfecta & abſoluta, in quâ relucet obedientiæ vis, & hominis Religioſi virtus conſummata. Obedientia (inquit) imperfecta oculos habet in proprium detrimentum:

perfe-

perfecta est cœca: sed in hac cœcitate sapientia consistit: una judicat id quod præcipitur, altera non.

Perfectam obedientiam Cassianus vocat, *sine discussione, sine examine.* S. Joannes Climacus dicit, quòd sit *inexaminatus atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, discretionis depositio inter divitias discretionis.*

Unde S. Ignatius dicere solebat, se non tantùm cum animi pace, sed etiam cum exultatione præceptum Pontificis exosculaturum, si mandaretur illi, ut primam quam inveniret navem intraret, & absque gubernaculo, malo, velis, remis, aliisque similibus instrumentis, Oceano se committeret. Cumque replicaret illi nobilis aliquis: Et quænam hæc, Pater, esset prudentia? Respondit: In eo, Domine, qui obedit, prudentia non ita requiritur, sicut in illo qui præcipit. §. D. *In vitâ illius lib. 1. cap. 4.*

Libenter in hanc hujus Beatissimi Patris ibit sententiam, qui benè ponderat hoc dictum ejusdem: *Postrema subjiciendi judicii ratio est, cum facilior tutiorque, tum etiam apud Sanctos Patres in more posita, ut statuatis vobiscum ipsi, quidquid Superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse* S. Ignat. in Epist. de obed.

ac voluntatem : atque ut ad credenda quæ catholica fides proponit, toto animo assensuque vestro statim incumbitis ; sic ad ea facienda, quæcumque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, sine ullâ prorsus disquisitione, feramini.

Illud porrò notatu dignum est, quod Sanctus idem post pauca subnectit, videlicet : *Nec tamen idcirco vetamini, si quid fortè vobis occurrat à Superioris sententiâ diversum, idque vobis (consulto supplicitèr Domino) exponendum videatur, quo minus id ad Superiorem referre possitis. Verùm in hac re, ne vos amor vestri judiciumque decipiat, illa cautio est adhibenda, ut animo sitis, & ante & post relationem, æquissimo, non solùm quod pertinet ad eam rem de quâ agitur vel suscipiendam, vel deponendam: sed etiam ad approbandum, rectiusque putandum quidquid Superiori placuerit.*

§. E.

Rib. in vitâ S. M. lib. 4. cap. 20.

De S. Matre N. Teresiâ refertur, quòd propter obedientiã ipsum Christum, qui se revelabat illi, gesticulationibus irrisoriis impetierit; & dicere solita fuerit, se magis obedientiæ ductum velle sequi, quàm revelationum: imò & opere secuta fuerit.

Sapientissimè profectò : quia non minus certa quàm universalis est hæc

D. Ber-

D. Bernardi Maxima : *Ipſum quem pro Deo habemus, tanquam Deum, in his quæ apertè non ſunt contra Deum, audire debemus.* Bern. de præc. & diſp. c. 12.

Hanc D. Bernardi Maximam clariùs explicat id quod ait Joannes Gerſon : *Cenſeri debet pro Regulâ generali, illud eſſe melius, illud pulchrius, illud nobilius, illud utilius, delectabilius, & honeſtius, quod eſt obedientiæ proximus : ſit illa res in quâ obeditur vilis, abjecta, turpis, inutilis, vana, laborioſa, ſtulta, quantumlibet inhoneſta, ſolo peccato excluſo.* Gerſon 1. part. Epiſt. de ſtudio relig. & confid.

Reverendus Adm. P. Alphonſus à Jeſu Mariâ, noſtri Ordinis in Hiſpaniâ bis olim Generalis, ait hanc Regulam Gerſonis calculo Sanctorum omnium indubitatam eſſe ; docetque tunc obedientiam præcipuè locum habere, quando nihil in eâ rationis eſſe videtur: Unde citans illud Sancti Gregorii; *Ante Deum ille magnus per meritum noſcitur, qui ei in bono præcepto ſubjicitur, qui ex parte aliquâ venerabilis non videtur,* adjungit : *Et ſemper bonum eſt præceptum, ſecundùm communem Sanctorum doctrinam ; reſpectu ſubditi, multumque conducens ad ſpiritualem ipſius in virtute profectum, quamdiu non clarè conſtiterit eſſe malum.* *R. P. Alphõſ. Maxpernic. Tõ. 2. part. 2. diſc. 1. §. 6.*

§. F.

Verùm quid si non fuerit malum quod præcipitur, sed tamen impossibile, quid facto opus? Certè D. Thomas apertè docet voluntatem ferri non posse in id quod intellectus ei proponit ut impossibile. Nunquid igitur quod sic mandatur, sapienter amandatur? Nequaquam; sed *quòd si Prælatus aliquid impossibile præceperit* (ait in suâ Regulâ D. Benedictus) *tentandum est.*

D. Thõ. 1. 2. qu. 13. art. 5.

Quomodò potest, inquies, obediendo subditus tentare id quod judicat impossibile? Resp. quòd non debeat, utrum sit impossibile, judicare. Unde S. Thomas de supradictâ Regulâ Sancti Benedicti loquens, ait eam ideò conatum rei impossibilis injungere: *Quia an aliquid sit impossibile, subditus non debet in suo judicio definire; sed in unoquoque judicio Superioris stare.*

Ibi suprà ad 3.

Quàm sapienter idem etiam doceat, *Tunc est obedientia magna, quando sequitur imperium alterius contra motum proprium,* ex fidei naturâ congruenter intelligi potest: quia scilicet ea credere quæ ratio non comprehendit, opus fidei præcipuum est. Et *fides non habet meritum* (uti loquitur D. Gregorius) *cui humana ratio præbet experimentum.*

D. Thõ. in Epist. ad Phil. c. 2. lect. 2.

Greg. Hõ. 26. in Evang.

Obedien-

Obedientia, ſecundùm commune Sanctorum effatum, *eſt opus fidei*. Fides autem ibi præcipuè incipit, ubi ratio deficit. Ex quo concludere debemus, quòd ad ſcientiam veræ fidei non pervênit, cujus obedientia ſupra limites propriæ rationis aſcendere non didicit.

Illi verò ſapiunt & Domino ſerviunt in magnâ ſpiritûs libertate, qui ſciunt intellectum ſuum in obſequium fidelis obedientiæ captivare: ſic ut non ineptè poſſit hîc applicari verbum illud Apoſtoli: *Si quis videtur ſapiens eſſe, ſtultus fiat ut ſit ſapiens. Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum.* 1. Cor. 3. v. 19.

Saul Regum optimus, ſi ejus principia ſpectes, à Samuele juſſus ſeptem diebus expectare, dum victimas ſimul immolarent. Expectavit omninò ad uſque ſeptimæ diei ſerum veſperem, cumque populus ab eo dilaberetur, quaſi coactus ſacrificavit. Et en eo ipſo tempore advolans Samuel eum de ſuâ diſcretione prætensâ ſic arguit: *Stultè egiſti; nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui. Nequaquam regnum tuum ultrà conſurget.* 1. Reg. 13. v. 13.

Quid hîc, obſecro, vel ſtultitiæ vel

tanti mali, ut diadema ſuum Saul perderet? Sex diebus expectaverat, & undecim horis ſeptimi: tandem non ex levitate, ſed *neceßitate compulſus* (ut ipſe loquitur) obtulit holocauſtum. Nunquid oportet uti diſcretione, & neceſſitas non habet legem? Nunquid Epieikeja virtus eſt, quâ ſe juvare Saul hîc poterat? Quid potuerit, rerum eventus demonſtravit: nam ex hoc tempore per eos ſcelerum gradus cœpit non ire, ſed ruere, ut poſt mortale regnum amiſſum, immortale quoque amiſiſſe perhibeatur & æternum. Quid potuerit, apertiſſimâ ſententiâ Samuel declaravit, inquiens: *Stultè egiſti.*

Vide Drexelii Triſmegiſtum lib. 2. cap. 10. §. 1.

§. 6. Ubi modò ſunt diſcretuli noſtri, quibus omnis perfectio non eſt alia, quàm ratio propria, qui leges & præcepta Superiorum accommodant ſibi, non ſe legibus aut præceptis? Ubi modò ſunt, qui ſibi complacent in magnis illis operibus aut pietatis aut mortificationis, quæ proprio dictante judicio, voluntate propriâ perficere conſueverunt? Imò verò ubi non ſunt? *O quàm multi Religioſi* (inquit Taulerus) *infructuoſi ſunt martyres, dum propriâ volun-*

Tauler. c. 11. Inſtit. in fine.

tate

tate repleti, in propriâ quæstione sibi ipsis duces sunt, parvamque aut nullam suis magnis exercitiis beatitudinem merentur; qui si in obedienti resignatione illa perficerent, insignes nimirum apud Deum sancti efficerentur.

Sapientissimè dictum à D. Bernardo reperimus: *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit*; difficillimum enim est semetipsum dirigere; qua propter idem religiosissimus Abbas adjungit: *Quid de se alii sentiant ignoro: Ego de me expertus sum quod dico, & facilius imperare & securius possum præesse aliis multis, quàm soli mihi.* Bern. Ep. 87.

O Domine, quid sum mihi ipse (petit Augustinus) nisi dux in præceps? Ipsa quoque nos experientia docet verissimum esse, quòd Sapiens ait: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.* Quòd inde fit, quia caliginosa sunt omnia mundi discrimina: *Nos quippe involvimur tenebris*, uti loquitur S. Job. Ideò summæ Bonitatis beneficium singulariissimum est, quòd hisce non obstantibus absque timore, cum omni certitudine, sine tenebris ullis, quid perfectius, quid Deo gratius, quid nostræ saluti conformius, uno verbo, quidnam sit melius cognoscere Sap. 9. v. 14. Iob. 37. v. 19.

scere valeamus : illud videlicet quod nobis ab eis, qui Dei vices in terris gerunt, agendum decernitur.

Nescio sanè quid plus lucis homo videat, qui, rationibus humanis depositis, fide non hæsitante credit Christo dicenti : *Qui vos audit, me audit*, qui charitate non fictâ pro generali suorum operum amussi recipit illud Samuelis : *Melior est obedientia, quàm victimæ.* Quisquis à Domino talem submissionem obtinuit, audeò dicere, quòd duplicem ille spiritum Eliæ impetraverit : quoniam Eliæ duplex spiritus (Ruperto perhibente, cui consonat etiam D. Bernardus) non erat aliud quàm submissio voluntatis & intellectus.

Bernard. Serm. 3. de ascens. Dom.

§. II.

Unum à te, fidelis anima, velim scire, quæ sub obedientiæ jugo, judicii tui cervicem recusas inflectere : quidnam sit quod hanc tibi duritiem potest adferre ? Dubitasne voluntatem esse divinam id, quod per vicarios suos tibi præcipit Deus ? Vel an dubitas id esse melius quod voluntas divina exigit ? Nunquid utramque dubitationem abhorres ? Omnem itaque tenacitatem seu propriæ voluntatis, seu judicii proprii necessarium est ut abhorreas.

Quo-

Quomodo, si fatearis instructa per fidem, id esse melius & judicandum & actitandum quod obedientia præcipit, intellectum fatigas adhuc ut examines, an illud sit melius? Fateor quidem frequenter accidere quod præcipientes errent; præsertim cum dicat S. Gregorius: *Plerumque culmen Prælationis accipiunt, qui in charitate Dei & proximi perfecti non sunt.* Unde non tantùm frequenter præcipiunt imperfectè, sed etiam imperfecta, quantum ad ipsos attinet. Non ideò tamen imperfecta facies illis obtemperando: religiosissimè siquidem D. Bernardus petit: *Quid hoc refert tuâ*, quod ex parte suâ Prælatus deficiat? Ipsius enim defectus efficere non potest, ut (si in opere quod tu per obedientiam facis non sit peccatum aliquod) illud in omni certitudine perfectius & melius haberi non debeat.

Greg. lib. 4. c. 5. in 1. Reg. c. 10.

Bern. de præc. & disp. c. 12.

Ita scilicet apertis oculis in ipsum opus secundùm quod procedit à nobis, nihil videre debemus & non examinare faciatne benè Prælatus illud imperando, vel non. Unde S. Bernardus hanc omni dignam acceptione doctrinam statuit: *Imperfecti cordis & infirmæ prorsus volun-*

Bern. de præc. & disp. c. 13.

voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosiùs discutere. Disputare, profectò hoc est in actu cordis, non in auditu auris, obedire. Istiusmodi ergo carnalem animam non modò premi, sed etiam opprimi pondere præsumptæ perfectionis necesse est: quia non potest portare caro infirma, quod solus spiritus experitur jugum esse suave & onus leve. Christi quippe jugum & onus est, & omninò importabile, nisi Christi æquè spiritui.

§. I. Concludamus igitur animas illas *voti Seraphici* capaces non esse, quæ jugum importabile rationis propriæ non abjecerunt; & quæ vincula colli sui non abruperunt. Debet earum collum prorsus esse liberum. Scire vultis quid collum significet? Origenem, Theodoretum, Hieronymum, Ambrosium interrogare si volueritis, audietis obedientiam esse. Quia sicut collum inter cætera membra supremum est, & capiti proximum, ac ad ipsius nutum specialissimâ flexibilitate paratum: sic etiam obedientia cæteris eminet virtutibus, & homines Deo tanquam capiti proximè conjungit & ad ipsius voluntatem flexibiles efficit.

Vide R. P. *Alphons. Max. pernic. To. 2. p. 2. discur. 2. §. 4.*

Hinc est quod de spirituali Sponsâ dicat Spiritus Sanctus: *Sicut turris*

David

David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clipei pendent ex eâ, omnis armatura fortium. Ubi tantus est apparatus belli, mirum non est quòd ibi sit etiam abundantia triumphi, & quòd Sapiens dicat: *Vir obediens loquitur victoriam*: aut, ut Gregorius & alii legunt, *loquetur victorias.* Cant. 4. v. 4. Prov. 21. v. 28.

Igitur in obedientiæ palæstrâ probato & approbato fiducialiter suadeo: *Fac votum Deo cœli & eris victor melius quàm fuisti.* *Brev. in festo Ioan. & Pauli 26. Iulii*

CAPUT XI.

Notabilia quædam concernentia praxim voti Seraphici.

§. A.

CUm votum nihil sit aliud, quàm lex quædam particularis, quam, promittendo quidpiam Deo, sibimetipsi homo statuit, tota vis obligationis ab intentione pendet ipsius voventis, ac proinde nunquam major esse potest voti obligatio, quàm fuerit ipsius, qui vovit, intentio.

Sicut autem non expedire considera-

ravimus

ravimus anteà, quòd aliquis emittat votum obedientiæ charitatis, nisi *quando* consilium habuerit idonei Directoris: ita nunc etiam considerandum est, hoc ipsum non debere nuncupari nisi *quomodo* consilium ipsius judicaverit: sic ut non aliam vovendo formet intentionem, quàm Directoris habuerit approbationem.

Etenim sicut infirmitas illius qui vovere desiderat interdum exigit, ut votum ex toto relinquatur, interdum verò ut ex parte solùm emittatur, hinc diligenter advertendum est, animas illas quæ capaces quidem non sunt, ut *votum Seraphicum* emittant in perpetuum usque ad mortem, esse capaces interdum ut illud emittant ad tempus aliquod limitatum, videlicet ad annum, ad biennium &c.

§. B. Item, conveniens aliquibus fortassis esse potest, ut se non obligent, nisi sub peccato veniali: quin imò tantùm sub aliquâ pœnâ. Quamvis autem hujusmodi restrictiones adjungi non possint absque detrimento gravi personæ, quæ capax est ut votum emittat absolutè: Vix ullos tamen inveniri credo, quibus non expediat hanc limi-

limitationem adjungere, quòd videlicet votum illud nunquam sub gravi culpâ obligabit, nisi quando persona cui præstabitur obedientia præcipiet aliquid scripto: & hoc ad avertendos scrupulos. Quam advertentiam non ex me pono, sicut nec ipsum votum, sed ex auctoritate alienâ; scilicet ex ordinationibus diversorum Ordinum Religiosorum; quæ declarant subditos ad obediendum graviter non obligari, nisi quando præceptum scripto significatur.

Quibus etiam inhærendo notandum videtur, qnòd non sit communiter expediens, ut aliqua persona fœminei sexus alicui Confessario singulari per votum obedientiæ generalis se constringat. Imò licet constringere conaretur, invalidum ac nullum communiter hoc esse votum existimarem: quia non videtur esse de meliori bono, propter inconvenientia graviſſima quæ nata sunt inde provenire: præcipuè si voveret quòd huic uni tantùm secreta suæ conscientiæ revelaret: quia tale votum à communi Doctorum sententiâ justissimè reprobatur. §. C. NOTA BENE.

Etenim ut verbis pauciſſimis, innumeris §. D.

meris propemodum quæstionibus occurram; Hæc Regula generalis videtur posse statui, quòd omnia quæ prudentia dictat quoad praxim *voti obedientiæ Regularis*, applicari possint (servatâ proportione) *voto obedientiæ charitatis*. Unde sicut *votum obedientiæ Regularis*, quamvis non infringatur nisi cùm aliquid secundùm Regulam & constitutiones sub præcepto formali præcipitur, se tamen extendit etiam aliqualiter ad alias regulares observantias,& ad ea quæ tantùm simpliciter mandantur: Sic etiam licet *votum obedientiæ charitatis*, tunc statui possit infringi solummodò cùm non servantur quæ scripto præcipiuntur, qualiacumque tandem illa sint in materiâ gravi, excepto peccato: videtur tamen hoc etiam adjungendum, quòd hujusmodi votum suam quoq; vim extendat aliqualiter ad alia quæ declarantur aut cognoscuntur alio modo perfectiora.

Nullus itaque cogitare debet, quòd eo modo velim emitti votum Seraphicum, ut illo devinctus per hoc fieret prævaricator, quod aliquid vel minus perfectum vel etiam veniale peccatum committeret. Absit hoc. Ejusdem cum D. Ber-

D. Bernardo ſententiæ ſum, dicente: *Nemo ſi cautè profitetur, profitetur ſe ultra non tranſgreſſurum, hoc eſt, ſe jam non peccaturum. Alioquin aut periurat qui ita jurat, aut ſanctior eſt illo, qui ait: In multis offendimus omnes.* Bern. de præc. & diſp. c. 16.

SEQUENTIA CAPITA CONTINENT OBJECTIONES,

Et ſolutiones earum.

QUamvis inimicus homo, pater mendacii, omnes veritates inceſſabili proſequatur odio, nec ceſſet, ubi bonum ſemen adjutores Domini ſpargere ſatagunt, ſuis etiam zizaniis accurrere: minus tamen illas tolerare veritates poteſt, quæ praxim dirigunt: & inter has ipſas, præ cæteris execratur, quæ ſi prævaleant in cordibus hominum, eorum animas tam firmiter ſibi novit ereptas, ut eas in ſuos caſſes retrahere, quaſi deſperare compellatur. Hinc mirum non eſt, quòd

quòd millenas olim tenebras ex orci faucibus evomuerit, quibus fulgorem illum perfectiſſimæ paupertatis, quem, per igneas Sancti Franciſci voces, undique coruſcare faciebat Omnipotens, obnubilaret: hinc etiam factum audivimus, quòd, cùm orationis mentalis ſtudium, tanquam ſuæ reformationis murum firmiſſimum, erigere conaretur S. Mater N. Tereſia, infinitis cùm machinis & plurimarum objectionum arietibus dejicere ſatanas uſquequaque moliretur. Idem nunc etiam ejuſdem futurum conamen ſatis ipſe prævideo, dum non tantùm *propoſiti*, ſed etiam *voti Tereſiani* conor æmulationem aſtruere: dum non tantùm abrumpenda ſuadeo *vincula cupiditatis*, ſed inſuper aſſumenda *vincula charitatis*. Vix enim dubito quin aliquos excitabit, qui *exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis* hujuſmodi, diverſis ea machinis objectionum oppugnabunt. Porrò ſicut venerabor illos, qui ſecundùm charitatem, quidquid in hiſce lucubrationibus defectuoſum fuerit, amanter emendabunt; ita nec verebor alios, qui ſecundùm vanitatem hoc ipſum facere non ceſſabunt. Quocumque tandem

Philipp. 1. v. 17.

dem hoc animo faciant, in Domino confido, quòd meam infirmitatem adjuvabunt magis avidam doceri quàm docere: magis enim ardere desidero quam lucere: sed maximè tamen utrumque conjungere: quia sapientissimè D. Bernardus; *Tantùm* (ait) *lucere vanum est, tantùm ardere parum, sed lucere & ardere perfectum.* Bern. Serm. in nativ. S. Jo. Bap.

CAPUT XII.

Respondetur objicientibus quòd Sancti sint in multis admirandi *magis quàm* imitandi.

§. A. INter omnes objectiones contra voti Teresiani sequelam, nullam audio frequentiùs illâ, quâ Sancti dicuntur in multis admirandi magis quàm imitandi. Hæc prima semper in ore versari videtur: ac proinde primo quoque loco justum est, ut illi respondeatur.

§. B. RESPONSIONEM porrò congruentissimam

simam ipsa, quam imitandam suademus, S. Mater N. Teresia suppeditat: *Orationi studiosos* (inquit) *magnum adferre detrimentum diabolus consuevit, ne multum proficiant, superbiam esse persuadens desideria magna concipere Sanctosque imitari velle. Statim suggerit & persuadet opera Sanctorum admiranda, sed à nobis, qui peccatores sumus, non imitanda. Nolim aliud ego dicere; sed videndum est quidnam in illis admirari, quidnam autem imitari oporteat. Nec enim prudenter quis infirmus ac debilis faceret, si continuò jejunare & gravissimas austeritates subire vellet, hacque de causâ in eremum abiret, ubi nec dormire posset; nec quid comederet inveniret, aut quid simile. Sed cogitandum est, nos posse cum gratiâ Dei, vim inferre nobis, ut mundum egregiè contemnamus & honorem despiciamus & à divitiarum cupiditate cor liberum habeamus.*

Ter. in vitâ suâ cap. 13.

Ecce quomodo per doctrinam Teresiæ cælestem, stultam facit Deus eorum sapientiam, qui concludere volunt, hoc aut illud Sanctorum opus imitandum non esse, quia Sancti sunt in multis admirandi magis quàm imitandi. Verè talis ineptia magis est admiranda quàm imitanda. Si Sancti forent in omnibus virtutis operibus admirandi

mirandi magis, quàm imitandi, negari non posset hoc per consequens habere locum in *Teresiano voto*, cum illud virtutis opus esse manifestum appareat. Verùm, licet in operibus miraculosis admirandi sint magis Sancti quàm imitandi, in virtutis tamen operibus contrarium accidit & ideò non tantùm est admirandum S. Matris N. *votum Seraphicum*, sed etiam imitandum.

§. C.

Æternâ dignam laureâ D. Bernardi super hoc doctrinam audiamus, qui suos, ad sequelam virtutis Divi Martini, sic olim hortabatur. Si vobis (inquit) imitandum protulero Sanctum Joannem, de quo dictum est quòd erat lucerna ardens & lucens, *puto dicetis: Maximus hominum est, plus quàm Propheta est, etiam Angelus est Dei Patris, sicut ipse testatur: Ecce ego mitto Angelum meum &c. Martinus lucerna erat ardens & lucens, eum saltem non pigeat imitari. Sed imitari in eo quod est imitabile, non autem quod admirabile exhibetur.* Bern. serm. in fest. S. Mart.

Ad mensam divitis sedes hodie, diligenter considera quæ tibi apponuntur. Discerne inter cibos & vasa ciborum; illos enim juberis tollere, sed non illa. Dives est iste Martinus,

dives in meritis, dives in miraculis : dives in virtutibus dives in signis. Diligenter ergo considera quæ apponuntur tibi, quænam videlicet ad admirationem, quæ verò ad imitationem. Aut certè quia sequitur in Scripturâ illâ, quoniam talia oportet te præparare; diligenter considera quid apponitur, & in quo.

Suscitavit Martinus tres mortuos, quot nimirum legerat Salvatorem suscitasse. Reddidit visum cœcis, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis Hospitatem &c. Verùm hæc quidem cæteraque hujusmodi altissima quæ fecit magnalia, quidni mirifica quædam vasa dixerim divitis hujus auro gravia, gemmis micantia, pariterque materiâ & opere pretiosa? Noli in his saporem quærere, sed mirare splendorem. Luceat in hujusmodi lucerna nostra &c.

Cæterum ne putaveris ornatas quidem Martini lampades, sed vacuas inveniri : non est fatua virgo, habet in vasis oleum, habet vinum in phialis, habet intra paropsides istas ciborum copiam, delicias utique spirituales : ut non modò videant & mirentur, sed edant pauperes & saturentur : atque in illis quidem Dominum laudent, porrò in his vivant corda eorum. Quàm suaviter & mellifluè docet hic Sanctus Abbas in signis & miraculis admirandos esse Sanctos magis

quàm

quàm imitandos, in meritis autem & virtutibus imitationem admirationi debere copulari.

Mirificè præterea facit ad intentum noſtrum aureus hic D. Chryſoſtomi diſcurſus. *Si quis nobis exempla* (inquit) *Apoſtolorum adducat in medium, & dicat ſequi nos debere & imitari vitæ eorum propoſitum, geſtorumque regulas cuſtodire ... ſtultam illam abſurdamque reſponſionem proferimus: Ille Paulus erat, ille Petrus erat, ille Ioannes erat. Quid eſt, ille Paulus erat? Dic mihi, quid eſt, ille Petrus erat? Nonne ejuſdem naturæ erant cujus & nos? Nonne eâdem viâ ingreſſi ſunt in hunc mundum, quâ & nos? eiſdem cibis utebantur, atque eundem reſpirabant aërem? Nonne eiſdem vitæ uſibus agebantur? Nonne aliqui ipſorum etiam conjugia experti ſunt & liberos procrearunt? Quidam verò ipſorum etiam opifices communium artium erant. Alii verò & lapſus perpeſſi ſunt peccatorum atque in ultimum malorum barathrum deciderunt.* Chryſ. lib. 1. de cōpūct.

Sed multum (inquis) *illi gratiæ acceperunt à Domino. Si quidem mortuos ſuſcitare juberemur, aut oculos aperire cœcorum, aut mundare leproſos, aut claudos erigere, aut dæmones effugare, aliaſque his ſimiles ſanare ægritudines, ſi operationum virtus quæreretur*

retur, locum haberet ista responsio. Si verò vitæ à nobis observantia conversationisque requiritur & obedientiæ ratio, quid facit ad hæc ista narratio? Et tu enim accepisti gratiam Dei per baptismum & participium Spiritûs Sancti consecutus es, etiamsi non ad hoc ut signa faceres, sed quantum sufficeret ad hoc ut rectæ vitæ observantiam custodires.

§. D. Sæpè mihi motum fuisse stomachum diffiteri nec volo nec valeo, quando moniti quidam, ut hunc vel illum, in hac vel illâ virtute generosâ studeant imitari, ad excusandas excusationes in tepore suo respondent: Ille sanctus erat, ego peccator sum: quasi verò per hoc ipsum quòd quis ut Sanctus proponitur ab Ecclesiâ celebrandus, censeri debeat non imitandus: cum potius unus ex finibus præcipuis cur Sanctos canonizet, & omnibus fidelibus sanctè vixisse declaret, ille sit, *ut imitari non pigeat quod celebrare delectat*: uti loquitur S. Augustinus.

August. serm. 47. de Sanctis.

Hinc est quòd Sanctus etiam Bernardus alibi doceat: *Sanctorum ob hoc maximè memoria celebratur, ut & invocemus auxilium, & provocemur exemplo.* Item, *Fidelis* (ait) *sermo & omni acceptione dignus, ut quos solemni veneratione prosequimur, etiam*

Bern. serm. 1. de S. Andr.

Bern. serm. 2. de omnib. SS.

simili

simili conversatione sequamur. Quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem totâ aviditate curramus.

Notatu quoque digniſſima ſcribit iterum D. Chryſoſt. *Qui Sanctorum* (inquit) *merita religiosâ charitate miratur, cuique justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque justitiam imitetur: quoniam quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare debet, par, circa cultum Dei, obsequium. Quare aut imitari debet si laudat, aut laudare non debet, si imitari detrectat: ut qui alium laudat laudabilem se reddat, & qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur.* Chryſ. ſerm. de Martyribus.

Fateor equidem, quòd illis qui modicæ fidei ſunt, parvamque de Dei bonitate fiduciam conceperunt, hæc ſic à Sanctis dici, perſuaſum habeant, ut ea non aliis quàm etiam Sanctis dicta velint: ac proinde ſapienter monet cœleſtis Magiſtra: *Maximâ opus eſt in Deum fide. Expedit namque bona noſtra propoſita ne vel minimum minui, ſed fiduciam nos quandam de Deo concipere, ut, ſi paulatim nos ipſi ad progrediendum extimulemus, eò (etſi non quam primum) pertingamus, quò multi Sanctorum, divinâ ejus gratiâ adjuti* Ter. in vitâ ſuâ cap. 13.

pertigerunt: nam nisi illi hoc ita velle & etiam paulatim opere & reipsâ exequi firmiter apud se statuissent nunquam ad tam sublimem gradum & statum perveniissent: nunquam capacitatem *votum Seraphicũ* emittendi habuissent aut illud etiam emisissent, aut obligationem certè non inferiorem accepissent.

CAPUT XIII.

Quo sensu possit verificari sententia docentium, votum S. M. N. Teresiæ *non esse sequendum.*

§. A. MUltum contra doctrinam opusculi præsentis urgeri posse videntur auctoritates aliquorum insinuantium non aut vix expedire votum idem quod Seraphica Mater nostra nuncupavit, emittere: Nam imprimis Ribera votum illud extollit altiùs, quàm ut eò pertingere quis absque temeritate valeat: & quòd sicut non habuit exem-

exemplum, ita nec aliis exemplo ſervire debeat. Ipſius enim hæc verba ſunt: *Nulla unquam adeò vehementi impetita tentatione fuit*, Seraph. Mater, *quæ intermittere ipſam cogeret, quod ad ampliorem Dei gloriam facere vel ipſa noſſet, vel ab aliis audiret. Nec verò vulgari quadam ratione id ab ipsâ fiebat; cùm etiam voto ſe obligaſſet, in omnibus ſe rebus non modò quod Deo placeret ac gratum foret, ſed etiam ea, quæ illi gratiora, magiſque placitura, & ad majorem ejuſdem tendentia gloriam & majoris perfectionis occaſionem ſibi fore intelligeret, facturam. Cujuſmodi votum*, inquit, *nec unquam legi, nec audivi Sanctorum quēpiam emiſiſſe: quod qui nudè concipit, ſi modò ſciat quid faciat, ne apertiſſimum altiſſimæ ac ſingulariſſimæ cujuſdam perfectionis hunc ſignum edere cenſeo: eò magis, cùm, quæ id concipit, conſcientiam adeò haberet anxiam & meticuloſam.* Ribera lib. 4. de vitâ S. M. N. cap. 10.

Reverendus Adm. P. N. Alphonſus à Jeſu Mariâ ſemel ac iterum in Hiſpaniâ Religionis noſtræ Generalis, apertis verbis aſſeverat imitandam quidem eſſe S. Matrem N. Tereſiam promittentem Deo ſemper facere profectiora, non tamen idem vovendo, ſed ſolùm proponendo. R. P. N. *Alphonſ. in Maxim. pern. Tom 2. part. 2. diſc. 5.*

Viden-

Videntur etiam ea quæ scribit Ven. Pater N. Joannes à Jesu Mariâ tantam hujus voti præcellentiam innuere, ut vix ullus mortalium audere debeat illud vovendo sequi. Verba jam dicti Patris hæc sunt: *Inter universa Virginis gesta, maximum, quod in aliâ nullâ Sanctorum historiâ legisse meminimus, fuit votum, quo promisit, se, non grata modò, sed qua Deo gratiora crederet, effecturam. Votum quippe hoc Angelicum & usque ad stuporem planè mirum, nisi ab animo divini amoris flammis excocto, & in Deum peremniter rapto, edi non potuit.*

V.P. N. Ioan à Jes. M. in cōpend. vitæ N. S. M. lib. 4. c. 7.

Accedit insuper opinio Illustrissimi Domini Didaci de Yepes Episcopi Tarraconensis, qui de voto Sanctæ Matris N. sic loquitur: *Per multos annos ad mortem usque votum hoc exolvit & reddidit: Quam veritatem innumeri testes in informationibus Canonizationis ipsius confirmant: qui juramento deponunt, quòd, licet multis annis cum ipsâ tractaverint & etiam convixerint, nunquam tamen imperfectionis aliquid illam committere notaverint. Etenim ex eventu fructuque voti manifestè videbitur, illud à Sanctâ sine particulari consilio & inspiratione Dei non fuisse nuncupatum: & his præmissis hoc votum emittere discretionis fuit atque prudentiæ:*

Vide Chron. Ord. N. lib. 1. c. 30.

tiæ: His quippe ſepoſitis ineptia foret atque præſumptio.

Impulſum quoque ſpecialiſſimum R. P. Franciſcus Ord. N. Chronologus, ut quis prudenter hoc votum æmuletur, & quidem ſæpiùs iteratum, præexigit.

RESP. Dupliciter auctoritates haſce cum doctrinâ quam hîc explicamus poſſe concordari. Nam

1. Dici poteſt Auctores allegatos, cùm innuunt, ordinariè non eſſe vovendum facere ſemper quidquid intelligitur eſſe perfectius, interpretari poſſe taliter, ut hoc votum rejiciant, quando ſic emittitur, ut ad voventem pertineat judicio proprio, quidnam ſit perfectius, determinare: hanc enim determinationem innumeris exponi ſcrupulis autumant. Cum quo tamen benè ſtat conſilium vovendi perfectiora ſic ut non ad voventem, ſed ad Superiorem vel Directorem ſpectet judicio ſuo hanc de perfectione determinationem facere. Et hic eſt modus juxta quem S. Mater N. Tereſia (ſicut anteà retulimus) ſuum etiam votum immutavit. Et quod in ſubſtantiâ non eſt aliud quàm votum obedientiæ perfectæ, cu-

jus

jus commendationem apud Venerab. Richardum invenimus: & cujus praxim adhuc non intendimus hîc ſuadere, niſi votum illud ſic intelligatur, ut reatus culpæ tunc illi ſolummodò ſit annexus, quando per ſcripturam præceptum exhibetur.

§. C. Contra ſolutionem hanc, imò contra totam hujus libri doctrinam, replicari poteſt Angelicum Doctorem obedientiæ perfectæ votum reprobare; dicit enim: *Si quis obedientiam abſolutè voveret in omnibus, eſſet confuſio Religionum, quia idem teneretur ſervare unus quod alter: & ideò votum obedientiæ determinatur ſecundùm certam Regulam.* Hæc ſcribit in 2 ſent. Sanctus Doctor: & in Quodlibeticis eadem ferè verba repetit. Unde formari poteſt argumentum hujuſmodi: Id quod confuſionem Religionum faceret non eſt perfectionis. Sed votum quo quis abſolutè promittit in omnibus obedire faceret hujuſmodi confuſionem: Ergo non eſt perfectionis. Ad hanc replicam

D.Th.in 2.ſent. diſtinc. 44.art. 3.ad 3.

Quodl. 10.*a.* 10.

Resp. Negando conſequentiam, eò quòd S.Doctor in articulo citato ſolùm agat de voto Religioſorum prout nunc promittunt obedientiam: intentio ſiquidem

dem ipsius est ostendere, quòd ex vi talis voti nullus ad perfectam obedientiam obligetur: sic ut Prælatus potestatem non habeat suis subditis omnia quæ vult imperandi: Carthusiano quippe mandari non potest, ut tanquam Dominicanus vacet prædicationi; neque Carmelitæ Discalceato ut tanquam Jesuita vacet lectioni Grammaticæ. Status Religiosus tantùm est tendentium ad perfectionem, votum autem obedientiæ perfectæ congruit statui perfectorum; prout patet ex præmissis: unde si Prælatis inesset potestas quælibet imperandi, votum autem Religiosorum non obliget eos in omnibus obediendi, nunquid manifesta sequeretur & Religionum & Religiosorum confusio?

Quæres autem quid si plures Religiones votum obedientiæ perfectæ nuncuparent essetne propterea Religionum harum confusio? RESP. Non fore confusionem sed unionem vel unitatem: & hujusmodi Religiones omninò diversi generis ab illis quæ modò sunt, futuras, eò quòd in his necessaria foret perfectio consummata vel acquisita, cum tamen sufficiat in illis

illis acquirenda. Patet igitur quòd jam citata Doctoris Angelici doctrina contraria non sit illi, quam ex Venerabili Richardo proponimus : quia scilicet obligatio ad obedientiam perfectam, si prudenter assumatur, confusionem non valet inducere.

Certè si Richardo suadenti præfatam obligationem D. Thomas in citato loco foret contrarius, contrarius foret ipsemet sibi in eodem articulo: Singularem profectò considerationem illa meretur sententia, quâ, postquam docuisset, quòd, *perfecta obedientia est secundùm quam subditus obedit in omnibus quæ non sunt contraria legi divinæ vel Regulæ quam professus est*; apertè profitetur, omnes aliquam saltem ad hanc obedientiam obligationem habere : dicit enim : *Ad hanc obedientiam nullus* TENETUR *debito necessitatis, sed solùm ex quadam honestate, sicut* TENETUR *semper æmulari charismata meliora.* Hac doctrinâ suppositâ, non licet Religioso dicere quòd nullam obedientiæ perfectæ habeat obligationem, quandoquidem ex honestate teneatur ad illam. Nullus honesti cordis obligationem hanc ut frivolam reputabit, sed veritatem ipsius libentissimè confitebitur. Ex

Ex quo concludo, quòd D. Thomas non tantùm doctrinæ Richardi non sit contrarius, sed vix ullam auctoritatem inveniamus, quæ, diligenter examinata, magis illam confirmet. Peto siquidem, an si dictæ jam honestatis obligationi, Religiosi plures vellent satisfacere, vel propter confusionis timorem vel propter aliam causam, possent redargui? Estne tale propositum, vel nimis arduum, vel præsumptuosum, vel periculosum, vel alio quocumque tandem titulo vitiosum? Absit ab honesto corde rem hujusmodi vel perfunctoriè suspicari. Obligatio quæ est ex honestate clarum est, quòd sit honesta; & consequenter laudabilis. Honestum igitur est ac laudabile *votum obedientiæ perfectæ*, per quod nihil fit aliud quàm quòd hęc obligatio magis augeatur. Non video sanè quo titulo negari possit ista consequentia: nisi fortè dicatur absurdum illud, quòd obligatio, per hoc quod augeatur, honestatem amittat.

Huic absurdo certè non favent Constitutiones Ordinis nostri, quæ talia statuunt: *Sic erga Superiores, Christi vicem gerentes, affici* DEBENT, *ut* QUIDQUID *ab eis*

Cõst. O. N. p. 1. cap. 1.

ab eis seu scripto seu verbotenus injungitur, ea mente perficiant, quasi omissio vel repugnantia mortalis esset. Ecce quomodo Constitutiones nostræ, quas Apostolica Sedes approbavit, cum habeant legum auctoritatem, in Religiosis nostris obligationem augeant obedientiæ perfectę. Verum quidem est, quòd statim subnectendo: *Quam perfectionem ut acquirant, præcipimus* &c. Satis indicent, eos non violare legem hanc, qui solum illam adimplendi conatum adhibent. Porrò cum simul etiam innuant, eos omne tulisse punctum qui perfectionem hanc actualiter acquisierunt: consequenter ostendunt ex hujus perfectionis observantiâ vel obligatione, nihil posse mali provenire. Sufficient hæc igitur ad satisfaciendum replicæ, quæ contra primam responsionem ex Divo Thomâ fuerat allata.

§. D. RESPONSIO II. Concordari prætereà possunt Auctores: in hujus capitis principio citati, cum doctrinâ quam defendimus, si distinguamus inter votum faciendi perfectiora quoad substantiam operum & votum eadem faciendi etiam quoad modum: & suadeamus non improbabilem videri

deri ſententiam illorum qui opinantur adeò præcellens fuiſſe votum S. Matris noſtræ, ut illa non tantùm intenderit perfectiora vovere quoad ſubſtantiam, cùm primâ vice votum emiſit, verùm etiam quoad modum: ubi noſter libellus non ulteriorem commendat intentionem, quàm quâ ſumitur obligatio faciendi perfectiora quoad ſolam operum ſubſtantiam. Quod ut intelligatur

Primò notandum eſt idem votum hoc; *Promitto Deo ſemper facere quidquid intelligam eſſe perfectius*, pro intentionis diverſitate, multum poſſe diverſificari: prout in ſimili, de voto Religioſæ profeſſionis ſecundùm aliquam Regulam, D. Bernardus exponit.

Utile non minus quàm jucundum Lectori futurum exiſtimo veritatem hanc ipſiſmet Abbatis Melliflui verbis addiſcere. Poſtquam ergo dixit: *Nemo cùm profitetur ſpondet Regulam, ſed determinatè ſecundùm Regulam*, adjungit: *Hæc profectò hujus temporis omnibus fermè monachis communis profeſſio eſt. Et licet in diverſis monaſteriis, diverſis & obſervantiis Deo ſerviatur: quamdiu tamen ſui quiſque loci bonos uſus ſervat, haud dubiū quin ſecundùm Regulā vivat, quoniam quidem boni uſus à Regulâ non diſcordant.* Bern. de præc. & diſp. c. 20.

dant. Quisquis itaque tenet quod teneri invenerit bonum ubi profitetur, profectò vivit sicut promittit; quia non aliud proculdubiò quisque promittit, quàm quod habere eorum pia videtur vita, cum quibus deinceps vivere disponit & eligit. Quid enim? Nunquid v.g. aut in Majori Monasterio usus Cluniacensium, aut isti fortè illorum ritus, aut verò utrique Cistercientium districtionem litteratoriam profitentur? Attamen omnes secundùm Regulam (S. Benedicti) profitemur. Una quidem orbis ubique promissio, sed quia non una est omnibus cordis INTENTIO, *potest indubitanter sine detrimento salutis, & sine damno professionis, operis quoque non una ubique observatio celebrari.* Sic itaque quamvis plures voveant semper facere quidquid intelligitur esse perfectius: fieri tamen potest, quòd eorum aliquis ad aliquid obligetur ad quod non obligentur alii: quia nimirum aliorum *intentio* fuit obligare se ad perfectiora tantùm quoad substantiam, ipsius verò prætereà quoad modum.

5. E. *Secundò* notandum, intentionem voventis, juxta regulas discretionis ordinarias, debere tantùm cadere super substantiam operum & non super modum, hoc est, super affectionem cor-

cordis interiorem. Sic v. g. non est ordinariè consultum vovere, quòd non tantùm obediet, verùm etiam dulciter, hilariter, aut gratanter obediet. Quia scilicet, quamvis hic obediendi modus majorem sonet perfectionem (prout nobis anteà Richardus insinuavit) quàm cùm tantùm fortiter & viriliter dicitur quis obedire: secundùm ordinarias tamen regulas discretionis ad hunc obedientię modum & ad hanc interiorem cordis affectionem se voto constringere non est expediens. *Hic. 2. lib. cap. 2. §. B.*

Fundamentum hujus doctrinæ Clarævallensis Abbas nobis suppeditat: Postquam enim distinxisset inter charitatem quæ est *in actu* & illam quæ est *in affectu*, suavissimè subnectit: *De illâ quæ operis est, puto datam esse legem hominibus mandatumque formatum. Nam in affectu quis ita habeat, ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, ista in præmium datur. Cujus initium quidem profectumque viam quoque præsentem experiri divinâ posse gratiâ non negamus: sed planè consummationem defendimus futuræ felicitatis.* Interjectis deinde paucis nervosè probat mandata non cadere super affectus, sed super actus. Nam *cùm dixisset* (inquit) *Dominus* Bern. in Cant. serm. 50

nus; *Diligite inimicos vestros*: *mox de operibus infert*: *Benefacite his qui oderunt vos*. *Item Scriptura*: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*: *si sitit, potum da illi*. *Et hîc* (ait) *de actu habes non de affectu*.

Post pauca tandem se latiùs explicat, inquiens: *Neque hoc dico, ut sine affectione simus, & corde arido solas moveamus manus ad opera*. *Legi inter alia quæ scribit Apostolus magna & gravia hominum mala, hoc quoque annumerandum, scilicet, sine affectione*. *Sed est affectio quam caro gignit, & est quam ratio regit, & est quam condit sapientia*. *Prima est quam Apostolus legi Dei dicit non esse subjectam, nec esse posse*. *Secunda quam perhibet è regione consentientem legi Dei, quoniam bona est*. *Nec dubium distare inter contentiosam & consentientem*. *Longè verò tertia ab utráque distat, quæ & gustat & sapit quoniam suavis est Dominus, primam eliminans, secundam remunerans*. *Nam prima quidem dulcis, sed turpis*: *secunda sicca, sed fortis*: *ultima pinguis & suavis est*. *Igitur per secundam opera fiunt*: *& in ipsâ charitas sedet, non illa affectualis quæ sale sapientiæ condîta pingueſcens magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini, sed quædam potius actualis; quæ etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit, amo-*

re

re tamen amoris ipsius vehementer accendit: Non diligamus (ait Joan.) *verbo neque linguâ, sed* OPERE *& veritate. Vides quomodo cautè medius incedit inter vitiosum atque affectuosum amorem, ab utroque pariter hanc distinguens actualem & salutiferam charitatem? Nec linguæ mentientis in hac dilectione recipit fictum, nec rursum afficientis exigit sapientiæ gustum.* OPERE, *inquit, diligamus &* VERITATE, *quòd videlicet moveamur ad benè operandum magis quodam vividæ veritatis impulsu, quàm sapidæ illius charitatis affectu.*

Si divina Sapientia non judicaverit expediens hominibus præceptum charitatis imponere quoad modum, sed tantùm quoad substantiam operis, rectè mihi videtur posse concludi, quòd nec ordinariè sit expediens quoad modum etiam aliqua vovere: quia votum scilicet nihil aliud est quàm lex quædam particularis quam sibi quis ipsemet voluntariè constituit.

Rationem quare non expédiat, ex principio discursûs allegati facilè possumus intelligere, quia nimirum rectè Bernardus ostendit, quòd charitas affectualis, futuræ vitæ sit quasi præmium. Quòd si quis verò diligentiùs advertat, quod ait: *Cujus initium quidem* §. F.

dem profectumque viam quoque præsentem experiri divinâ posse gratiâ non negamus, occasionem habet recolendi pulcherrimam doctrinam illam, quâ D. Salesius nos instruxit, præter tres perfectionis gradus ordinarios, in cujus supremo nihil omninò diligitur nisi in Deo & propter Deum, alium supereſſe magis extraordinarium, in quo præter Deum nihil omninò diligitur & ad quem præter B. Virginem vix Sanctorum aliquis in hac vitâ pervenerit, quæ non tantùm omnia prorsus terrena tam licita quàm illicita contemnebat, verùm etiam perfectiori modo contemnebat: prout conari docuimus illos qui ad perfectionis acquisitę gradum ascenderunt.

Lib. 1. cap. ult.

Libri hujus cap. 1. in fine.

§. G. Verumenimverò si quis jam attentè consideret, quàm justâ ratione liceat conjicere, Seraphicam Virg. Teresiam ad perfectionem charitatis Beatissimæ Dei Genitricis proximè accessisse (ut quæ non tantùm *in* amore, sicut omnes prædestinati, nec tantùm *propter* amorem, sicut martyres, sed *per* amorem etiam sicut Regina Sanctorum vitæ finem imposuerit) aliam adhuc addere conjecturam non improbabili-

Vide Martyrol. etiã in offic. N. S. M.

babiliter videbit licere, quòd nimirum S. N. Mater intenderit, se, dum primâ vice votum emisit, ad extraordinarium hunc perfectionis gradum obligare.

Habeatur itaque tanquam non improbabilis eorum opinio, qui persuasum habentes, hoc votum primitùs ita nuncupatum, altius illud esse judicant, quàm ut quis per ordinarias discretionis regulas hoc debeat æmulari. Quòd si quis tamen reprobandam existimaret doctrinam Richardi Victorini commendantis *votum obedientiæ charitatis*, & consequenter sequelam voti S. Matris N. Teresiæ, secundùm eam quoque formam, secundùm quam ipsa, consulentibus Confessariis, votum suum immutavit, reprobandam illius opinionem fore, non possum non mihi persuadere.

CAPUT XIV.

Satisfit objectioni, quâ dicitur quòd Ecclesia doceat S. Matrem N. *emisisse* votum *suum, Deo consiliante.*

§. A. CUm in officio Romano legamus in lectionibus de Seraphicâ Matre Teresiâ, quòd ipsa voverit *consiliante Deo*, hinc aliqui formant objectionem, quasi non foret expediens absque revelatione quadam speciali vel saltem inspiratione sensibili, semper agendi perfectiora votum nuncupare; prout hoc sanctam Reformatricem nostram feciſſe conjiciunt ex verbis jam allegatis.

§. B. RESPONDEO necessariam non esse reiterationem illarum solutionum quas capite superiori produximus, eò quòd responderi possit breviùs conjecturam hanc non esse fundatam:

datam: Oſtendi ſiquidem ex D. Thomâ poteſt nullum perfectionis opus aliter fieri, quàm *Deo conſiliante.*

Verba Doctoris Angelici profero: *Dicit Auguſtinus in libro de prædeſtinatione Sanctorum, quòd omnes Sancti ſunt docibiles Dei: non quia omnes ad Chriſtum veniant, ſed quia nemo aliter venit:* Unde ſubjungit: *Et ſic Religionis propoſitum à quocumque ſuggeratur à Deo eſt.* Quòd ſi Religionis propoſitum à quocumque ſuggeratur, licet hoc etiam fiat à dœmone (prout ſingulariter in ſequentibus S. Aquinas oſtendit) dici debeat à Deo ſuggeri; ex eo videlicet, quòd propoſitum hoc datum ſit optimum & donum perfectum: omne autem datum optimum & donum perfectum, à quocumque procedat, de ſurſum eſſe dicendum eſt: nunquid ſimiliter in veritate poteſt aſſeri, S. Matrem N. Tereſiam emiſiſſe *votum Seraphicum* edoctam à Deo, licet inſpirationem aliquam ſenſibilem aut ſpecialem revelationem non habuerit? D. Thō. Opuſc. 17. c. 10.

Tepidorum ſe conſuetudo ſic habet, ut, quoties generoſum aliquod opus Sanctorum eis proponitur æmulandum, ad frivolam hanc recurrant excu-

excusationem, quasi non constaret eodem modo factum illud eis quadrare, propterea quòd se nec aliquâ revelatione speciali causentur instructos, nec impulsu vehementiori certificatos, prout Sanctis evenisse sibi persuadent.

Tantamne vos igitur in specialibus revelationibus assecurationem latere creditis, ut illarum directioni vos totos intrepidè potiùs, quàm solidis fidei dictaminibus prudenterque committendos existimetis? Quid ergo, si deliberantibus, utrum obedientiæ perfectæ votum emittere vobis expediat, splendens in cellâ vestrâ quidam lucis radius affulgeret, claraque vox exinde detonaret, Vovete, cum omni securitate votum nuncuparetis, aliàs, fide scilicet instigante vel omissuri vel cum vacillatione processuri? Nolite, quæso, nolite tam exiguam, si fideles estis, de fidei dictaminibus opinionem fovere.

Alioquin non ego vos assimilabo viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: cum enim petra sit Christus sive Deus, & cum illius doctrina per sanctam nobis Scripturam communicata, perque SS. Patres & Ecclesiam explicata, solidum sit solumque

que fundamentum, extra quod nemo aliud, nec revelationes singulares, nec privata cordis sentimenta, debet ponere, qui suæ virtutis firmitatem his tantùm revelationibus & sentimentis cupit innixam, ruinæ sine dubio proximam perfectionis turrim ædificare satagit.

Fides est, seu revelatio communis per Ecclesiæ vocem intimata cordibus nostris, cui si quis acquieverit multò certiùs, multoque securiùs à Deo se doctum poterit in ipso gloriari, quàm si se quodam speciali revelationis instructum privilegio, persuasum habuerit. Ac ob id prudentiùs egerit, si vel unum, *vovete*, per sacros codices, sanctamque Matrem Ecclesiam percipiens, in hoc confisus & in adjutorio Dei votum emiserit, quàm si millenis revelationibus aurem præbens, illarum se directioni commiserit. Revelationibus subesse falsum, subesse deceptio quandoque potest, sed fidei nunquam: & ideò non solet hæc per illas examinari, sed illæ potius secundùm hanc aut approbari, aut reprobari.

Ne quis tamen existimet revelationi potius innitendum speciali, quàm §. C. fidei

fidei dictaminibus in communi propositis, quasi major ex illâ, quàm ex his, certitudo possit haberi; propterea videlicet quia sacrarum litterarum auctoritas generalia solùm quædam proferens dictamina, videtur aliquibus directioni singulorum non esse sufficiens: hoc secum recogitet, quisquis ita sentit, indubitatam adeò directionem adeoque sufficientem omnes & singulos, habentes oculos fidei purgatos, illic invenire, ut ad particularium subsidia revelationum non sit eis recurrendum. Hoc autem se taliter habere, nolo verbis exigui credat homuncionis, sed eminentissimorum virorum scriptis ac monumentis.

Credat imprimis Gregorio Magno, qui hæc verba Prophetæ Job, *Semel loquitur Deus & secundò id ipsum non repetit*, exponens, ita loquitur: *Deus singulorum cordibus privatis vocibus non respondet: sed tale eloquium construit, per quod cunctorum quæstionibus sati facit. In Scripturæ quippe ejus eloquio causas nostras, si requirimus, inveniemus: nec opus est in eo quod specialiter quisque tolerat, responderi sibi divinâ voce specialiter quærat. Discant itaque* (post pauca concludit) *sancti Doctores Ecclesiæ: discant*

Greg. lib. 23. Moral. cap. 8. & 19.

discant & arrogantes, cum intra eam (videlicet Ecclesiam) *laborare quosdam pusillanimitatè conspiciunt, quia in nobis* DEUS *ad verba omnia non respondet*, speciali nimirum revelatione, *quia semel loquitur* DEUS, *& id ipsum secundò non repetit, id est, cogitationibus vel tentationibus singulorum, non jam passim per Prophetarum voces, non jam per angelica officia satisfacit, quia* SCRIPTURÂ SACRÂ QUIDQUID POTEST SINGULIS EVENIRE, COMPREHENDIT.

Credat etiam Vener. Patri N. Joanni à Cruce, qui testamenti veteris & novi, singulariter hanc assignat distinctionem, quòd in eo reprehensibiles erant Sacerdotes, si, cùm aliquid ambiguum occurreret, os Domini non interrogarent, hoc est, ad specialem aliquam revelationem non recurrent; in hoc verò contrarium fiat, eò quòd in omnibus ipsa fides, Ecclesia, Deique ministri, securam nobis, eorum quæ sunt agenda, viam demonstrant. Quàm verò nervosis hanc suam doctrinam rationibus ipse stabiliat, si non gravetur lector inquirere, facillimè dictis, credo, fidem adhibebit. *V. P. N. Io. à Cruce l. 2. Ascens. mont. Car. cap. 22.*

Credat insuper Angelico Doctori, generalem sacræ Scripturæ doctrinam omnes

omnes particulares directiones non aliter in se continere, perhibenti, quàm si Deus ipsemet illas ore suo sacratissimo significaret unicuique: Sic verba Christi quæ in Scripturis dicuntur (inquit) debemus accipere, ac si de ipsius Domini ore audiremus. *Dicit enim ipse Matt.* 18, *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Et Rom.* 15 *dicitur: Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et Chrysostomus dicit: Si tantùm propter illos dicta fuissent, scripta non essent: nunc autem dicta quidem sunt propter illos; scripta verò propter nos. Unde & Apostolus inducens auctoritatem veteris Testamenti, dicit Hebr.* 12. *Obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam. Ex quo patet quòd verba sacræ Scripturæ, non solis præsentibus, sed futuris* etiam *loquuntur.*

D. Thõ. Opusc. 17. c. 9.

Specialiter autem videamus (idem Sanctus prosequitur) *an consilium quod Dominus dedit adolescenti, Matt.* 19 *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, illi soli sit datum vel etiam universis. Quod considerare possumus ex his quæ sequuntur. Cùm enim Petrus dixisset ei: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te,*

uni-

universaliter præmium omnibus statuit, dicens: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. NON MINUS ERGO SEQUENDUM EST HOC CONSILIUM AB UNOQUOQUE, QUÀM SI UNICUIQUE SINGULARITER EX IPSIUS ORE DOMINICO PROFERRETUR. *Unde Hieron. dicit ad Paulinum presbyterum: Tu auditâ sententiâ Salvatoris: Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me; verba vertis in opera, & nudam Crucem nudus sequens, expeditior & levior ascendes scalam Iacob.*

Quamvis autem adolescenti loquens singulariter ad eum verba protulerit, alibi tamen consilium universaliter protulit, dicens: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat Crucem suam, & sequatur me. Ubi dicit Chrysostomus, quòd commune hoc dogma orbi terrarum, proponit: Si quis vult, id est, si vir, si mulier, si rex, si liber, si servus. Unde post pauca suam iterum illationem S. Aquinas repetit, dicens: *Sic igitur consilium adolescenti à Domino datum, est accipiendum, ac si omnibus ex ore Domini proponeretur.*

Ex hoc non dulci minus quàm nervoso Sancti Thomæ discursu, satis illud

illud addiscere possumus, quod in generali per os Psalmistæ dixit ipsa Veritas & Sapientia: *Vovete & reddite*, sic accipiendum esse ab unoquoque tanquam si Deus hoc unicuique diceret in singulari. Unde posito quòd aliquam in speciali revelationem quis se percipere crederet in contrarium, hanc uti spuriam & deceptionem prudentissimè rejiceret: & votum obedientiæ perfectæ nuncuparet: in eo nimirum casu, quo per experientiam congruam didicisset, se pravam imperfectè Domino serviendi consuetudinem non habere, debitamque sui Directoris approbationem intellexisset.

Ps. 75.

§. D. Videntur hæc (inquies) omninò disconvenire cum allegatâ superiùs Episcopi Genevensis doctrinâ, quâ monet, omnia quidem consilia fuisse data pro totius populi Christiani perfectione, sed hæc non applicanda tamen unicuique in particulari. RESP. Quòd omnibus omninò Christianis etiam in particulari (prout jam ex D. Thomâ didicimus) omnia Christi consilia sint proposita sive data, non absolutè tamen, sed conditionatè; si nullum videlicet impedimentum speciale habeant: illis

Lib. 1. cap. 6. §. B.

illis enim qui habent impedimentum hujuſmodi, non eadem conſilia conveniunt: quia ſcilicet obedire debemus *Divinæ voluntati* non minus cùm nos docet hoc vel illo poſito impedimento conſilia generalia ſeponere, quàm cùm docet illa, ſepoſitis impedimentis, practicare.

Cur, quæſo, Corinthiis conſulit Apoſtolus, ut partem ſolummodò poſſeſſionum ſuarum pauperibus erogent, dicens: *Non ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate?* Quia ſcilicet, ut juxta Chriſti conſilium, omnia diſtribuerent, idonei non videbantur? Unde gloſſa: *Non hoc idcò dixit, quin melius eſſet dare omnia: ſed infirmis timet, quos ſic dare monet, ut egeſtatem non patiantur.* 2. Cor. 8. Vide D. Thom. Opuſc. 19. c. 6.

Et in materiâ caſtitatis, perſonis matrimonio junctis conſilia directè contraria per ſacram dari Scripturam animadverto. Unum datur enim ut ſe contineant ſemper, & à complexu carnali prorſus abſtineant: quia dicit Apoſtolus: *Volo* OMNES (adeoque maritatos etiam) *vos eſſe ſicut meipſum*: in caſtitatis integrâ videlicet continuaque cuſtodiâ. Aliud verò datur, ut, abſo- 1. Cor. 7. v. 7.

luto tempore orationis, ad actus ſuos conjugales revertantur: uti ſonant alia quæ ſuper hoc ſcribit idem Apoſtolus, dicens: *Revertimini in idipſum.* Hoc enim illis tanquam conſilium fuiſſe propoſitum, apertè teſtatur S. Franciſcus de Sales. Ex quo patet, quòd, licet maritatis omnibus de caſtitate conſilium detur, hoc ita tamen intelligi debeat: ſi non habeant aliquod impedimentum ſpeciale, infirmitatem v. g. ad continendum. Unde cùm dixiſſet Apoſtolus: *Revertimini in idipſum*, mox addit: *Ne tentet vos Satanas propter* INCONTINENTIAM VESTRAM: *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium.* Infirmioribus ergo prudenter, propter illud ſuæ voluntatis impedimentum, proponitur aliud conſilium, quàm dandum foret eiſdem, ſi magis forent in caſtitatis agone v. g. roborati.

Saleſ. de Amore Dei lib. 8. c. 6.

Si tam diverſa (replicabis) quin & adverſa danda ſint conſilia perſonis eiſdem, ſecundùm diverſas earum diſpoſitiones, nunquid aliqua vel revelatio, vel ſenſibilis inſpiratio requiretur, ut, quidnam hîc & nunc eis aptari debeat, agnoſcatur? Nequaquam. Qualiter agnoſce-

agnoſcetur igitur? Audi breve, ſed non leve documentum: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Unde Chriſtus ipiemet Sacerdotes, ſuos in terrâ Vicarios, inſtituit, & ait: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Ecce quomodo ſecuriſſimè poteſt aliquis à Deo doceri: & ſic edoctam à Deo, votum de perfectione majori feciſſe Virginem Seraphicam, ex Riberâ jam in ſuperioribus admonuimus.

Malach. 2. v. 7.

Luc. 10. v. 16.

Vide hîc l. 2. cap. 9. §. A.

Objicies iterum, inauditam me doctrinam tradere, quando piarum inſpirationum, ad opera virtutis exercenda, nullam eſſe neceſſitatem affirmo. Sed adverte, precor, doctrinam à me traditam nullatenus hoc aſſerere: pias enim inſpirationes ad opera virtutis eſſe neceſſarias, ipſemet indubitanter aſſevero: Sed aliud eſt eas habere, aliud vero ſenſu percipere: primum enim requiritur; ſed qui ſecundum, tanquam *divinæ voluntatis* indicium, ad opera ſua præexigunt, ſemetipſos decipiunt.

§. E.

Multorum etenim hic error eſt, quòd notitiam *divinæ voluntatis*, per motum quendam in animâ ſenſibilem, cupiant accipere: ſic ut ſi nihil ſimile

in parte sensitivâ percipiant, se nescire dicant, quid Deus ab eis optet fieri: Utrum v. g. vitam Religiosam assumant vel non; utrum tale vel tale votum emittant. O quantò rectiùs illi, quantoque securiùs ambulant, qui, quidquid est sensibile totum abnegantes, secundùm regulas nudæ fidei, suas dirigunt actiones satisque se doceri, quid agendum sit, à Deo reputant, si lucernam pedibus suis verbum ipsius habeant?

Nunquid in fide stamus, juxta doctrinam Sancti Pauli, & ambulamus & crescimus? Nunquid omnia opera Dei in fide? Nunquid videmus hæreticos in suis hæreticis exercitiis ex sensibili quadam devotione etiam lachrymari dulciter? Et tamen falsa est hujusmodi devotio, propterea quòd fide careat, licet accepta sit eorum carni, & erroneo intellectui. Quos si Deus convertat, interdum videmus ob ariditates in orationibus, & absentiam consuetæ sensibilitatis ad errores antiquos redire, suamque devotionem sensibilem, velut offas Ægyptiacas, inhianter appetere. Ecce quàm fallax devotio sensibilis.

Patriar-

Patriarcham Isaac per auditionem solam, quâ fides percipitur, veritatem agnovisse, licet in sensibus aliis deceptum, non ignoramus. Nemo sanè se verum vitæ spiritualis alumnum profiteri meritò potest, si fide solâ duci renuens ad affectiones sensibiles adhuc respiciat: spiritualem enim oportet sensibus abrenuntiare. *Genes.* 27.

Hoc nimirum est, ad quod vires intendere monet appositissimè Reverendus Adm. P. N. Thomas à Jesu, Vicarius olim Generalis Ordinis nostri per Belgium & Germaniam, in illo cœlesti libello, cui titulum præfixit: PRACTICA *de la viva fe*: sive, *Praxis vivæ fidei.*

Hoc est, ad quod nos Divus etiam Bernardus aptissimè provocat, quando considerans illa Christi verba, *Noli me tangere*, Magdalenæ dicta post resurrectionem, in hunc modum discurrit: *Meritò carnem redivivam prohibetur tangere mulier, carnaliter sapiens, plus tribuens oculo, quàm oraculo, id est, carnis sensui, quàm verbo fidei.* Et infrà: *Mittitur ergo ad certiorem* (inquit) *fidei cognitionem, quæ utique apprehendit quod sensus nescit, experimentum non invenit. Noli* Bern. serm. 28. in Cantica.

phico non abſtrahet, quòd illud *maximè* vocet *arduum* S. Mater Eccleſia: nec enim per voces illas quempiam ipſa nititur abſtrahere: ſed (ſi Divo Chryſoſtomo ſubſcribimus) attrahere ſubciliùs omnes capacitatem habentes, incitare, animare, promptiores & alacriores efficere: hic enim Sanctus aſſignans rationem, cur Chriſtus, cùm ad caſtitatis æmulationem ſuos vellet provocare, dixerit: *Qui poteſt capere, capiat*; hoc eum feciſſe teſtatur eo fine, *ut* ALACRIORES *efficiat, eo ipſo quod* GRAVE *eſſe opus oſtendit.*

Matt. 19. Chryſ. Hō. 63. in Matt.

Et prudentiſſimè quidem iſtud, quoniam qui generoſo ſunt animo, tantò magis ad faciendū aliquid inardeſcunt, quantò difficilius illud conſpiciunt: *Vir fortis non eſt* (inquit S. Bernardus) *cui non creſcit animus in ipsâ rerum difficultate.*

Bern. Ep. 165.

Præclariſſima quædam ejuſdem S. Patris doctrina jam mihi propemodum exciderat, quam tamen excidere nulli deſiderarem: Ad fratres enim de Monte Dei (quos probabilior opinio fuiſſe Carthuſianos exiſtimat) ita ſcribit: *Altiſſima eſt profeſſio veſtra. Cœlos tranſit, par Angelis eſt, angelicæ ſimilis puritati. Non enim ſolùm*

ſolùm VOVISTIS *ſanctitatem, ſed omnem ſanctitatis perfectionem & omnis conſummationis finem.* Deinde poſt pauca ſubdit: *Magnum eſt hoc,* ARDUUM *eſt hoc: ſed omnipotens & bonus eſt Deus, qui in vobis eſt pius promiſſor, fidelis redditor & indefeſſus adjutor, qui magno ejus amore magna profitentibus, & in fide & ſpe gratiæ ipſius* MAIORA VIRIBUS SUIS, AGGREDIENTIBUS *& voluntatem & deſiderium ſuggerit in idipſum, & qui voluntatis gratiam prærogavit, ſubrogabit etiam virtutem ad proventum.*

§. D.

Undenam verò fiat, quòd ipſa rerum difficultas animum adaugeat, hoc illa nobis Apoſtoli verba ſignificant: *Cùm infirmor tunc potens ſum.* Etenim quantò magis homo fidelis impares eſſe conſpicit vires ſuas ad eximium opus aliquod peragendum, tantò ferventiùs ad Deum ſibi cognoſcit eſſe confugiendum, ut cœleſtes ab eo gratias, quibus confirmetur, obtineat. Hujus autem bonitatem dum talis videt eſſe conditionis, ut pro quantitate noſtrarum miſeriarum, dum ad eum recurrimus, abundantiam ſuarum effundat miſericordiarum & gratiarum, eò magis opus, ad quod Deus invitat, benè ſucceſ-

2. Cor. 12.

esse majoris perfectionis, si negare contenderem, ipsi contra me starent sacri codices; cum enim dicant, primò: *Si quis putat se Religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est Religio*: secundò, *Linguam nullus hominum domare potest*, inde sequi videtur, quòd homini non ardua tantùm, sed impossibilis omninò sit Religio: quantò magis ipsa Religionis perfectio?

Jac. 1. v. 26.

Jac. 3. v. 8.

Quid igitur, an omnis perfectæ Religionis est abjiciendus conatus? Absit. Non enim hoc inde congruenter infertur; sed potius ut ad protectionem Domini confugiamus; sicut ait Psalmista: *Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem*. Et hæc est optima consequentia, quam S. Augustinus non ignoravit, quando scripsit: *Ergo intelligamus, charissimi, quia si nullus hominum linguam domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es: linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem ab ipsis bestiis, quas domamus. Equus non se domat; camelus non se domat; elephantus non se domat*, &c. *sic & homo non se domat. Sed*

Ps. 89. v. 1.

Aug. de verb. Dom. serm. 4.

ut

ut dometur equus, bos, camelus, elephantus &c. *quæritur homo. Ergo Deus quæratur, ut dometur homo.*

Pulcherrima ſunt quibus eandem proſequitur materiam S. Pater, ad quem, ſi placuerit, lectorem remitto. Noſtræ brevitati ſufficit percipere, quòd non debeamus animo cadere, licet arduum aliquid, aut etiam impoſſibile ſuo modo dicatur: ſed excitari potius inde, quatenus ad eum recurramus ex quo eſt omnis ſufficientia noſtra, qui non ſufficientes ſumus cogitare, multò minus facere aliquid ex nobis, tanquam ex nobis. 2. *Cor.* 3. v. 5.

Etenim qui habitat in adjutorio Altiſſimi & in protectione Dei cæli commoratur, exultat in Domino, dicens: *Suſceptor meus es tu & refugium meum, Deus meus, ſperabo in eum.* Ut quid enim? *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient:* ſic ut mutatâ fortitudine, ea quæ viribus propriis erant maximè ardua, participatis à divinâ virtute viribus, efficiantur maximè facilia. Pſ. 90. v. v. 2. Iſa. 40. v. 31.

Generoſas igitur & in Domino veraçiter confidentes animas à *voto Seraphico* §. C.

me tangere, inquit, hoc est, dissuesce huic seducibili sensui, innitere verbo, fidei assuesce. Fides nescia falli, fides invisibilia comprehendit, sensus penuriam non sentit. Hæc & plura Bernardus.

Huic ergo si quis docenti credat & monenti: *Innitere verbo, fidei assuesce*: præter hoc verbum: *Vovete & reddite*, nihil est quod prætereà requirat; non speciales aliquas revelationes nec sensibiles etiam affectiones.

Majorem omninò perseverantiæ spem ille præbet, qui, in totali rerum sensibilium nuditate, docentem, vovendi consilium, per oraculum fidei, Deum auscultans, vovendo se non hæsitat obligare, quàm alius, qui sensibili quadam devotionis suavitate inescatus, hoc ipsum facere deliberat: eò quòd hic, hac escâ deficiente, faciliùs etiam deficiet; ille verò, eâdem semper doctrinâ stante, stabit immobilis.

Videri poterit quid in simili materiâ scribat Hieronymus Platus, dum, lib. 3 *de bono statu Religiosi*, capite 26, respondet ad eos, qui dicunt se non posse cognoscere Dei vocationem.

CAPUT

CAPUT XV.

Quamvis Ecclesia doceat & experientia, quòd votum Teresianum maximè *sit* arduum, *hoc tamen non obesse declaratur.*

§. A.

PLurimi sunt qui recantare non cessant *votum Seraphicum*, ipsâmet experientiâ suffragente, per Ecclesiæ vocem apertè nominari *maximè arduum*: sic ut ipsius arduitas meritò timeatur.

Vide Brev. Rō. in off. S. Ter.

§. B.

RESP. Non esse timendum hîc à voti, de quo loquimur, arduitate, sed à vovere timentium pusillanimitate: timor enim qui ab arduitate procedit, si pusillanimitate non corrumpatur, à vovendo nullatenus abstrahit: sed ad eum qui vult & potest auxilium ferre, properare compellit: ut, cum ejus gratiâ, ponamus in arduis nidum nostrum.

Arduum & quidem maximè votum esse

ſucceſſurum credit, quò minus ſuas ſufficientes ad hoc eſſe vires animadvertit.

Igitur quantò magis aliquid arduum ſeu difficile reputatur naturæ, tantò minus arduum minuſque difficile reputari debet gratiæ. Unde ſequitur ulterius, quòd ſicut arduum eſt naturæ quidem vovere præcepta, magis arduũ determinata quædam vovere conſilia, maximè tamen arduum eſt ſic vovere cuncta ut nihil unquam omittatur eorum, cum advertentiâ plenâ, quæ Deo ſciuntur eſſe gratiora: Sic è contrario gratiæ ſatis eſt facile vovere præcepta, ſecundùm quod apud Joannem legimus: *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt*: magis autem facile determinata quædam conſilia: ſed maximè ſuper omnia facile, tali modo quo diximus univerſa.

1. Joan. 5. v. 3.

§. E. Stupenda res eſt, quòd inter Chriſtianos non paucos invenias, qui, licet Chriſtus ad hoc præceptis conſilia ſuperaddiderit, ut illa per hæc fierent magis facilia, hanc ipſam conſiliorum obſervantiam, tanquam ſi difficilior eſſet, ſuggillent. Sed audiant tales, obſecro,

ſecro, quid de hoc ſentiat D. Thomas: utrum videlicet obſervantiam præceptorum per obſervantiam conſiliorum aggravari judicet vel facilitari.

Poſtquam oſtendiſſet hic S. Doctor in præceptis charitatis Dei & proximi, Chriſtianam conſiſtere perfectionem, dixiſſetque quòd ad hæc duo præcepta charitatis, omnia alia præcepta & conſilia, tanquam ad finem, ordinentur, ita ſubnectit: *Aliter tamen ad præcepta charitatis ordinantur alia præcepta legis, aliter autem conſilia. Ad finem enim aliquid ordinatur, ut ſine quo finis haberi non poteſt: ſicut cibus ad vitam conſervandam: aliquid verò ordinatur in finem, ſicut per quod* & FACILIÙS *& ſecuriùs & perfectiùs finis obtinetur: ſicut ad vitam corporis conſervandam ordinatur cibus ex neceſſitate, medicina verò conſervativa ſanitatis, ut perfectiùs & ſecuriùs ſanitas habeatur. Primo ergò modo ad charitatem ordinantur alia legis præcepta; nullo enim modo poteſt præcepta charitatis implere, qui vel alios Deos colit, per quod diſceditur à Dei dilectione: vel qui homicidium aut furtum committit, quæ dilectioni proximi adverſantur. Secundo autem modo ad charitatem ordinantur conſilia:* ut per ea ſcilicet charitas *&* FACILIÙS *& ſecuriùs & perfectiùs obtineatur.* Au- D. Thom. Opuſc. 17. c. 6.

Audiant tales etiam omninò pulcherrimam, quam, ad idem explicandum, similitudinem adducit S. Bernardus. Hic enim postquam dixisset, quòd, *in viâ vitæ quò citiùs, eò* FACILIÙS *curritur, & leve Salvatoris onus quò crescit amplius eò est portabilius*, hæc adjungit: *Nonne & avicolas levat non onerat pennarum sive plumarum numerositas ipsa? Tolle eas, & reliquum corpus suo pondere fertur ad ima. Sic disciplinam Christi, sic suave jugum, sic onus leve, quo deponimus eo deprimimur ipsi: quia portat potius quàm portatur.*

Bern. Ep. 341.

Ac proinde consequenter ita loquitur: *Onerosa alicui videtur silentii disciplina? Sed Propheta magis robur, quàm onus esse considerans, ait: In silentio & spe erit fortitudo vestra. In silentio, inquit, & spe: quia bonum est præstolari Dominum in silentio. Enervat quippe animam præsentium consolatio, roborat expectatio futurorum. Benè ergo feciſtis, charissimi, addere aliquid ad priorem silentii regulam, quod nimirum prædicto attestante Prophetâ cultus justitiæ est. Benè ergo feciſtis alienando vos magis ac magis ab actibus sæculi hujus, quæ est munda & immaculata religio. Modicum quippe fermentum, Fratres, totam massam corrumpit: & musca morien-*

morientes exterminant oleum ſuavitatis. Quid prodeſt tanti corporalis pariter & ſpiritualis laboris atque exercitii fructum, viliſſimâ aliquâ conſolatione, imò deſolatione, minus acceptabilem fieri, aut certè & peiùs litari? Quantum internæ conſolationis dulcedinem & gratiam viſitationis divinæ, præpedit hujuſmodi nugarum vapor ad modicum parens?

Præſertim nos Monachi, quorum certè velnus nolimus in labore vita eſt, planè miſerabiliores ſumus omnibus hominibus, ſi pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim inſipientiæ, imò quid inſaniæ eſt, ut qui majora reliquimus, minora cum tanto diſcrimine teneamus.

Poſſetne dici religioſius aliquid aut efficacius ad oſtẽdendam voluntatis humanę cum *voluntate divinâ* totalem conformitatem, ad quam *votum Seraphicum* obligat, eſſe non tantùm poſſibilem, verùm etiam facillimam, ac aliquo prætereà modo neceſſariam. Quantum verò ſtudium perfectionis hujus adferat utilitatis ex eodem Sancto Patre poſſumus addiſcere, qui poſt citata ſic diſſerit: *Agite ergo, dilectiſſimi, & in his quæ cœpiſtis ſoliciti eſtote perſeverare & abundare magis: ut augeantur indies incrementa frugum juſtitiæ veſtræ. Etenim qui parcè ſeminat,*

minat; parcè & metet. Et certè modicum seminis incrementum, non modica messis multiplicatio est.

§. F. Omnibus his, quæ jam dicta sunt, unum hoc argumentum adjungam, quo probem illis qui in adjutorio Domini prudenter confidunt (prout omnes confidere convenit) *Teresianum votum* non esse nimis arduum. Videlicet; Si votum istud nimis arduum esset vel hoc proveniret ex eo, quòd excederet vires humanas, per ordinarium gratiæ concursum roboratas, ipsam perfectionem obedientiæ facto complere; vel ex eo, quòd easdem vires ita fortificatas excederet, hoc ipsum vovere: Sed neutrum dici potest, Ergo &c.

De primo satis apertas in primo libro demonstrationes exhibuimus, cùm perfectionem omnimodam, quantâ potuimus vivacitate, depinximus. Et certè si hoc nimis arduum foret removeri deberet ab oculis Christianorum perfectissimum illius exemplum, de quo legimus, quòd sit *factus obediens usque ad mortem, mortē autem Crucis.* Conticere Philip. 2. deberet S. Bernardus, nec ad illimitatæ praxim obedientiæ provocare, dicens:

cens: *Is sit terminus obedientiæ qui & vitæ.* O si gustare vellent mortales quid non tantùm non difficultatis, sed etiam suavitatis in obedientiâ lateat amorosâ, viderent sanè non frustra dictum ab Augustino: *Verus amor non sentit amaritudinem: quia soror amoris est dulcedo.* *Bern. de præc. & disp. c. 9.* August. lib. 13. Confess.

Quàm non coactam exhibere medicis obedientiam cogit amor sanitatis?

Ut corpus redimas ferrum patieris & ignes,
Arida nec sitiens ora lavabis aquâ.
Ut animo valeas quidquam tolerare negabis:
At pretium pars hæc corpore majus habet. Ovid.

Adolescens quidam in Hollandiâ fuisse scribitur, qui per hoc, quod puero fracta tibia malè fuisset curata, claudicabat: propter quem defectum cùm repulsam tulisset à quadam suæ conditionis filiâ, quam procabatur, peritissimum quendam chirurgum adiit, monstrataque tibiâ, petiit an spes aliqua foret eam ita reficiendi, ut amplius non claudicaret. Finis quidem, chirurgus ait, possibilis est, sed media tantoperè sunt ardua, ut non sit tanto digna dolore salus. Cui protinus adolescens: Modò tu finem speres, ego media quæcumque despicio. Opus igi- *Catz. Trouringh*

tur aggredere. Curando juveni vincula chirurgus adhibere parat : sed ille respuit : & amoris solius vinculo constrictus ita curationem toleravit, ut & gressus rectos, & quam deperibat filiam, obtinuerit.

Sapienter profectò D. Augustinus : *Novimus quanta ipse amor faciat, plerumque etiam ipse amor reprobus atque lascivus* : Undè monitum hoc subjicit: *Considerate quantum laborent omnes amatores, nec sentiunt quòd laborent; & tunc ab eis plus laboratur, quando à labore quisque prohibetur.*

August. Tō. 10. in c. 16. Matt.

Quoad secundum verò punctum, quòd videlicet non sit nimis arduum obedientiam amorosam vovere, nulli sanæ mentis dubium esse potest; cum non tantùm ad ea quæ quis fideliter exequi proponit, promittenda, facilis omninò sit humana conditio, sed in ea non infrequenter etiam, quæ nunquam cogitat exequi, promittenda, prorumpere soleat : & experientiâ constet, quòd homines promittant facilè montes aureos & vix argenteos præstent.

CA-

CAPUT XVI.

Ad opprobrium de novitate *vel* ſingularitate *reſponſio.*

§. A. QUamvis jam docentem aliquoties audiverimus, ex ore Domini Joannis de S. Paulo Epiſcopi Sabienſis, Divum Bonaventuram, quòd *ſi quis intra Evangelicæ perfectionis obſervantiam & VOTUM ipſius dicat contineri aliquid NOVUM, aut irrationabile, vel impoſſibile ad obſervandum, contra CHRISTUM Evangelii Auctorem blaſphemare convincitur:* muſſitantes tamen audio neſcio quos, & objicientes, quòd *votum obedientiæ perfectæ* ſit novum; quòd ſit approbatus & Eccleſiæ praxi, & Auctoritate Sanctorum modus quo voveri ſolet obedientia determinatè ſecundùm Regulam. Unde temerarium exiſtimant hoc *obedientiæ charitatis votum* emittere.

§. B. RESP. I. Quòd objectio talis aliquam haberet apparentiam, ſi mea foret illa doctrina, quam hîc exhibeo:

verùm cum eam à quingentis jam, & amplius, annis, Venerab. Richardus à S. Victore tradiderit, quomodo, precor, hoc tempore, vocari nova poterit?

RESP. II. Venerabilem Bedam auctoritate suâ, nec non etiam ratione, cavillationem eorum satis evertere, qui propterea votum hoc reprobant, quod vix aliquid hujusmodi factum in codicibus reperiant. Audiamus attentè doctrinam ipsius: *Solent Gentiles qui contra Ecclesiam maledicta scripsere, imprœperare nostris, quòd non habuerint plenam fidem Dei, quia nunquam montes transferre potuerint* (cum tamen Christus dicat: *Habete fidem Dei. Amen dico vobis: quia quicumque dixerit huic monti: Tollere & mittere in mare; & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei*) *Quibus respondendum est: Non omnia scripta esse quæ in Ecclesiâ gesta sunt, sicut de factis ipsius Christi & Domini nostri Scriptura testatur.*

Beda. lib. 3. Cōmēt. in Marc. cap. 11.

RESP. III. *Quamvis Sancti Patres illum modum approbaverunt; non tamen istum reprobaverunt: Et ideò non est præsumptuosum hunc modum sequi. Aliàs nihil de novo posset institui quod non fuerit antiquitùs observatum.*

Si

Si quis fortè pruritum habeat arguendi contra talem reſponſionem; litiget cum Angelico Doctore, ſicut draco cum Archangelo Michaële, nam ipſius illa ſunt verba quæ protuli. Si non diſplicet ejus hæc doctrina procedamus ad ea quæ ſubdit: *Nihilominus tamen* (ait) *iſte modus antiquitùs à multis Sanctis fuit approbatus etiam in Eccleſiâ primitivâ.* Hæc ſunt Divi Thomæ verba, defendentis paupertatem in communi, per Sanctum Dominicum & S. Franciſcum ipſius tempore noviter introductam: quæ & ego mihi pro defenſione *voti Seraphici* non ineptè forſitan applicavero.

§. C.

Verumtamen ut à Capite ſumamus initium: de Chriſto Salvatore noſtro diſertiſſimè probat R. P. N. Placidus à S. Tereſiâ, quòd ipſe ſtatim ab inſtanti ſuæ conceptionis, votum perfectionis emiſerit: non quidem ad firmandam voluntatem ſuam in bono; ſed ut omnes ipſius actiones elevarentur ad perfectionem religionis.

P. Placid. Chriſtus patiens c. 6.

Et huic opinioni ſatis apertè favet D. Chryſoſtomus, qui cenſet Chriſtum appellatum fuiſſe Nazarenum, non ſolùm ideò (ut quidã ajunt) quòd

Chryſoſt. Hom. 4. ex Var. in Matt.

in civitate Nazareth habitaverit per multos annos: sed propterea maximè, quòd instar Nazarçi seipsum Deo consecravit. Idque confirmat auctoritate Prophetæ Regii, psallentis: *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Iacob.*

Ps. 131. v. 2.

Clariùs adhuc loquitur S. Isidorus: Christum enim Jephte liberatori Israëlis assimilans, qui propter votum Deo nuncupatum filiam virginem immolavit: *Omnia humanæ salutis* (inquit) *Sacramenta tanquam juratus explevit, & quasi filiam, ita carnem propriam, pro salute Israëlis Domino obtulit. Iurasse enim Patri ac vovisse Unigenitum legimus; Psalmo dicente: Sicut juravit Domino, votum vovit* &c.

Isid. in lib. Jud. cap. 7.

Eandem veritatem agnoscit S. Petrus Damianus, cujus hæc sunt verba: *Ipsum Vnigenitum Dei filium jurasse Patri ac vovisse scimus, attestante Psalmistâ, qui ait: Sicut juravit* &c.

Pet. Dã. serm. 2. in dedic. Eccles.

Addamus jam dictis unum ex modernis præcipuum, videlicet Suarez. Hic etiam expressè docet, *Christum primo instanti conceptionis suæ, se voto consecrasse Deo, ad redimendos homines: & in hunc finem omnes actiones ac passiones vitæ suæ voto obtulisse.*

Suar. in 3. p. qu. 40. art. 3. disp. 28. sect. 2.

Quamvis ergo D. Thomas asserat, quòd

quòd *Christo secundùm se non competebat vovere, tum quia Deus erat, tum etiam quia in quantum homo habebat voluntatem confirmatam in bono*: Hoc tamen sic intelligendum est, quòd neget in Christo omnimodam rationem voti, utpote qui non indiguerit voluntatem aliquo vinculo in bono confirmare: cum quo benè stat, quòd illud habuerit secundùm illam rationem ejus præcipuam, quòd elevet humanos actus ad cultum Religionis. Quapropter & ipse D. Thomas alibi dicit expressè, *fuisse votum Christi, ut se daret pro salute fidelium: ipse enim vovit in quantum homo.* Si Christus vovit in quantum homo, quis vel cogitare præsumat ejus votum inferioris fuisse perfectionis, quàm fuit illud quo se devinxit S. Mater N. Teresia?

D. Th. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3.

D. Th. in Ps. 21.

Quoad Beatissimam Virginem, quòd ipsa quoque non caruerit *voto Seraphico* sufficienter mihi probare videtur illa passim recepta Maxima: *Quod alicui Sanctorum fuit collatum, non est credibile Sanctissimæ Virgini fuisse negatum.*

§. D.

De Apostolis ait D. Thomas, quòd illi *intelliguntur voviſſe pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus*

nibus sunt secuti. Quia verò secuti sunt modo tantoperè perfecto, ut hoc fidelibus, tanquam summæ perfectionis exemplum, proponi soleat, & non videtur eorum votum inferioris fuisse perfectionis quàm fuerit ipsa sequela, concludere debemus, eos voviſſe pertinentia ad statum perfectionis acquisitæ: præsertim cum & illos fuisse primos Episcoporum & Episcopis hujusmodi perfectionis obligationem cõpetere, nemo dubitet.

Confirmat hanc doctrinam Sancti Patris Augustini sententia, qui Christo quadrare probans hoc prolatum Davidicum, *De stercore erigit inopem*, ita loquitur: *Stercus unde* Christus *erectus est, rectissimè intelliguntur persecutores Iudæi: in quorum numero cum se dixisset Apostolus Ecclesiam persecutum: Quæ mihi, inquit, fuerunt lucra, hæc propter Christum damna esse duxi: nec solùm detrimenta, verùm etiam stercora existimavi esse, ut Christum lucrifacerem. De terrâ ergo suscitatus est supra omnes divites ille pauper, & de illo stercore erectus est supra omnes opulentos ille inops, ut sedeat cum potentibus populi, quibus ait: Sedebitis super duodecim sedes. Et sedem gloriæ hæreditatem dans eis. Dixerant enim potentes*

Augusſt. Tom. 5. de civit. Dei lib. 17. c. 4.

tentes illi, Ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te: HOC VOTUM POTENTISSIMI VOVERANT. *Sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuò dictum est: Dans* VOTUM *voventi?* Patet igitur Apostolos fuisse devinctos voto sequendi Christum; hoc est, illi non in aliquibus tantùm sed in omnibus obediendi, conformiter ad ejus intentum quem dixisse legimus: *Magister, sequar te* QUOCUMQUE *ieris.* Matt. 8. v. 19.

Fateor quidem solam esse conjecturam, si quis velit Apostolis votum Seraphicum adscribere: verùm cum ex eo quod fuerint Episcopi certum sit eos acquisitæ perfectionis obligationem habuisse, parum interesse crediderim, an obligationem hanc per votum, an aliter contraxerint.

Idem etiam opinandum de non-nullis eorum saltem, qui vitam Religiosam absque certâ vel determinatâ Regulâ sunt professi; sicut in Ordine nostro per aliquot sæcula factum fuisse non controvertitur. Peto siquidem an temporibus illis, aliquid supererogatorium, hoc est, supra Regulam, cum nulla foret adhuc Regula, dici potuerit; vel an tunc in aliquo casu dicere licuerit:

licuerit : Non ſum ad hoc vel illud obligatus ? Si reſpondeas affirmativè, propterea quòd nemo cenſendus erat ſe voluiſſe obligare ſupra id quod communis aliorum vita continebat: inſtabo, quòd hoc ipſum continebat, ut id communiter omnes æmularentur, quod ſciebant eſſe perfectius. *Noſſe tantùm volebant* (audivimus in ſuperioribus è Reverendo P. N. Generali, nempe Philippo à Sanctiſſimâ Trinitate) *quid majoris eſſet perfectionis in Majoribus æmulandum : nec neceſſarium erat obligationis opera inculcare.*

Lib. 1. c. 16.

§. E. Prætereà vix eſt credibile, poſt conditas etiam Regulas, aliquos non intendiſſe votum ſuum *ad omnia*, quæ præciperet obedientia, extendere: præſertim cum diceretur eis: *Non voviſtis ſolùm ſanctitatem, ſed omnis ſanctitatis perfectionem, & omnis conſummationis finem.* Nunquid proclive ſatis eſt credere, ſaltem aliquos eorum quibus à Doctore Mellifluo talia ſcribebantur, perſuaſiſſe ſibi, nihil omninò poſſe perfectionis occurrere, cui per ſuam profeſſionem non forent aſtricti ?

Bern. ad frat. de monte Dei.

Quid, quod idem S. Abbas alibi dicat verbis apertis: *Omnes obedientiam ſimpli-*

ſimpliciter & ſine exceptione promiſimus? Quod ideò dicit, ut urgeat obedientiam non dividere, quaſi liberum foret aliquid eorum quæ præcipiuntur, expletis aliis, omittere. Bern. ſerm. 2. de S. Andr.

Sed petes, quomodo concordent hæc S. Bernardi verba cum aliis quæ citavimus c. 2 præſentis libri, videlicet: *Is qui profitetur ſpondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam; ſed determinatè ſecundùm Regulam?* §. F.

RESP. I. Quòd de voto Regularis obedientiæ loqui poſſimus dupliciter: uno modo ſecundùm rigorem ſcholaſticum; alio modo ſecundùm perfectionem. Hanc etenim diſtinctionem nos docet R. P. N. Alphonſus, olim in Hiſpaniâ bis Generalis, qui poſtquam dixiſſet, quòd ſubditi, per votum obedientiæ, ſint obligati obtemperare in omnibus quę nec apertè ſunt peccaminoſa, nec poteſtatem aut juriſdictionem Prælati ſuperant, adjungit: *Hoc ultimum intelligi debet ſecundùm obligationem obedientiæ in omni rigore: nam ſi loquamur ſecundùm quod perfectio requirit, & ſecundùm quod illa debet in Religionibus, quæ ſeriò perfectioni vacant, exerceri, quinam ſint voti noſtri limites attendere, vel intra illos* R. P. N. *Alphonſ. Max. pernic. Tom. Tom. 2. p. 2. diſc. 1. §. 2.*

los nos continere, non oportet. Ad quod ſtabiliendum auctoritatem Sancti Bernardi profert monentis : *Non vult Regula, nos in obediendo menſurâ eſſe contentos profeſſionis, non attendere promiſſi debitum, non de pacto ſumere modum, ſed tranſire alacriter etiam votum, & obedire in omnibus.*

RESP. II. Quòd S. Bernardus ideò forſitan uno loco loquatur aliter quàm alio, quia loquitur aliis. Non enim caret omni fundamento conjectura, quæ ſuſpicatur inventos fuiſſe nonnullos illo tempore, qui *votum obedientiæ perfectæ* nuncupaverint : Fundamentum conjecturæ ſuppeditat Richardus, cum dicit : Pene omnes, *cùm ad Religionem venimus, obedientiam cum determinatione promittimus :* Aut fruſtra ſiquidem ponitur illud, *penè*, aut aliqui tunc fuerunt Religioſi qui promittebant obedientiam abſque determinatione.

Vide c. 2. hujus libri.

§. G. Etenim, ut unde fuimus digreſſi redeamus, neſcio ſanè cur pluribus adeò novum appareat, obligationem accipere perfectionis acquiſitæ, cum certum ſit omnibus Epiſcopis & Prælatis hanc obligationem competere. Triplex in Eccle-

„ Ecclesiâ ſtatus invenitur: quorum „ primus eſt (ut Lezana loquitur) „ conjugatorum, qui vitam commu- „ nem & adimpletionem præceptorum „ exigit: & ſecundus Religioſorum, „ qui ad perfectionem tendere, conſi- „ liaſque Evangelica ſectari profitentur: „ & tertius Epiſcoporum ſeu Præla- „ torum, qui perfectionem conſum- „ matam & in facto eſſe debent ha- „ bere.

Lezana in Summâ Tom. 1. t. 1.

Habent autem hanc obligationem (teſte Cajetano) non aliter quàm ſi voviſſent, quamvis non habeant votum formaliter. Ecquis igitur improbare poterit, quòd Joannes v. g. poſt congruam probationem & approbationem, ex devotione particulari, non quidem in facie Eccleſiæ, ſed coram Deo promittat à Maximis acquiſitæ perfectionis de induſtriâ non recedere? Vel quis ut novum exſibilet, quod ſuo nos exemplo Chriſtus & Apoſtoli & plures alii docuerunt?

Cajet. in 2. 2. qu. 184. a. 5.

Non immeritò certè Claræ-vallenſis Abbatis illud hîc applicavero: *Hæc novitas non eſt novella vanitas. Res eſt antiquæ Religionis, perfectæ, fundatæ in Chriſto, antiqua hæreditas Eccleſiæ Dei, à tempore Prophetæ-*

Bern. ad Frat. de monte Dei.

phetarum demonſtrata, ab ipſo Domino celebrata, ab ejus diſcipulis ipſo præſente concupita.

§. H. Ad intentum noſtrum conducere mihi non parum videtur apologetica defenſio, quam Sancti Patris Dominici filius omninò Religioſiſſimus R. P. Dominicus Bannez in favorem primæ fundationis à S. Matre N. Tereſiâ factæ pronuntiavit: cujus antequam verba recitem, advertendum eſt, Gubernatorem Abulenſem, contra fundationis hujus erectionem primò per viam facti proceſſiſſe, & eandem penitus evertere ſtuduiſſe: maturiori verò poſteà conſilio per viam juſtitiæ quærens intentum perficere, præcipuos Civitatis tam Regulares quàm ſeculares convocaſſe. Hos itaque, cùm eſſent in unum congregati, quantâ potuit eloquentiâ movere fuit conatus, ut ſententiæ ſuæ ſubſcriberent, eo præcipuè titulo, quòd non ſit æquum *novitates* aliquas introducere.

Vide Chron. Ord. N. lib. 1. c. 45. Quàm verò ſapienter objectionem hanc ſupradictus Bannez refutaverit audiamus: *Novitatis arguit erectam* (inquit) *fundationem Dominus Gubernator: hanc autem ego non inficior, & apertum eſt ignorans*

rans vulgus tales ex hac agitationes in ſpiritu perpeſſum fuiſſe quales ordinariè conſuevit. Æquitas porrò non patitur, ut eædem locum etiam in Concilio Virorum tam prudentiâ quàm gravitate ſpectatiſſimorum inveniant: nec enim univerſa NOVITAS *eſt vitioſa. Nunquîd* NOVÆ *fuerunt olim omnes omninò Religiones? Nunquid omnes omninò reformationes, quas continuò cernimus, vocari* NOVÆ *ſuo tempore potuerunt? Nunquid ipſa* NOVI *Teſtamenti Eccleſia* NOVAM *à Chriſto formam accepit?* Ipſum profectò Salvatorem, quòd *novitates* introduceret, & antiquas Patrum traditiones non obſervaret, Judaica pravitas redarguere non erubuit. *Nihil ſanè poſſet jam conſtitutis adjungi, ſi vanus de* NOVITATE *timor, manum deberet retrahere. Id quod pro majori gloriâ divinæ Majeſtatis introducitur, & morum reformatio, nec inventio, nec* NOVITAS *debet appellari: ſed antiquæ potius virtutis* RENOVATIO. *Etenim ſi nec arbores* NOVÆ *ſint appellandæ, quia novis in vere floribus veſtiuntur: nec ſol opprobrio ſimili debeat affici, quia quotidie renaſcitur; ob quam, oro, cauſam* NOVITATIS *argui debet languentis Ordinis inſtauratio? Quid argui potius debet in Ordinibus, an quòd relaxentur, an quòd reſtaurentur? Si nobis primum*

mum displicet, cur non placet secundum? Si Novitas *vitium est, dum virtutem oppugnat, gloriæque divinæ fulgorem obfuscare satagit, pro hujusmodi verè debet haberi. Carmelitarum Conventus recenter fundatus instituti prorsus antiqui reformationem prætendit, & restaurationem illius quod cecidit in magnum hujus sanctæ Religionis augmentum & Christianæ plebis ædificationem. Ob hanc itaque rationem omni favore potius foveri debet Conventus ille; & præcipuè quidem convenit ut illi prosint quotquot præsunt.* Cessent igitur etiam arguere voti Seraphici *novitatem*, quorum non immeritò possemus arguere vanitatem & vetustatem.

Satisfaciendum adhuc supereſt illis, qui *singularitatis* vitium in *Seraphico* latere *voto* contendunt. Abundè porrò satisfactum sibi confitebuntur, qui cum attentione perpendunt ea, quibus Joannes Niderus Dominicanus illis respondet, qui Reformationem Religiosorum inter deformatos oppugnant, ex eo, quòd hujusmodi Reformatores se pandant *singulares*. De similibus autem objectoribus ait præfatus Auctor: *Se pandunt esse aut malevolos aut ignorantissimos.* Singularitas *enim prout importat vitium,*

Vide Lezan. cōsult. 44.

quemad-

quemadmodum asserit *S. Thomas* 2. 2. *qu.* 162. *art.* 4. *ad* 4, *& habet à B. Bernardo, quidam est gradus superbiæ. Quia quintus humilitatis gradus est, tenere quod communis Regula Monasterii habet, cui opponitur* SINGULARITAS: *per quam scilicet aliquis sanctior vult apparere aliis.*

Unde subnectit idem perfectionis amator: *De* SINGULARITATIS *vitio non debet notari, qui super alios opera supererogationis in victu vel amictu exercet, nisi faceret illud propter jactantiam vel superbiam, ut se cæteris præferat: quia sic esset vitium superstitionis, ut dicit S. Thomas* 2. 2. *Si autem hoc facit, inquit, propter maceratio-nem carnis vel ad humiliationem spiritûs, ad virtutem temperantiæ pertinet. Vnde Augustinus dicit lib.* 3. *cap.* 6. *de Doctr. Christ. Quisquis restrictiùs rebus prætereuntibus utitur quàm habeant mores eorum cum quibus vivit, aut intemperans aut superstitiosus est. Et ita per omnia dicit Bonaventura lib. de perfect. Evang. cap.* 12. *In cujus rei evidentiam primo Dialogorum refert B. Gregorius: Cùm inter sæculares in Alpibus convivans S. Honoratus nollet carnes comedere purus existens sæcularis & de* SINGULARITATE *à sodalibus corrigeretur, exivit mancipium volens aquam haurire per situlam, quam in*

montibus ,. ubi consueverunt homines audire de piscibus, non eos videre, intravit piscis miraculosè; qui ad sancti viri plura posset valere prandia. Per quod CERTE DOMINUS APPROBAVIT SINGULARITATEM *supererogationis & temperantiæ, non singularitatem superstitionis & superbiæ.*

Ex quibus apertè jam convincitur (infert præfatus Author) *nullum reformationi* (& idem est de *voto Seraph.*) *benevolum censeri debere* SINGULAREM *aut* INVENTOREM NOVITATUM: *quia se sæculo conformare volentes Religiosi tepidi, & Patrum contemnentes sancita vetera, potius* SINGULARES *sunt vocandi.*

Si quis contendat hoc ipso quo *votum Seraphicum* emittitur, incurri vitium singularitatis, quomodo precor ab illo vitio Seraphicam Virginem excusabit? An accusabit igitur etiam Vener. Matrem Joannam Franciscam Fremiot, de cujus *voto Seraphico* jam anteà fumus locuti?

Et quodnam, obsecro, formabit judicium de Vener. P. N. Thomâ à Jesu, de quo tale manu-scriptum, erectionem Deserti nostri prope Namur-» cum referens, inveni? Inter alia he-» roica facinora quibus nostram sacram

» Reli-

„ Religionem Carmelitarum illuſtra-
„ vit Ven. P. N. Thomas à Ieſu, è
„ civitate Biaticenſi nobili genere oriun-
„ dus, magnoperè reſplenduit funda-
„ tio noſtræ ſacræ Eremi in ſylvâ
„ Marlanicâ: quæ, tanquam humanam
„ induſtriam & operam omninò ex-
„ ſuperans, meretur, ut poſterorum
„ memoriæ commendetur. Et ut ip-
„ ſam altiùs & quaſi à principio au-
„ ſpicemur, notandum duxi Ven. P.
„ N. inter alias excellentiſſimas ſuas
„ virtutes tantoperè exarciſſe deſiderio
„ perfectionis, *ut emiſerit votum ſe nun-*
„ *quam omiſſurum facere aliquam actionem,*
„ *quam putaret eſſe vel ad majorem Dei glo-*
„ *riam, vel animarum profectum, vel ad re-*
„ *gularis obſervantiæ augmentum.* Videbat
„ igitur clariſſimè hæc omnia tria in
„ erectione hujus eremi concurrere &c.

Si *votum Seraphicum* à ſingularitatis vitio non poſſit alienum eſſe, victus non victor in conflictu cum dæmone fuit, quando tentatus in obedientiæ materiâ, *votum obedientiæ perfectæ* nuncupavit Ven. Pater Nicolaus à Ieſu Mariâ Ord. Noſtri, notiſſimus undique per Apologiam auream, quam contra quendam Anonimum Theologum, quem

ipse credidit hæreticum & quæ veraciter est propugnaculum omnium Religionum, in lucem edidit.

R.P.N. Philipp. Decor. Carm. p. 3. f. 81.

Etenim Reverendus Adm. Pater N. Philippus, modò Generalis, hæc in commendationem præfati Religiosi profert ex Epistolâ quadam Provincialis Poloniæ: *Cùm vehementer à dæmone contra obedientiam ac Superiorem, quem tunc habebat, tentationibus ac repugnantiis infestaretur, in ipso summo tentationis fervore ac periculo, seipsum & tentationem strenuè superans votum particulare emisit obedientiæ ipsi Superiori cum quo habuit repugnantiam, obligando se voto tendere ad perfectionem obedientiæ singulari studio quotidie; specialiterque* FACIENDI QUIDQUID TALIS SUPERIOR EI DIXISSET. Ac per hoc etiam in perfectione sive perfectè vel modo perfectorum proficiendi.

Aliud adhuc votum non ad perfectiorem solùmmodò tendentium sed perfectorum ab eodem Vener. Patre nuncupatum R. P. N. Generalis indicat, quo nimirum promisit *inimicos diligere*. Etenim cum D. Thomas doceat, quòd inimicorum dilectio sit aliquid ad perfectionem, videlicet acquisitam, consequens, non videtur hoc votum

D. Thom. 2. 2. qu. 186. art. 2.

emitti

emitti posse nisi contrahatur obligatio perfectionis acquisitæ. Da manus igitur & fatere *Seraphicum votum* singularitatis vitium non secum trahere.

Hoc fateor, inquies, cùm de Religiosis agitur: verùm si de personâ non Religiosâ fiat sermo, nullum hîc (ut arbitror) exemplum adducere poteris. An ergo nunquam legisti librum, cui titulus; *Decor Carmeli Religiosi*, compositum à Reverendo Adm. P. N. Philippo à Sanctissimâ Trinitate Præposito jam Generali? Narratur in hoc libro parte 3 fol. 29 vita Ven. Matr. Mariæ Annæ à Sanctissimâ Trinitate, quæ scribitur *votum emisisse renuntiandi solatio omni, tam humano quàm etiam divino, faciendi quæque & patiendi quantum crederet amori Christi complacere, quamvis extremum esset tormentum.* Post quæ verba subnectit Reverendus Adm. P. N. allegatus: *Fuit fidelissima in hujus voti observantia.* Per quam ab obedientiæ perfectæ cultu non abductam fuisse conjecturare possumus, ex illius erga virtutem hanc amore tanto, ut adhuc juvencula *voverit* (secundùm præfati Patris relationem) *obediendi tam Confessario quàm suæ matri.*

Fuit quidem illa Venerab. Mater Monialis noſtra, ſed in hoc ſtatu non erat quando votum ſuum nuncupavit. In quonam igitur? Ipſa Reverendi Adm. Patris N. Generalis verba proferam. *Cùm ſub directione V. P. N. Petri à Matre Dei vidua quædam nobilis de domo Cotta, nomine Lucretia, degeret, ejus conſiliis ſalutaribus decrevit ſe amplius divino mancipare obſequio; & indies majorem in perfectione progreſſum faciens, inſpiratur divinitùs plures viduas ſimul congregare, quæ ſub eodem tecto in piâ Congregatione, non quidem Religiosâ, Domino deſervirent: Et quamvis hoc primariò pro viduis inſtituiſſet, admiſſæ tamen poſteà fuerunt piæ Virgines.*

„ *Anno Domini* 1601 *die* 7 *Martii, S. Thomæ Aquinati ſacrâ, cœpit hæc pia Congregatio viduarum & Virginum fieri in domo conductâ ſecus Eccleſiam Sanctæ Mariæ trans Tyberim, & ſequenti menſe Novembri ad earum ſocietatem admiſſæ ſunt prædictæ tres Hiſpanæ viduæ (Mariana videlicet noſtra, cum ſuâ matre cui nomen Agnes, & aliâ quadam nobiliori Domina Hiſpalenſi) quæ Lucretiam Fundatricem agnoverunt, dum noſtrarum Monialium Diſcalceatarum Sancti Ioſeph Monaſterium viſita-*

„ visitarent, cujus iterato sæpè colloquio no-
„ væ Congregationis & modi vivendi noti-
„ tiam habuerunt, & suam in eâ receptio-
„ nem concluserunt.

„ Brevi numerus viduarum & Virginum
„ divinâ crevit benedictione, ita ut 20 sub
„ curâ Lucretiæ degerent, quæ tanquam su-
„ perior illas gubernabat. Vitam sic laudabi-
„ lem & devotam instituerunt, quòd potius
„ Angelorum chorus, quàm Congregatio mu-
„ lierum appareret; in perfectione ac rigore
„ vivendi perfectissimas æmulabantur Religio-
„ sas, ad quarum statum in multis erat desi-
„ derium, & solus deerat habitus: Modus
„ vivendi idem erat ac nostrarum Monia-
„ lium Carmelitarum, ex directione P. N.
„ Petri & Confessariorum ex nostris; easdem
„ orationis, silentii & solitudinis horas regu-
„ lariter observabant: maximos pœnitentiæ
„ rigores libenter assumebant, supra nudam
„ dormiebant tabulam summo mane surgebant
„ ad orationem, admodum parcè manduca-
„ bant, singulis diebus festis & Dominicis &
„ quintis feriis communicabant, aliquæ ta-
„ men frequentiùs: Quotidie in proximâ S.
„ Mariæ Transtyberinæ Ecclesiâ ultimam au-
„ diebant Missam, quam Canonici piè con-
„ currentes earum devotioni determinato tem-
„ pore celebrabant. Ab esu carnium penitùs

„abstinebant, jejunium per 8 fermè menses „observabant, & vix panem ad sufficientiam „edebant. Postquam exercitiis pietatis satis„fecerant, in communi laborabant, ut vi„ctui necessaria providerent: sed tunc vel of„ficium Beatissimæ Virginis, vel ejusdem ro„sarium, vel Psalmos Pœnitentiales, vel quid „simile recitabant: si quid autem aliquando „deesset, lætanter patiebantur, considerantes „Christum, qui cùm dives esset pro nobis „egenus factus est.

„Sed inter has emicabat Ven. Mater „Maria Anna, cujus vitam scribimus, quam „V. P. N. Petrus cæteris præfecerat & præ„sertim Lucretiæ, ut spiritum nequam (quo „possessa erat) reprimeret.

„Iam à multo tempore Mariana cum sociis „Virginibus & viduis, devotione S. M. N. „Teresiæ mota, & Patrum nostrorum exem„plo persuasa, renovati Carmeli Monialis „effici desiderabat. Nullum adhuc in urbe „Româ Monialium instituti nostri erat sub „Ordine monasterium, imò nec Patres nostri „ullum volebant, & à Summo Pontifice „Clemente VIII. prohibitionem fundandi ob„tinuerant. Instabat tamen Mariana cum „sociis apud Deum & apud V. P. N. Petrum, „urgebatque talis Monasterii erectionem, & „tandem suarum precum vidit effectum pau-

„latim

„ *latim ad maturitatem productum : nam*
„ *V. P. Petrus ipsius & sociarum perseveran-*
„ *tiâ convictus suasit, ut introductam pridem*
„ *formam vivendi, Monialium nostrarum in-*
„ *stituto valdè similem, continuarent primi-*
„ *tivam Carmelitarum Regulam observantes :*
„ *promittens, quòd his vitæ Religiosæ præ-*
„ *ludiis ad intentum finem Religiosi status*
„ *cœlesti benedictione pervenirent. Consilio tam*
„ *sancti Patris exequutionem sui desiderii pa-*
„ *tienter expectantes, Deoque commendantes*
„ *tam perfectum vitæ modum juxta Carmeli*
„ *Regulam assumunt, ut à nostris Monialibus solo habitu & votis Religiosis distinguerentur, & omnes essent admodum perfectæ.*

Postquam deinde narrasset R. P. N. Generalis, quomodo Vener. P. N. Petrus has Christi famulas suâ directione Religioso statui Carmelitano disponebat in virtutum exercitio, in contemplationis studio &c. commemorat votum V. Matr. Mariæ Annæ, quod suprà posuimus : & interjectis deinde non paucis exponit, quomodo, post novem elapsos in hac formâ piæ Congregationis annos, Carmeli Reformati Religiosæ fuerint consecratæ ; latis per hoc indicans, eam emisisse *votum*

tum Seraphicum antequam ad ſtatum Religioſum aſcendiſſet. Ac proinde licet inferre, quòd hujuſmodi votum etiam ab aliis, quàm à Religioſis, poſſit emitti laudabiliter.

CAPUT XVII.

Quòd votum Seraphicum *nullo modo ſit* præſumptuoſum.

§. A. INter cæteras diaboli technas, quibus incautas ſolet animas decipere, & ne quid generoſi, confidentes in Domino, moliantur, abſtrahere, non ultimam eſſe crediderim eam, quâ tanquam humilitatis amicus, ſub hujus prætextu virtutis, perſuadet eſſe præſumptuoſum, id, quod in ſtudio perfectionis eminet, audere ſectari. Hanc autem eminentiam cum *voto majoris perfectionis* ineſſe labor illi non ſit oſtendere, mirum non eſt, quòd aliquas interdum animas hac arte deludat. Sed capiamus vulpeculam hanc parvu-

parvulam, quæ tam magnum ſtudet bonum impedire, tam magnum vineis noſtris damnum adferre.

§. B. RESP. igitur, radicem erroris hujus in hoc præſertim conſiſtere, quòd magnanimitatem non pauci cum humilitate ſibi perſuadeant eſſe incompatibilem: in quo tantopere falluntur, ut D. Thomas tanquam ſi forent inſeparabiles has virtutes ſimul conjungat: ſic ut nec ſine humilitate magnanimitas, nec ſine magnanimitate humilitas poſſit eſſe perfecta. Verba Sancti Doctoris ſunt: *Circa appetitum* BONI ARDUI *neceſſaria eſt duplex virtus. Una quidem quæ temperet & refrænet animum ne immoderatè tendat ad excelſa. Et hoc pertinet ad virtutem* HUMILITATIS. *Alia verò quæ firmet animum contra deſperationem magnorum, ſecundùm rationem rectam: Et hæc eſt* MAGNANIMITAS. D. Th. 2. 2. q. 161. art. 1.

Igitur ad excelſa tendere malum non eſt, niſi cùm fit *immoderatè*, hoc eſt, abſque humilitate: quoniam ipſa modus eſt, qui ſi præſens fuerit, erectos ad ſidera vultus tollere, & oculos ſuos homini convenit ad montes levare: quia auxilium ejus à Domino, qui fecit cœlum & terram.

Amat

Ter. in vitâ suâ cap. 13.

Amat & quærit divina Majestas animas generosas (ait generosissima Fundatrix nostra) *modò cum humilitate ac sine ullâ de seipsis confidentiâ & præsumptione procedant. Nec vidi unquam* (faxit Deus ut quisquis hoc legit intelligat) *aliquam harum in viâ deficere, ita ut progredi non posset: uti nec aliquam pusillanimem ac subtimidam, etiamsi humilitate donatam, tantum, in multis etiam annis, progressum facere, quantum illæ aliæ in paucis. Mirum profectò est quantoperè hac in viâ juvet sese ad magna & sublimia aggredienda exstimulare: nam etsi sat magnæ vires statim non habeantur, anima nihilominus se sustollens, sublimè admodum evolat: tametsi subinde instar aviculæ non benè plumatæ defatigetur, & alicubi in terrâ hæreat. Aliàs illud Apostoli Pauli sæpiùs ante oculos & in mente habebam, omnia nimirum nos posse in Deo.*

Post pauca deinde subdit eadem Virgo Seraphica: *Humilitas nobis est semper præ oculis habenda, quâ monente discamus hanc nos virtutem & robur à nobis-ipsis non habere. Sed ante omnia noverimus oportet, qualis hæc humilitas esse debeat: crediderim enim diabolum, iis, qui orationi sese dant, omne, quoad potest, damnum inferre, ne insignem in illâ progressum faciant; efficiendo nimi-*

nimirum ut malè de humilitate ſentiant, dum ſcilicet illis videtur eſſe ſuperbia, ſublimia & generoſa quædam deſideria habere, ac viros ſanctos æmulari & ad martyrium aſpirare velle.

§. C.

Semper indubiè de ſeipſo præſumere malum eſt: neſcio tamen quì fiat, quòd animas generoſas (quas Deum ſpecialiter amare ſtatim ex N. S M. Tereſia didicimus) propter ſuam quoque præſumptionem non deſerat, ſed per defectus aliquos veram eas humilitatem edoceat, & ad tam ſublimem poſteà, quàm ſolidam evehat perfectionem Dominus.

Saleſ. diſcurſ. 11.

De quodam Sancti Pacomii diſcipulo refert D. Saleſius, quòd, cùm opportunè importunè facultatem peteret, quærendi occaſionem alicujus Martyrii, diſponente Deo, Saraceni prope Monaſterium, cujus erat alumnus, apparuerint. Mittitur itaque diſcipulus ille, capitur, torquetur, deficit: &, uti Petrus olim, Chriſtum abnegat. Magnus profectò caſus, non ad ruinam tamen, ſed ad doctrinam. De ſimilibus enim verificatur id quod legimus: *Cùm ceciderit non collidetur; quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Item illud: *Diligentibus*

Pſ. 36. v. 24.

Rom. 8. v. 28. *gentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* ita ſcilicet ut ex ipſis etiam tenebris ſplendeſcere lumen Deus faciat: ſicut etiam contigit adoleſcenti noſtro, qui per ſuum caſum magnanimitatem abjicere quidem non didicit, ſed humilitatem adjungere: quatenus duabus alis volare conſueſceret, ac requieſcere.

Horatium quondam ceciniſſe memini (ſi non fallor)

Horat. de arte. *Ingenio fieret laudabile carmen an arte*
Quæſitum eſt: Ego nec ſtudium ſine divite venâ
Nec rude quid poſſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amicè.

Amicè ſimiliter conjurare videntur humilitas & magnanimitas; in tantum, ut, ſicut magnanimitas ſine humilitate non eſt vera, ſic humilitas ſine magnanimitate ſit ſpuria.

§. D. Perappoſitam hujus doctrinæ nobis declarationem ſuggerit S. Epiſcopus Genevenſis, quando tam humilitatem quàm abnegationem aliaſque virtutes hujuſmodi vocat *mediatrices*: eò quòd illis tanquam finibus inhærere non deceat, ſed per illas tanquam per media congruentia, ad divinam unionem accedere. Quapropter acutè monet Apoſto-

Saleſ. Entretien. 2.

postolo non fuisse satis ut doceret exuere sive *deponere veterem hominem*, alioquin in nuditate remanendum putaret aliquis: ac ob id adiecisse: *Induite novum hominem.* Eph. 4. v. 22. Vers. 24.

Sic se quisque prudenter quoque debet odisse, non ut in illo sui odio sistat, sed ut per illud ad amorem Dei perveniat. Qui semetipsum, ut convenit, cupit mortificare, non in ipsâ debet mortificatione sedem figere, sed per ipsam ad meliorem vitam, id est, divinam, gradum facere; secundùm illud Apostoli: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Gal. 2. v. 20. Semper quidem abnegare debet homo quod est, sed eo fine, ut perveniat ad id quod non est: sic & semetipsum debet exinanire in humilitate, ut exaltetur Deus in magnanimitate: & sicut homo descendere debet ex consideratione suæ fragilitatis, sic idem debet ascendere ex contemplatione divinæ potestatis.

Id quod olim Dominus humillimam Virginem Teresiam docuit, etiam nobis prodesse potest: ipsa siquidem hæc à Deo se verba testatur audivisse: *Hæc est* VERA HUMILITAS, *ut cognoscat anima, quid ipsa possit & quid ego*: ita scilicet Ter. in supplen. ad vitam suam.

cet ut ex agnitione propriæ imbecillitatis non alta sapiat, & tamen per cognitionem divinæ virtutis, alta capiat.

Quænam fuit unquam major humilitas, quàm illius quæ licet Deo per virginitatem placuerit, ex humilitate tamen concepit? Et nihilominus hæc eadem tantæ fuit magnanimitatis, ut ad ipsum Æterni Patris Verbum, in utero concipiendum, se disponere non subterfugerit. Unde suaviter (uti solet) D. Bernardus: *Hic magnus* (inquit) *divinæ respectionis extitit fructus. Ineffabili siquidem artificio spiritûs, superveniens tantæ humilitati magnanimitas tanta in sacrario virginei cordis accessit: ut quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem. Sed cùm in suâ æstimatione tam esset humilis, nihilominus & in promissionis esset credulitate magnanimis: ut quæ nihil aliud, quàm exiguam se reputaret ancillam, ad inscrutabile sacramentum nullatenus se dubitaret electam; & veram Dei & hominis Genitricem crederet mox futuram.*

Bern. de verb. Ap. cap. 12.

§. E. Ex his quæ dicta sunt hactenus inferri potest, neminem propterea de seipso præsumere dicendum esse, quòd magnanimiter aspiret ad alta, quòd sanctè

sanctè vivere statuat & generosè *voto* se *Teresiano* devinciat, si modò suam ad hoc implendum insufficientiam humiliter agnoscens ad auxilium Dei confidenter festinet.

Cogitate nos posse sanctas esse (monialibus suis ait Mater Seraphica) *si ad hoc, Deo auxiliarem manum à parte suâ apponente, nosque juvante, serio connitamur. Nolite timere ut ipse in culpâ sit ac deficiat, si ipsæ in culpâ non simus & deficiamus. Cum autem aliam ob causam huc non venerimus, operi* (*prout ajunt*) *manum apponamus. Nihil excogitemus* (notentur ea quæ dicit attentissimè) *nihil*, inquit, *excogitemus quo quidem Deo serviri posse putemus, quin firmiter* PRÆSUMAMUS *& speremus, mediante ejus gratiâ, nos id posse adipisci. Talem animositatem &* PRÆSUMPTIONEM, *hac in domo, reperiri vellem. Hæc & humilitatem facit crescere, & sanctam præterea suggerit audaciam. Deus enim fortes & animosos juvat, nec personarum acceptor est.* Ter. in viâ perfect. cap. 16.

Ausim dicere, quòd, qui *votum Seraphicum* emittit, non solùm magnanimitatis, sed humilitatis etiam actum præclarissimum faciat: non tantùm per hoc, quòd de propriâ diffisus potentiâ superiori se virtuti committat, ut

voluntas infirma ſuam à Deo firmitatem accipiat; ſed per hoc etiam, quod de propriâ diffiſus ſcientiâ conſulenti Deo ſimpliciſſimè credat.

Etenim poteſt is qui vovet obedientiam amoroſam ita ſecum diſcurrere: Divina bonitas & ſapientia conſulit ut voveamus, ac proinde præcipuè voveamus id quod ei præcipuè gratum eſt: cumque nullum ſit dubium obedientiam amoroſam, in quâ me jam per annos aliquot, cum ipſius gratiâ, exercui, ſpecialiter ei placere: non inquirere præſumam utrum ſit bonum Dei conſilium, ſed intellectum in obſequiũ fidei captivando, licentiâ Directoris obtentâ, votum obedientię amoroſæ nuncupabo. Quid hîc ſuperbiæ latet, quid præſumptionis?

§. F. Utrum meliùs ac humiliùs ille faciat, qui vocantem ad egregia facta Dominum audire renuit, vel ille, qui de conformandâ voluntate ſuâ *divinæ voluntati*, tam in hoc voto nuncupando, quàm in aliis, non ambigit, ex doctrinâ S. Franciſci de Sales apertè ſatis eruere poſſumus. Super illa ſiquidem Iſaiæ verba: *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſive in*

Iſa. 7. v. 11.

in excelsum supra, Regis Achaz hanc responsionem considerans, *Non petam & non tentabo Dominum*, exclamat: *O nequam! Magnam erga Deum simulat reverentiam, & sub humilitatis specie subterfugit ad gratiam aspirare, quam illi promittere Dominus non dedignatur. Sed quid? An nescit, cùm suis nos charismatibus intendit locupletare, acquiescere nolle, esse superbiæ? Quòd Dei dona, ne nos ea refugiamus, astringant? Et quòd humilitatis sit obtemperare, &, si non assequi, sequi saltem (quantum patitur exiguitas nostra) quæ desiderat Deus?* Salesius Introd. p. 3. c. 5.

Post hæc ita discurrit ad intentum nostrum: *Desiderium est divinum, ut simus perfecti nos illi conjungendo, quantumque valemus eum imitando. Superbus qui confidit in se, habet sanè, cur nihil audeat attentare. Humilis autem tantò magis assurgit in magnanimitate, quantò minus in suâ confidit infirmitate: & quò magis se credit miserum, eò magis erigit animum, propterea quod illius fiducia tota non aliter est quàm in Deo, qui super infirmitate nostrâ suam gaudet omnipotentiam exaltare: & in miseriâ nostrâ suam clarificare misericordiam.* Sit igitur quicumque voluerit superbè humilis, mihi magis ille probatur qui studet esse humiliter superbus.

Verumenimverò nimis insaniunt, qui confitentes non esse præsumptionis aut superbiæ *votum Seraphicum* nuncupare, nolunt tamen hoc ipsum approbare, eò quòd illud emissum posteà superbiendi daret occationem. Quasi verò qui gratiam dedit cum humilitate votum emittendi, negaturus sit gratiam post votum superbiæ vitium evadendi. Si propter vanæ gloriæ tentationem à bonis operibus expedit abstinere, & quandonam, vel quænam, obsecro, pietatis opera conveniet exercere?

Accedit, quòd is, qui majorem vovet perfectionem, ad hoc suas se novit vires præsertim intendere debere, ut quantò cupit esse major, humiliet se in omnibus: & quò majus cogitat ædificium exstruere celsitudinis, eò fodiat profundius fundamentum humilitatis. In hoc autem si solicitus fuerit, satis intelliget quomodo debeat imitari Paulum dicentem: *Si mente excedimus, Deo; si sobrii sumus, vobis*: quomodo, inquam, procul in exilium Catonis frontem pellere debeat, & flendo cum flentibus, ridendo cum ridentibus, quantum fieri potest in omnibus proximo condescendere.

2. Cor. 5. v. 13.

Fas

§. F.

Fas mihi sit unum hîc adhuc notabile momenti præcipui superaddere: quòd videlicet anima non possit actum veræ contritionis elicere nisi veraciter sit parata facere quidquid intelligit esse perfectius: actus enim veræ contritionis tantæ generositatis esse debet ut actum perfectæ charitatis includat: ita scilicet ut quis omnia peccata sua detestetur, non ex timore supplicii vel propter spem præmii vel propter aliud simile quodcumque motivum, nisi tantùm ex purâ dilectione Bonitatis infinitæ.

Vide Concil Trid. sess. 4. c. 4.

Sanctum Franc. de Sales hnic doctrinæ mirabiliter faventem invenio, vel potius eam apertè tradentem: postquam enim generositatis indolem exposuisset, adjungit: *Defectu generositatis huius, valdè pauci fiunt actus veræ contritionis, quia postquam nos humiliavimus & ruborem nobis ipsis incussimus coram Divinâ Majestate, per infidelitatum nostrarum ingentium considerationem, ad actum solidæ confidentiæ non accedimus animando nos eâ certitudine seu securitate, quâ credere debemus Divinam Bonitatem suam nobis gratiam non denegaturam, ut imposterum ei simus fideles & ipsius dilectioni perfectè magis cor-*

Sales discurs. 5.

respondeamus. Post actum hunc confidentiæ sequi deberet in nobis immediatè generositatis actus, ita nimirum loquentibus : Cum mihi certissimè, constet quòd mihi gratia Dei non deerit, illud etiam volo credere, quòd non permittet ut ego desim gratiæ.

Sed objicies (idem Sanctus prosequitur) *si ego desim gratiæ illa mihi vicissim deerit. Non contradico. Hoc itaque concesso, quis, dices, mihi spondebit quòd ego post-hac gratiæ non deero, cum ante hac ei toties defuerim? Respondeo, quòd generositas impellat animam ut intrepidè dicat & absque timore: Nequaquam ; Divinæ gratiæ nullo modo era infidelis amplius: Et cum in corde suo resolutionem sentiat nunquam relabendi, quidquid intelligit seſe Deo posse gratiorem efficere, nihil excipiendo, nihilque timendo, viriliter aggreditur: dumque nihil non aggreditur, omnia se posse confidit, non ex seipsâ, sed in Deo, in quem totam suam jactat fiduciam: & hinc* OMNIA *quæ mandantur illi* VEL CONSULUNTUR AGGREDITUR ET EXEQUITUR.

Si generosè procedens & magnanimiter agens, jactando totam suam in Deum fiduciam, non tantùm exequitur *omnia* quæ mandantur illi, verùm etiam quæ consuluntur, non erit præ-

sump-

ſumptionis vitium, exequi conſilium de *voto Seraphico*, ſed generoſitatis potius & magnanimitatis indicium.

§. 6.

Omnia (replicare poſſet aliquis) huc uſque dicta ſatis illud evincunt, humilitati contrarium non eſſe *propoſitum obedientiæ perfectæ*: verùm cum ex præmiſſis pateat, quòd *votum* hujus obedientiæ quadret ſtatui perfectionis, non acquirendæ, ſed acquiſitæ; quòd non ſit *incipientium* vel *proficientium*, ſed *perfectorum*; conſequens videtur etiam, illud, humilitate ſalvâ, non poſſe nuncupari. Quia nimirum verus humilis ſe deteriorem ſemper aliis æſtimat & omnibus poſtponit & ſe vix audet inter *proficientes* numerare, cum ſe credat ſemper tantùm incipere. At ille qui votum hoc vult emittere debet ſe meliorem aliis exiſtimare, quia debet exiſtimare, quòd ipſe jam acquiſierit perfectionem illam, pro cujus acquiſitione cæteris adhuc laborandum eſt. Unde videtur in corde quaſi dicere: *Non ſum ſicut cæteri homines.*

Resp. primò: Si præſumptionis foret ſe cogitare, per Dei miſericordiam, *perfectum* & aſcendiſſe gradum perfectionis acquiſitæ, damnandi forent om-

nes, qui vitam ſolitariam eligunt, nec deberent homines ad eam provocari: quòd tamen à ſanctis Patribus & præſertim à D. Hieronymo factitatum invenimus. Conſequentia probatur: quia docet, cum ſententiâ communi, S. Thomas, quòd vita ſolitaria non ſit *incipientium* vel *proficientium*, ſed eorum ſolummodò qui ſibi ſufficiunt, id eſt, *perfectorum*.

D. Th. 2. 2. q. 188. art. 8.

Unde ſi me premas, objiciendo: *Seraphicum votum* emittenti *citò ſubrepit ſuperbia, & ſi parumper jejunaverit putat ſe alicujus eſſe momenti*; ne tibi perſuadeas per hoc opprimi veritatem quam defendo: nam & hæc D. Hieronymus eadem de ſolitudine pronuntiat; quando ſcilicet eam vel *incipientes* vel *proficientes* volunt incolere. Quando verò de *perfectis* eſt ſermo, hîc applicari poſſunt *voto Seraphico*, quæ de ſolitudine citatus etiam Doctor ſubdit. *Quid igitur* (inquit) *ſolitariam vitam reprehendimus? Minimè; quippe quam ſæpè laudavimus: ſed de ludo monaſteriorum hujuſcemodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant; qui ſpecimen converſationis ſuæ multo tempore dederint; qui omnium fuerunt* MINIMI *ut primi omnium fierent.*

Hieron. Ep. 4. ad Ruſt.

rent. Tales requirit mores S. Hieronymus, ut solitudinem quis convenienter incolat: tales etiam à me requiruntur, ut *votum Seraphicum* SERAPHICE nuncupetur.

RESP. secundò: Quòd argumentum simile formari posset etiam contra votum Religiosæ professionis. Quia cum dubitari non possit, plures esse, qui propter vitiosos habitus hîc & nunc hujusmodi voto sunt inidonei (prout patet ex illis quæ cap. 9 diximus) si quis tale votum emittat, existimare debebit se pluribus illis esse meliorem: adeoque votum etiam humilitati contrarium emittet. Hujus verò conclusionis ineptiam cur quæso rejicimus? Quia videlicet necessarium non est, quòd votum Religiosæ professionis emissurus, se reputet aliis, qui non sunt capaces, meliorem. Recumbere potest adhuc, imò debet, in loco novissimo: quod facilè confitebitur qui benè perpendit cap. 8. l. 1.

Quamvis nemo præsumere debeat turrim perfectionis ædificare, votumque Religionis emittere, nisi priùs sedens computaverit, & invenerit, quòd sumptus habeat sufficientes ad perfi-

cien-

ciendum: benè tamen cum hoc poteſt conſiſtere, quòd, qui ſufficientiam hujuſmodi, largiente Deo, ſe videt accepiſſe, non tantùm humiliet ſe propterea quòd à perfectione longiùs adhuc abſit: ſed etiam propterea quòd tantò majorem eſſe videt ſuam ingratitudinem, quantò divinis beneficiis minus dignè correſpondet. Ita ſimiliter emiſſurus cum prudentiâ *votum Seraphicum*, licet videre debeat ſe profectum etiam in gradu conſummatæ perfectionis feciſſe; magnam tamen, imò majorem aliis, habet ſe profundiùs humiliandi rationem: quia primò ſcit, quòd cùm creſcunt dona rationes etiam creſcunt donorum: deinde quò quis magis in perfectione proficit, eò ſibi plura deeſſe cognoſcit: & ideò comprehendere nequeunt qui ad perfectionem acquiſitam necdum pervenerunt quantoperè ſibimetipſis diſpliceant & quàm abjectè de ſe ſentiant illi, qui pervenerunt; quia ſcilicet concipere vix poſſunt, quomodo, qui per Dei miſericordiam ſe vident profectum in perfectione feciſſe, videre ſimul valeant nihil eſſe quod profecerunt; illius nimirum comparatione, quod adhuc deeſt.

Ad

Ad evitandam obscuritatem ex hoc, quòd aliquando *votum Seraphicum* dicatur esse *perfectorum*, aliquando verò *proficientium*; breviter hîc admoneo, quòd in primâ locutione vocentur omnes *perfecti* qui *Seraphicum propositum* efformarunt: ad quod propositum quando recenter accedit aliquis, tunc in illo tantùm inter *incipientes* reputari potest, usque dum per diuturnos actus contraxit habitum in omnibus adhærendi *divinæ voluntati*: nam cùm pervenit eò felicitatis, tunc solùm dici potest ad gradum *proficientium* ascendisse; de quo diximus, quòd sit necessarius illis qui desiderant *Seraphicum votum* prudenter emittere.

QUÆSTIO PERUTILIS.

§. H.

PETES, *Utrum sit perfectius, & per consequens illius, qui vovit semper facere quidquid intelligitur esse perfectius, obligatio, ut hoc votum occul et, vel ut propalet?*

RESP. dicendum, quòd obligatio duplex potest accipi: Prima siquidem est *rigorosa*: secunda verò *amorosa*. *Rigorosam* voco, cujus infractio culpam consti-

constituit : *amorosam*, quæ ligat solùm ex quadam honestate. Si de primâ loquamur, certum est, quòd, qui sic vovit perfectiora prout hîc explicamus, sive quando per obedientiæ dictamen aliquid perfectius esse declaratur & non aliter ; ad neutrum obligari, nisi dictamen hujusmodi interveniat, sed habere libertatem faciendi quod placuerit.

Si verò loquamur de secundâ, clarum est etiam, quòd, cum D. Thomas dicat: *Ex honestate quadam tenetur* (homo) *æmulari charismata meliora* veram obligationem habeat alterutrum faciendi. Sed quodnam è duobus tacendi votum suum vel propalandi? Hoc enim est quod hîc inquiritur.

D. Thō. in 2. sent. distinct. ult. qu. ult. a. ult. ad. 1.

§. I. Respondendum hîc igitur ulterius existimo: tam in hoc quàm in mille similibus rebus ambiguis locum habere notissimam illam Sancti Patris Augustini Maximam, à nobis in primo libro fusiùs explicatam: *Dilige & fac quod vis.* Id est; Ad hoc unum fortiter intende vires, ut Deum perfectissimè diligas interius: quoad exteriora verò opera, noli cum anxietate nimiâ vel scrupulis, quidnam Deo magis placeat & sit perfectius, inquirere: sed bonâ fide

Cap. 10. §. F.

fide procedendo ſtudeas dicta jam opera ſuaviter diſponere, ſic faciens illa, quæ tibi videntur eſſe Deo gratiora, ut ſi tibi conſtaret Deum aliud appetere, libenter etiam omitteres.

Non gravabit ſpero Lectorem doctrina quædam licet maximi ponderis, quam ad rem noſtram prædictus Epiſcopus Africanus in quadam ſuarum Epiſtolarum latiùs explicat, ita diſſerens: *Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Euchariſtiam. Quæſieris quare? Quoniam (inquit) eligendi ſunt dies, quibus puriùs homo continentiuſque vivat, quò ad tantum Sacramentum digniùs accedat. Qui enim manducaverit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Auguſt. Ep. 18.

Alius contra: Imò, inquit, ſi tanta eſt plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda ſint, auctoritate Antiſtitis debet quiſque ab Altari removeri ad agendam pœnitentiam, & eâdem auctoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio ſuo, cùm libet, vel auferat ſe communioni, vel reddat. Cæterum ſi peccata tanta non ſunt, ut excommunicandus quiſquam homo judicetur, non ſe debet à quotidianâ medicinâ Dominici corporis ſeparare. Rectiùs

Rectiùs inter eos fortaſsè quiſquam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Chriſti pace permaneant. Faciat *autem* unusquisque quòd secundùm fidem suam pie credit esse faciendum. *Neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit, Zachæus & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum: alter dixerit: Non ſum dignus ut intres ſub tectum meum: Ambo Salvatorem honorificantes diverſo & quaſi contrario modo, ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti.*

2. Tim. 2. v. 24.

Id quod dicit Apoſtolus, *Servum Domini non oportet litigare*, quamvis primariò docere videatur unumquemque cavere litem cum proximo ſuo; ſecundariò tamen hoc etiam innuit, non eſſe litem bonam hominis cum ſeipſo: quia ſcilicet ad hoc belligerare debet miles Chriſti, ut ſummam, quoad fieri poteſt, habeat in corde ſuo quietem, pacem & tranquillitatem: ita nimirum ut ſemper abſque turbatione *faciat*, aut certè facere ſtudeat, *quod ſecundùm fidem ſuam* (prout jam ex Auguſtino di-

dici-

dicimus) *piè credit esse faciendum.*

§. I. Si quis itaque *voto Seraphico* devinctus considerans, quòd S. Gregorius, dum explicat illa Christi verba, *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro*, loquatur in hunc modum; *Notandum est, quòd thesaurus absconditur, ut servetur: quia studium cœlestis desiderii à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc & ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vitâ quasi in viâ sumus, quâ ad Patriam pergimus: maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in viâ.* Si quis, inquam, ad hoc attendens & sacramentum Regis abscondere bonum judicans, tacere constituat votum suum, applicans illud animæ suæ: *secretum meum mihi, secretum meum mihi*: Modò paratus sit, si quando *voluntatem Dei* sive per obedientiæ dictamen sive per aliam viam cognoverit, quòd ad salutem & ædificationem proximi propalet votum, hoc ipsum implere; laudabilis est pro suâ charitativâ humilitate.

Matt. 13. v. 44. Greg. Hō. 11. in. Evāg.

Isa. 64. v. 1.

Si quis alius eodem voto ligatus, & legens ea, quæ in allegato D. Gregorii contextu sequuntur, videlicet;

Hoc

Hoc autem dico, non ut proximi opera nostra bona non videant, cum scriptum sit: Videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est: sed ut per hoc quod agimus, laudes exterius non quærámus. Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto: ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum; & tamen per intentionem, quâ soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum. Si quis, inquam, hæc legens, ad ædificationem proximi, dum suadet occasio, votum suum aperiat: modò paratus sit, si *voluntatem Dei* sciret ab eo silentium exigere, manum ori apponere, laudabilis est non minus pro suâ humili charitate.

Primus quidem quia silet, nec laudatores voti sui, nec oblocutores, quos timeat, habet: secundus verò laudatores vix ullos, oblocutores autem plurimos inveniet. Itaque si talis illud Sancti Bernardi consilium sequi velit: *Laudatores præterite, & bonum, quod in vobis amant, hoc in eis amate: detractores dissimulate, & pro eis orate*: benè faciet. Si verò sequi cupiat exemplum ejusdem Sancti, qui dum convitiis aliorum lacesseretur, apologeticè veritatem defendit, non etiam malè procedet.

Bern. ad Frat. de monte Dei.

Bern. Ep. 68.

Duas

§. M.

Duas autem Sanctorum auctoritates præsertim reperio, quibus hanc ipsam voti sui manifestationem posset justificare.

D. Th. 2. 2. q. 88. art. 2.

PRIMA est Divi Thomæ, qui tractans materiam de voto sic ait: *Exprimuntur quandoque verba exteriora, vel ad sui ipsius excitationem, sicut circa orationem dictum est, vel etiam ad alios contestandum, ut non solùm desistat à fractione voti propter timorem Dei, sed etiam propter reverentiam hominum.* In quâ sententiâ satis innuit Sanctus Aquinas non esse tantùm secundùm charitatem, ad ædificationem proximi, votum suum declarare, sed etiam secundùm prudentiam, ut hæc declaratio sit quasi frænum, ne ab eâ, quam promisit, viâ, propter homines etiam audeat deflectere.

Salesius Introd. p. ult. c. ult.

SECUNDA est Sancti Salesii: *Non erubescas* (inquit is) *publicè profiteri te vitam devotam* (quæ secundùm quòd eam ipse describit vix differt ab eâ perfectione, quam hîc explicamus) *velle ducere. Non dico, eam reipsâ ducere, sed dico voluntatem habere tendendi ad illam.* Rationem hujus post pauca reddit. *Hæc enim libertas* (ait) *quâ confitetur quis, se Deo velle famulari, quodque se dilectioni*

ejus AFFECTIONE SPECIALI CONSECRARIT, *valdè placet Divinæ Majestati, quæ non vult ut vel ipsam, vel Crucem ipsius erubescamus. Multis deinde per hoc rationibus, quas in contrarium fortè mundus allegaret, viam præcludit, & nos ad perseverantiam, per respectum etiam hominum suaviter compellit. Philosophi se Philosophos publicabant, ne quis eis vitæ philosophicæ foret impedimento: & nos debemus desiderium devotionis, quod habemus, manifestare, ut nemo nos impediat vivere devotè.*

§. N. Si quis objiciat tibi perfectionem majorem absque voto posse obtineri: consilium ex eodem Sancto etiam suggero: *Noli istud negare: sed amorosè respondere, tuam infirmitatem adeò magnam esse, ut pluribus adminiculis & auxiliis opus habeat, quàm aliorum mortalium.* Ibid.

Noli quoq; pro *voti majoris perfectionis* devotione, tantam imperfectionem committere, ut minus te perfectos existimes alios, qui *votum* istud non emiserunt: vel hanc etiam ingerere jactantiam, ut asseras te votum tuum non violare. Si quis tamen urgeat te, difficultatem nimiam istius voti vel impossibilitatem objiciendo, nihil mali (quantum sapio, quantum capio) facies,

cies, si dicas, te, licet votum habeas, per Dei tamen misericordiam audere dicere: *Nihil mihi conscius sum*: addendo nihilominus, *sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me Dominus est.* 2. Cor. 4. v. 4.

Si quis imperfectum arguat te, vel tacendo consentire potes, vel etiam citata jam D. Pauli verba prosequi, ac dicere: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium.* Vers. 5.

Quidquid objiciatur tibi, sic te geras in defensione voti tui, sicut prudens Religiosus faceret in defensione votorum suorum substantialium: & vereris omnia opera tua, sed absque scrupulis vel angustiâ cordis. Voluntatem retine servandi votum, & servasti: Iterùm, voluntatem habe non violandi votum tuum, & non violasti.

Hæc una simplex intentio reddendi *votum Seraphicum* in quotidianis actionibus universis, votum perfectissimè reddit: ita ut nihil huic voto constrictum facere posse crediderim perfectius & consultius, quàm simplici frequenter intentione quotidianas actiones suas in eum dirigere finem, ut

reddat vota ſua quæ diſtinxerunt labia ſua. Ex quo patet etiam, quàm non ſit nimis arduum perfectionem obedientiæ vel vovere vel implere.

CAPUT XVIII.

Quòd votum Seraphicum, *hic explicatum, nec infirmitati noſtræ naturali ſit* periculoſum, *nec etiam* ſcrupulis *obnoxium.*

§. A. NUnquid, dicent aliqui, dum non tantùm inimicus ſuis nos fallaciis à perfectionis culmine vehementer impedit, ſed ipſa pariter innata nobis infirmitas, conatus animi ſublimiora molientis, ſuo pondere trahit ad infima, meritò timere quis poteſt hoc tam ſublime votum emittere, tam infinitis plenum periculis?

§. B. RESP. Quid timidi eſtis modicæ fidei? Quid trepiditatis timore, ubi timor

timor non est ? Benè profectò nepoti suo D. Bernardus ita buccinam olim insonuit : *Surge miles Christi. Surge. Excutere de pulvere.* Et post pauca : *Quid verò tu trepidas* (ait) *quem Dux belli Christus præibit, suos animans ad victoriam, & dicens : Confidite, ego vici mundum ? Si Christus pro nobis quis contra nos ? Securus potes pugnare, ubi securus es de victoriâ. O verè tuta pro Christo & cum Christo pugna ! In quâ nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus, nec millies (si fieri possit) occisus fraudaberis à victoriâ.* Quid ita ? Quia nisi sponte tuâ consentias ipsemet, ut vincaris, semper victor existis. Bern. Ep. 1.

Appositissimam veritatis hujus rationem assignat D. Augustinus, dicens de satanâ : *Alligatus est tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi illum qui se illi mortiferâ securitate conjunxerit. Iam videte, Fratres* (prosequitur) *quàm stultus est homo ille, quem canis in catenâ positus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates sæculi noli conjungere & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet : nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Quis hoc attentè consi- Augustſ. Serm. 197. de tempore.

siderans non facilè cũ Prophetâ triumphum canet, quem, si tantùm voluerit, perdere non poterit, & dicet: *Super inimicos meos despexit oculus meus?*

Ps. 53. v. 9.

Quis non cum eodem orabit: *A timore inimici eripe animam meam?* Notatu dignissimum est, quòd non ab inimico liberari petat animam suam David, sed tantùm ab illius timore: quia videlicet nullum potest nobis inimicus damnum inferre, si confidentes in Domino non timeamus eum, & charitas timorem foras pellat.

Ps. 63. v. 2.

Non intelligo (scribit S. Mater N. Teresia) *hunc timendi modum, ut dicamus, diabolus, diabolus; cum dicere possimus,* DEUS, DEUS; *atq; ita ei timorẽ incutere: scimus enim jam tum illum, nisi Dominus ei permittat, se ne movere quidem posse.* Hoc tam salubri scuto fidei sic se protectam sentiebat virgo Seraphica, ut dœmones omnes non magis quàm muscas formidaret (prout ibidem testatur) nec trepidàret ipsamet eos provocare, dicendo: *Venite jam omnes quotquot estis, videre volo quid mihi, ancilla Dei cum sim, facere universi possitis.*

Ter. in vitâ suâ cap. 25.

Profitebatur etiam se plus eos timere, qui timent dœmonem, quàm ipsum

ipsum dœmonem : eò quòd ipse nullum per se damnum facilè possit adferre, illi verò (præsertim si populo sint à confessionibus) mirè turbare solent hominem & inquietare.

§. C.

Verùm ut objectioni quæ contra *votum Seraphicum* fuit proposita, periculum videlicet aliquod in eo latere tum ob nostræ carnis infirmitatem, tum ob inimici potestatem, exactiùs fiat satis, advertere convenit quid ad omninò similem contra quodcumque votum factam objectionem D. Thomas respondeat, videlicet: *Quando periculum nascitur ex ipso facto, tum factum illud non est expediens, puta, si quis per pontem ruinosum transeat fluvium. Sed si periculum immineat ex hoc, quod homo deficit ab illo facto, non desinit propter hoc esse expediens. Sicut expediens est ascendere equum, quamvis periculum immineat cadenti ex equo. Alioquin oportet ab omnibus bonis cessare, quæ etiam per accidens ex aliquo eventu possunt esse periculosa. Unde dicitur Eccl. 11. Qui observat ventum, non seminat : & qui considerat nubes, nunquam metet. Periculum autem voventi non imminet ex ipso voto, sed ex culpâ hominis, qui voluntatem mutat, transgrediens votum. Unde Augustinus: Non*

D.Th.2. 2. q.88. art.4. ad 2.

re voviſſe pœniteat: imò gaude jam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet.

Aliam adhuc (ſi tamen alia ſit dicenda) ſolutionem ſuper eandem objectionem lubet ex Suarez adducere.

Suarez de Relig. Tr. 6. de voto lib. 1. c. 18.

„ Ad difficultatem (ait) de periculo, „ reſpondetur, ex voto nullum naſci „ morale periculum: quia ſola obligatio rectè operandi non conſtituit hominem in periculo. Alioqui, ut rectè intulit Ambroſius lib. de vid. pro„ pe finem: *Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur; nec pedis utatur obſequio, qui cadendi periculum reformidat: nec oculi intendat officio, qui concupiſcentiæ timet lapſum.* Hoc ergo periculum, ſi prudentia in vovendo ſervetur, moraliter loquendo, nullum „ eſt: cum autem abſolutè dicimus „ expediens eſſe vovere, loquimur (ut „ par eſt) ſervatis prudentiæ legibus. „ Hæc autem prudentia non debet eſſe tantùm ſecundùm hominem, ſed „ ſecundùm Deum, ut non plus de humanâ fragilitate timeat, quàm de divinâ virtute confidat. Unde Auguſt. „ in Pſ. 75 cùm dixiſſet, *Non ſitis pigri ad vovendum, non enim viribus veſtris* „ *imple-*

„ *implebitis*, ſubjungit: *Deficietis ſi de vo-*
„ *bis præſumitis: ſi autem de illo cui voretis,*
„ *vovete, ſecuri reddetis.* &c. Denique
„ periculum voti per ſe nullum eſt ni-
„ ſi periculum obligationis, hoc autem,
„ per ſe loquendo, moraliter nullum
„ eſt: aliàs nullum præceptum poſiti-
„ vum deberet hominibus imponi. Imò,
„ ut benè Waldenſis argumentatur, nul-
„ la pacta eſſent inter homines ineunda,
„ nulla fides danda.

Irreprehenſibilis igitur eſt S. Mater N. Tereſia, quando reprehendit illos, qui, *id quod poteſt aliquando evenire, & futura contingentia timent, atque ne opus quoddam pium magni cujuſdam mali cauſa ſit & principium: prout eis diabolus indicare videtur, & ante ſexcentos annos declarare. Non ſunt hæ animæ de illarum numero, quæ S. Petrum imitentur, ut ſe videlicet in mare abjiciant, aut faciant quod multi alii ſanctorum fecerunt.* Ter. in Cōcept. div. am. cap. 2.

Necdum videntur tales capere, quid ſit veraciter in Domino confidere: & quomodo fieri nullatenus poſſit, ut non ſint *beati omnes qui confidunt in Domino*: Et quomodo nec falli poſſit nec fallere, qui non aliquos ſed omnes invitat, dicens: *Venite ad me omnes* &c. *& ego* §. D. Pſ. 2. v. ult. Matt. 11. v. 28.

& ego reficiam vos. Et quomodo jam tot annorum millibus experientia doceat, quòd *nullus ſperavit in Domino & confuſus eſt.*

Eccl. 2. v. 11.

Prudenter itaque ſuam reprimens animi trepidationem, his ſemetipſum verbis excitabat olim D. Auguſt. *Quid in te ſtas & non ſtas? Projice te in eum. Noli metuere, non ſe ſubtrahet, ut cadas. Projice te ſecurus; excipiet & ſanabit te.* Et quidni? *Fidelis eſt, ſeipſum negare non poteſt.* Negaret autem ſi cuiquam ex hoc quod hîc & nunc *divinæ ſe voluntati*, quoad fieri poteſt, perfectiſſimè conformat, damnum aliquod eveniret.

Aug. lib. 8. Cõf. cap. 11.

2. Tim. 2. v. 3.

Quod hîc & nunc, quod in præſenti *divinæ voluntati* conformius eſt, exequi, non poteſt non expedire. Hoc autem quod in futuro ſequitur, non debet homo curare, ſed divinæ committere providentiæ. Et hoc eſt tandem, & nihil eſt aliud veraciter in Domino confidere.

Ad id quod modò requirit à nobis Deus, oculos oportet aperire. Ad id quod poſteà futurum eſt, dum in præſenti verè voluntatem ipſius exequimur, claudere: nec vereri dicere cum Pſalmiſtâ: *Dominus regit me & nihil mihi deerit.*

Pſ. 22. v. 1.

deerit. Et hoc est tandem, & nihil est aliud veraciter in Dominum jactare curam suam, & credere, quoniam *ipse est qui enutriet*, quoniam ipse qui dat incipere, dat & perficere.

Sed quid? *Multos sæpè videmus vitam quidem sanctæ conversationis appetere* (Gregorii Magni verbis utor) *sed ne hanc assequi valeant, modò irruentes casus, modò futura adversa formidare. Qui incerta mala dum quasi cauti prospiciunt, in peccatorum suorum vinculis incauti detinentur. Multa enim ante oculos ponunt, quæ si eis in conversatione eveniant, subsistere se non posse formidant. De quibus benè Salomon ait: Iter pigrorum quasi sepes spinarum: Nam cùm viam Dei appetunt, eos velut spinæ obstantium sepium, sic formidinum suarum appositæ suspiciones pungunt.* Greg. lib. 30. Moral. cap. 12.

Sed ut radices ipsas harum spinarum & diffidentiæ petamus, videndum est accuratè, quæ causæ existère possint hujus horribilis dissidii, quod nos, post votorum nexum (ut loquitur Hieronymus Platus) post fidem Deo datam, tamen ab illo separet & sejungat. Non enim alia causa esse potest, quàm si vel Deus à nobis recedat, vel nos à Deo: id est si vel Deus §. E.

Deus nos deſerat, ſuumque Spiritum ſanctum à nobis auferat, vel nos aut tædio, aut labore, aut conſtantiâ victi eum deſeramus.

At alterutrum quidem de bonitate illâ credi non poteſt, ut iis, quæ ſemel dedit, ullo nos unquam tempore expoliet. Quod teſtatur Apoſtolus, dicens: *Dona Dei eſſe ſine pœnitentiâ.* Rom. 11. v. 29. Teſtatur & ipſe Deus apud Prophetam, his verbis: *Ego Dominus & non mutor.* Mal. 3. Ex quibus illud neceſſariò ſequitur quod eſt ab Auguſtino dictum: *Te nemo amittit*, Domine, *niſi qui dimittit.* Aug. lib. 4. Confeſſ. cap. 9. Nunquam ergo Deus eos, qui ipſum quærunt, expellit: *Nunquam foras ejicit, qui ad ipſum veniunt*: Joan. 6. v. 37. ut ipſe profeſſus eſt. Et cœlum & terra priùs tranſibunt, quàm in eum cadere poſſit ulla mutatio, vel viciſſitudinis obumbratio.

Itaque cum ex hac parte nullum nobis immineat periculum, totius periculi ſumma in nobis ipſis conſiſtet, & in noſtrâ fragilitate. Verè ſic eſt (inquies) ſed & hæc ipſa fragilitas per quam ruimus, ipſa hæc fragilitas in cauſa eſt, cur *votum Tereſianum* emittere non expediat. Excidiſſe porrò ti-

bi

bi crediderim illam doctrinam, quâ duplicem esse fragilitatem declaravimus; unam videlicet vitiosam & singularem, quam nimirum persona quædam particularis vitiosè contrahit: & aliam naturalem sive communem, quæ nimirum naturæ, per protoparentis lapsum corruptæ, sic est annexa ut nullus mortalium eam in hac vitâ totaliter possit exuere. Primam fragilitatem ostendimus impedimentum esse legitimum, quo tale v.g. vel tale consiliū quis prohibeatur secundùm prudentiam practicare. Si verò secunda fragilitas à consiliorum praxi removere deberet animam, cui precor animæ consilium aliquod quadrare poterit: cui mortalium hoc Dei monitum conducit: *Vovete & reddite?*

Vide lib. 1. cap. 9.

Certè quò quis majorem hujus fragilitatis cognitionem habebit, eò magis necessariam esse votorum praxim confitebitur. Debétne vinitor quia vineæ fragiles sunt à vinculis abstinere vel quia tales sunt firmiori stipiti aut muro alligare? Si vineæ propter fragilitatem vinculum adjudicas, cur homini propter fragilitatem vinculum denegas? Cur tibi non placet, quòd Sanc-

cto Sanctorum, quòd immutabili, quòd invariabili Deo se quàm potest arctissimè devinciat ; ac illius providentiæ se totum credat ? Nihil hîc, arbitror, quod respondeas, habes.

§. F. Quæ cum ita sint, nonne justum foret eos ori digitum apponere, qui contra *votum Seraphicum* faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius, mulierculârum aliquot exempla proferunt, quæ, post emissum hujusmodi votum, innumeris propemodum scrupulis intricatæ fuerunt ? eò quòd si v. g. terram aspicerent, eis occurreret esse perfectius erectos ad sidera vultus tollere ; si caput scalperent, abstinere ; si manducarent, jejunare : multaque similia. Bone Deus ! quàm hæc sunt frivola ? Profectò puduit aliquoties hæc ab eis audire, qui magnam se vitæ spiritualis experientiam habere confidebant. Edissere, sodes, quicumque talibus arietibus convellere te credis ea, quæ libellus hic noster conatur astruere ; Votum illud, quod à præfatis mulierculis emissum objicis, estne votum idem & cum eâdem nuncupatum prudentiâ, prout hic suademus ? An ejus emissionem & plurium anno-

annorum ſedula probatio & approbatio Superioris aut idonei Directoris præceſſit? An etiam poſteà cautelæ fuerunt adhibitæ, quas hîc præſcripſimus? primò, quòd *votum perfectionis majoris* ad *votum obedientiæ perfectæ* reducatur; ſecundò, quòd hæc ipſamet obedientia ſub reatu peccati non liget, niſi quando Superior vel Confeſſarius aliquid ſcripto præcipit? *Seraphicum votum* ſuadere nos diximus, verùm non aliter quâm dum *Seraphicè* nuncupatur. Fuitne votum de quo loqueris ita, ſecundùm hujus opuſculi doctrinam, nuncupatum? Quid obmuteſcis? Noli medicum accuſare, ſi malè ſit infirmo, qui ſibi præſcriptis ab eo conſiliis non obtemperat.

Non eſt in medico ſemper reveletur ut æger. Quin imò ſupponamus aliquos inſuper, emiſſo *voto*, non tantùm *Seraphico*, verùm etiam *Seraphicè*, lapſos poſtmodum in deteriora: non tamen ideò recedendum eſt ab illâ doctrinâ, quam hujus libri quarto capite probabiliter eſſe fidei demonſtravimus. *Nunquid* enim *incredulitas eorum fidem Dei evacuabit?* Nihil ſanè defectus aliquorum contra voti bonitatem, à Deo conſul- Rom. 3. v. 3.

consulti, debet concludere. *Alioquin etiam similis ratio esset de accessu ad fidem* (inquit Angelicus Doctor) *& ad fidei Sacramenta: quia dicitur*, 2. Pet. 2. *Melius erat viam veritatis non agnoscere, quàm post agnitam retroire. Et Apostolus ad Hebr.* 10. *Deteriora meretur supplicia, qui sanguinem testamenti pollutum duxerit; & spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Non esset etiam passim ad justitiæ opera procedendum, quia scriptum est Eccl.* 26. *Qui transgreditur de justitiâ ad peccatum, Deus paravit eum in romphæam.* Hæc D. Thomas.

D. Thō. Opusc. 17. c. 10.

Nihil ergo contra facit id, quod multis in ore semper versatur: *Melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere*: Meritò siquidem hic locus adducitur ut ostendatur votum debere cum prudentiâ fieri: nullatenus autem, non debere fieri: non magis quàm veritatem non debere cognosci, ex eo quod legamus: *Melius est viam veritatis non cognoscere, quàm post agnitam retroire.*

Eccl. 5. v. 4.

Sed objicies ulterius: Sine veritatis agnitione, nemo potest salvari: & proinde non est eadem ratio de hoc & de eo quod est tantùm consilii. Verùm non illud mihi sed ipsi D. Thomæ te cogites objicere, cum ille nullam

§. 6.

lam in eis disparitatem attenderit, sed ad stabilienda consilia supradictam sententiam adduxerit.

Etenim sicut sincerè quærentibus & diligentibus Deum omnia (teste Paulo) cooperantur in bonum, sic eum deserentibus omnia cooperantur in malum: adeò ut nihil tam bonum sit quod malis non fiat occasio mali. De Eucharistico pane dicit Salvator: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum:* & tamen non omnes, qui manducant illum, de tali vitâ participant. Sed Joan. 6. v. 59.

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inæquali,
Vitæ vel interitûs.
Mors est malis, vita bonis.
Vide paris sumptionis
Quàm sit dispar exitus.

Quàm multi de altari accipiunt (ait Augustinus) *& accipiendo moriuntur? Unde dicit Apostolus: Iudicium sibi manducat & bibit. Nonne buccella dominica venenum fuit Iudæ? Et tamen accepit, & cùm accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit.* August. Tr. 26. in Joan.

Sicut autem non debent ab usu bono sacræ Communionis boni abstinere, quia mali eâ abutuntur: sic nec qui

Deo ferventer inſerviunt votorum gratiam ſibi debent interdicere, quia tepidis hæc ipſa cedunt in ruinam. Sed ſicut hortatur Apoſtolus : *Probet ſeipſum homo & ſic de pane illo edat* : Sic & nos anteà demonſtravimus ad prudentem *voti Seraphici* nuncupationem requiri tùm probationem tum approbationem.

1. Cor. 11. v. 28.

CAPUT XIX.

Quòd votum Seraphicum *non ſit* ſupervacaneum.

§. A. QUi de *voto Seraphico* deliberat emittendo (poſſet aliquis objicere) vel tantæ virtutis eſt, ut perfectam obedientiam adimpleat, vel non eſt. Si primum, videtur illud votum illi futurum omninò ſupervacaneum : ſi ſecundum, etiam damnoſum.

Prætereà licet hoc votum obligationis aliquid ſæcularibus ſuperadderet, nihil tamen Religioſis facit : quoniam

illi qui vivunt in Religione TOTALITER (ut D. Thomas ait) *se & sua tribuunt Deo, unde eorum obedientia est universalis.* Illi certè qui totaliter omnia tribuerunt in professione Religiosâ, nihil amplius habent quod ultra per aliud votum tribuant. Quid potest amplius homo facere, quàm se in holocaustum Domino consecrare, prout Religiosos facere nemo sanæ mentis negaverit? D. Th. 2. 2. q. 186. a. 5. ad 1.

Quoad argumentum primum RESP. Satis abundè jam demonstratum esse, quòd, licet ille qui *votum Teresianum* prudenter cogitat emittere, probatæ virtutis esse debeat, utilitatem non exiguam tamen ex hoc voto consequi, tum quia duplicatam actionibus omnibus, quæ aliàs sine voto fierent, adducit perfectionem; imò nullæ non actiones per firmitatem illius tam bonæ intentionis ad meritum excellentius elevantur: tum quia felicissimè compellit, atque necessitat in acquisitâ virtute non tantùm perseverare, sed etiam proficere. §. B.

Quo-ad argumentum secundum RESP. quòd si probaret aliquid argumentum istud, nimis probaret: probaret enim frustraneum esse superad- §. C.

dere tribus votis essentialibus votum vel Missionum, vel non ambiendi, vel abstinendi à lacticiniis, vel alia similia, quæ Religionum & Ecclesiæ praxis approbat. Probaret etiam Religionem unam non esse perfectiorem aliâ, quod etiam contra sensum Ecclesiæ videtur esse.

Imò si *votum Seraphicum* propterea deberet judicari supervacaneum, quòd homo se totum Deo consecret per vota Religiosæ professionis, inde sequeretur ipsam quoque Religiosam professionem esse supervacaneam: quia videlicet in ipso baptismali voto se totum jam Deo consecravit; quia promisit eum diligere ex *toto* corde suo & ex *totâ* animâ suâ.

Oriatur itaque super tenebras istas Theologorum jubar Aquinas, & omne quod obscurum videtur evanescat. *Sicut diligere Deum* (inquit) *ex toto corde tenentur omnes: est tamen aliqua* TOTALITAS *perfectionis, quæ sine peccato prætermitti non potest: aliqua autem quæ sine peccato prætermittitur, dum tamen desit contemptus: ita etiam omnes tam Religiosi quàm sæculares tenentur aliqualiter facere quidquid boni possunt: omnibus enim communiter dicitur Ecclesiast.*

D.Th.2. 2.q.186. art.2. ad 2.

cleſiaſt. 9. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare. Eſt tamen* MODUS *aliquis hoc præceptum implendi quo peccatum vitatur, ſcilicet, ſi homo faciat quod poteſt, ſecundùm quod requirit conditio ſui ſtatus, dummodò contemptus non adſit agendi meliora, per quem animus firmatur contra ſpiritualem profectum.*

Etenim ſicut alia eſt claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia ſtellarum: ſic alia eſt totalitas eorum qui *Tereſiano voto* ſunt conſtricti, alia Religioſorum, alia ſæcularium. Sæculares enim toto corde cenſentur Deum diligere; ſi præcepta non violent & Evangelica conſilia diligant, licet ea non impleant: Quoad Religioſos verò neceſſarium eſt ad evitandam culpam, ut ea quæ promiſerunt & ſicut promiſerunt etiam conſilia non omittant; ac præterea ſtudeant ea quæ votorum ſuorum limites tranſcendunt exequi. Quoad illos autem qui charitatis obedientiam Deo promiſerunt requiritur, ut ad quæcumque tandem divina beneplacita cor diſpoſitum habeant.

Nemo certè perſonam ſæcularem omninò liberam reprehenſione dignam judicaverit, ſi parentis præceptum au-

diens ut matrimonium non contrahat, cum humilitate replicet, infirmitatem ſuam excellentiæ caſtitatis non idoneam. Nemo quoque Religioſum condemnaverit, qui mandato, quod voti limites manifeſtè ſupergreditur, abſque contemptu non ſatisfacit. Ita v. g. ſi Carmelitæ Diſcalceato non petenti Superior injungeret, ut per aliquot annos in ſanctâ Eremo remaneret, nihil contra votum obedientiæ ſuæ faceret, quamvis non obediret: eò quòd omninò certum videatur hujuſmodi mandatum imponi non poſſe ſecundùm Regulam & Conſtitutiones illorum; & ipſæ Conſtitutiones inſi-
Conſt. p. 2. c. 9. §. 3. & §. 4. nuent Superiores auctoritatem non habere, ſolitudinem eremiticam, non petentibus imperandi. Quapropter hujuſmodi mandato non obtemperans Religioſus nihil faceret contrà votum obedientiæ Regularis. At ſi quis votum obedientiæ charitatis emiſiſſet, abſque voti ſui violatione non liceret ei tam huic quàm aliis mandatis actionum, Conſtitutionum ac Regulæ limites excedentium, non obtemperare, dummodò quod præcipitur impleri poſſit abſque peccato, ſicut in præfato caſu contingit.

Patet

Patet igitur altiorem, magisque generalem obligationem illius esse qui *Teresiano* se *voto* constrinxit, quàm qui Religiosam tantummodò professionem emisit. Unde sicut sæcularis qui voto suo baptismali huc usque tantùm fuit constrictus non facit actum supervacaneum, si vota Religiosæ professionis emittat, ita nec Religiosus si perfectam obedientiam voveat: quia coram Deo non minus superat *votum obedientiæ charitatis*, votum Religiosę professionis, quàm votum professionis hujus, votum quod in baptismate nuncupat sæcularis.

Scio quidem quòd multis ut paradoxum sonaret, si dicerem *votum obedientiæ charitatis* coram Deo magis excedere vel superare votum obedientiæ Regularis, quàm hoc ultimum superet votum sacri baptismatis. Verùm si quis consideret, votum obedientiæ regularis, tantùm superare votum sacri baptismatis, ut unum finitum aliud etiam finitum; sed à *voto Seraphico* superari, sicut unum finitum ab alio quod est aliqualiter infinitum, non multum fortè discreparet ab eo quod sentio. §. D.

Optima propositio, dicet aliquis; dummodò solida foret, & congruis stabilita rationibus. Quapropter eam breviter stabilire non gravabor. Votum obedientiæ regularis nunquam potest aliter superare votum sacri baptismatis quàm sicut unum finitum superat aliud quia votum obedientiæ regularis, secundùm quamcumque tandem regulam emittatur, suos semper fines habet atque terminos; ita ut hoc votum nunquam obligationem suam extendat ad ea, quæ tales fines sive terminos superant aut excedunt. Hoc autem votum finitum superatur à *voto Seraphico*, tanquam ab eo quod aliquam infinitatem includit.

Scire desiderat aliquis quænam sit infinitas illa, quam solum includit *votum obedientiæ perfectæ*? Renovanda tantùm est memoria descriptionis istius quâ perfectam obedientiam à D. Bernardo vidimus adumbrari: ubi præter alia docet, quòd illa *modum non considerans* IN INFINITAM LIBERTATEM *extenditur*: quia scilicet nullis irretita vinculis terrenæ cupiditatis, ablatis impedimentis omnibus, fertur in altitudinem charitatis.

Vide cap. 2. hujus lib. §. A.

Verum

Verum quidem eſt, quòd votum baptiſmale cunctos ad hoc obliget, atque magis adhuc votum profeſſionis Religioſæ, ne vultum ſuæ voluntatis unquam avertant à faſtigio ſummæ charitatis : converſio tamen illa quâ debent ad perfectiora tendere, peccati reatu caret, quamvis adeò non ſit ardens, quin ea, quæ vel communium præceptorum vel promiſſorum etiam conſiliorum fines tranſcendunt, interdum omittant. Illa vero converſio, quâ *voto Seraphico* devinctus ad infinitæ charitatis faſtigium aſpirare modo feliciſſimo neceſſitatur, tantum ardoris habere debet, ut fines aliquos ſive terminos ei conſiderare non liceat, quaſi poſſet abſque maculâ quidpiam eorum, quæ Deo magis placere novit, omittere.

Tres equos in ſtadio currentes imaginemur, quorum primus pedes ſuos catenis ferreis magni ponderis habet innexos; ſecundus verò plurium chordarum implicamentis retardatur : tertius autem ab omni liber impedimento veloci curſu tendit ad metam. Non peccat Chriſtianus quamvis res, etiam graviſſimas, uti ſunt poſſeſſiones, conjugium

jugium &c. modo licito quærat; non peccat Religiosus quamvis rebus per statuta sibi licitis affectu mentis sic adhæreat, ut ille pœnosiùs (modo tamen verè) dirigatur in Deum. Si verò *Teresianum* habens *votum* non excluderet ab affectu mentis omne illud quod impedit ne totaliter in Deum erigatur absque dubio peccaret. Primo igitur equo similis potest esse Christianus, secundo Religiosus, at ille, qui *votum Seraphicum* emisit, non est in conscientiâ tutus si non sit omninò talis ut tertius equus.

Vide D. Thõ. 2.2. qu. 184. art. 2. *in fine corp.*

§. E. Quid porrò significare dicemus illud, *unus*, cum per Apostolum scribitur: *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed* UNUS *accipit bravium*? An tantùm igitur unus ille qui velocissimo cursu festinat, ad æternæ vitæ bravium pervenit? Non tantùm pervenit ille; perveniunt etiam alii qui gradu lentiori procedunt: & tamen falsitatis argui non potest Apostolus veritatis, cùm dicit: *Unus accipit bravium.* Si plures, quo sensu dicit, *unus*?

1. Cor. 9. v. 24.

„Dicit unus (respondet Cornelius „à Lapide) quia propriè respicit ad bra„vium, id est, aureolam & excellens „præ-

„ præmium, quod non omnibus electis,
„ sed paucis heroicè certantibus datur:
„ ut iis qui non tantùm præcepta, sed
„ & consilia Christi heroicè sequun-
„ tur. Respicit enim Paulus ad bra-
„ vium quod sibi expectat ex eo, quòd
„ unus ipse præ omnibus Apostolis
„ evangelizasset gratis, ingenti labore
„ *omnibus omnia factus*, v. 18 & 22. Q.D.
„ O Christiani currite non tantùm ri-
„ tè, ut comprehendatis, sed & quàm
„ optimè & velocissimè currite, ut pri-
„ mum & nobilissimum gloriæ bra-
„ vium reportetis. Socordis enim ani-
„ mæ est dicere: Sufficit mihi si sal-
„ ver, si ad cœlum perveniam. Quis-
„ que enim conari debet ut in cœlo
„ sit primus, primumque ibidem refe-
„ rat bravium, inquit Chrysostomus.
Non est autem opus exaggerare quàm appositè locus hic faveat hujus libelli doctrinæ.

Verùm ut aptam magis præsenti materiæ suggeram instructionem, iterum interroganti: Si plures ad bravium perveniunt quomodo verum est, *unus accipit bravium*? RESP. Plures quidem sunt in personis, sed tantùm sunt unus vinculo charitatis: ita scilicet

cet ut qui non adunatur aliis glutino dilectionis, quantumvis sibi videatur ad bravium properare, nunquam tamen ad illud perveniet. Unde legimus apud eundem Gentium Doctorem: *Vos omnes* UNUM *estis in Christo.*

Gal. 3. v. 28.

Speciali verò diligentiâ doctrinam hanc præ oculis oportet habere, ne unus adversus alium infletur: ne strictiori simulque sublimiori voto devinctus liberiorem in carne spernat: aut ille qui vinculo caret arctiùs alligatum dijudicet. Uni Domino servimus omnes, & illam unitatem quâ sanctos novimus conglutinatos in cœlis, æmulari debemus omnes qui sumus in terris.

Satisfaciendum adhuc breviter est illi quæsito, quo petebatur in objectione: Quid potest amplius homo facere, quàm semetipsum in holocaustum offerre Deo, prout faciunt Religiosi? Resp. Quòd, licet holocaustis omnibus hoc sit commune, quod totum Domino sacrificetur; unum tamen holocaustum est alio melius, est pinguius & præstantius: Non enim frustra dictum est: *Holocaustum tuum* PINGUE *fiat.* Et iterum: *Holocausta* MEDULLATA *offeram tibi.*

Ps. 9. v. 4.

Ps. 65. v. 15.

Pau-

Pauciſſimi profectò ſunt, qui, dum offerunt holocauſta, ſolicitè curant, ut illa medullam in oſſibus habeant. Nam (ut nihil dicamus de illis, quibus hoc ſatis eſſe videtur, ut pellis holocauſtorum niteat exteriùs, hoc eſt, qui Deo ſerviunt hypocriticè, dum exterminant facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes) multi reperiuntur qui vix ultra ſoliciti ſunt, quàm ut eorum holocauſta bonam carnem habeant, hoc eſt, internam hanc devotionem fovent, quâ carnem ſuam in tantum mortificent, in quantum hoc præcepta Domini ſciunt requirere. Et hi in bonorum catalogo ſunt infimi.

Secundi magis ad interiora procedunt, & ſoliciti ſunt ut holocauſta illorum oſſa habeant, & fortiſſimus Domino famulatus exhibeatur per obſervantiam vitæ regularis.

Tertii denique totaliter ad intima penetrant, nec feciſſe quidpiam ſibi perſuadent, ſi medullam non habeant eorum holocauſta, *Dominique voluntatem* in omnibus adimpleant. Unde præclariſſimè quondam Richardus Victorinus locum Davidis præallegatum explicans, ait: MEDULLA *intra oſſa lati-*

tat, & impinguat. Virtutum medulla, *intentio bona.* Virtutum medulla, *intentio intima. Ex bonâ namque intentione, ex intimâ animi devotione, virtutes irrigantur, & ad perseverantiæ robur solidantur. Sacrificia itaque medullata, obsequia devota. Sit ergo devotâ mansuetudo nostra, sit obedientia nostra, sit humilitas nostra devota, ut sit* medullata *quælibet oblatio nostra.*

Et S. Augustinus: *Quid est* (inquit) *medullata? Intus teneam charitatem tuam: non erit in superficie, in medullis meis erit quod diligo te.*

Aug. in Ps. 65.

CAPUT XX.

Ad illos qui objiciunt, quòd omnia semper extrema *sint vitanda.*

§. A. AD *perfectionem charitatis acquirendam* (ait D. Thomas) *primum fundamentum est voluntaria paupertas.* Dum quis scilicet non aliquam bonorum suorum portionem, sed omnia prorsus abdicat,

D. Th. 2. 2. q. 186. art. 3.

cat, pauperibusque distribuit.

Non durum solummodò, sed etiam iniquum hoc esse verbum, videtur inde posse concludi, quòd virtus consistat in medio, sic ut virtutem exerceat ille, qui partem quidem bonorum pauperibus erogat, partem verò sibi reservat. Unde virtutis terminos transilire dicendus est, & in extremis errare, qui, nihil retinendo sibi, totum quod possidet alienat.

Cum hac objectione videtur illa coincidere, quâ diceret quis, majorem suæ libertatis portionem abdicare per vota Religiosæ professionis, secundùm aliquam Regulam determinatam: & aliâ suæ libertatis partem, in his videlicet quæ supererogatoria sunt, sibi retinere, summæ virtutis esse.

Possem quidem per illationem absurdi ex hoc doctrinâ, illam refellere, dicendo: Ergo non debet laudari S. M. N. Teresia de voto suo, sed argui potiùs. Rectiùs tamen me facturum existimo, si, quod objectioni primæ quam attulimus de paupertate D. Thomas respondet, idem ego respondeam secundæ, nimirum de voto. Igitur

RESP. *Quòd medium virtutis, secundùm* §. B.

D.Th.2. 2.qu. 186. a. 5. ad 3. *dùm Philoſophum in 2 Ethic. accipitur ſecundùm rationem rectam, non ſecundùm quantitatem rei. Et quidquid poteſt fieri ſecundùm rationem rectam, non eſt vitioſum ex magnitudine quantitatis, ſed magis virtuoſum.* Eſſet autem rationi rectæ contrarium ſi quis omnem ſuam libertatem prodigeret, per hoc quod ſe totum peccati jugo ſubjiceret. Eſt autem ſecundùm rationem rectam, ut hanc ipſam libertatem totam reſignet illi qui ſummè bonus eſt & ſummè ſapiens, per firmũ propoſitum illimitatæ perfectionis. Unde multò magis eſt ſecundùm rationẽ rectam, ut firmum hoc propoſitum per votum ſuperadditum ampliùs corroboret atque confirmet.

Non defuturos exiſtimo, qui ſtatim ac audient *votum Seraphicum* ac obedientiæ charitatis æmulandum ſuaderi, ſatis omnia doctrinæ ſaniſſimæ fundamenta ſe reputabunt evertiſſe, recantando vel illud Apoſtoli: *Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*: Vel illud vulgare proverbium: *Ne quid nimis.* Mihi verò probatur illa D. Bonaventuræ ſupplex oratio: *Conſilium tepidorum longè ſit à me;* quia ſcio quis dixerit: *Utinam frigidus eſſes*

Rom. 12. v. 3.

Bonav.

esses aut calidus, sed quia tepidus es & nec frigidus nec calidus, imò calorem & fervorem in divino servitio reprobans; *incipiam te evomere ex ore meo.* Apocal. 3. v. 16.

Non mihi displicet illud, *ne quid nimis*: Verùm si reprobare volueris quidquid judicio palpitanti mortalium apparet, *nimis*; tibi rectiùs applicandum erit illud, *ne quid nimis*: extra limites enim veritatis tua prorumpit audacia, qui non vereris ardorem illum reprobare, cujus causâ de cœlo quondam Sapientia divina descendit. Multò sanè discretiùs olim Joannes Cassianus: *Studendum* (ajebat) *nobis est ut de* TIMORE *ad* SPEM, *de* SPE *ad* CHARITATEM *Dei vel ipsarum virtutum amore*, PERFECTO MENTIS CONSCENDAMUS ARDORE. Eph. 2. v. 4.

Dic, obsecro, quicumque reprobas, quidquid *nimium* appellatur, quem habet in corde tuo locum illa charitas de quâ scribit Apostolus: *Deus, qui dives est in misericordiâ, propter* NIMIAM *charitatem suam, quâ dilexit nos, convivificavit nos Christo?* Reprobandam igitur existimas charitatem illam, quâ redemptus es? Si tale sit judicium tuum, apertè dico, tu ipsemet reprobandus es. §. C.

Corn. à Lap.

„ Sapientiùs quondam Corn. à La-
„ pide, Charitas hæc, inquit, *nimia*
„ dicitur reſpectu hominum tam miſe-
„ rorum & indignorum, non reſpe-
„ ctu Dei; Deum enim, qui eſt ipſa
„ bonitas increata decet hæc immenſa
„ ſui communicatio & *nimia charitas* in
„ homines. Sic Ageſilaus Rex cùm in-
„ gens donum cuidam plebeio daret,
„ illeque ex verecundiâ recuſaret, di-
„ cens hoc eſſe *nimis magnum* pro ſe.
„ At, inquit Rex, non eſt *magnum ni-*
„ *mis* pro Ageſilao.

Dixerim ego ſimiliter, quòd licet *votum Seraphicum* intellectui tepidorum ſit *quid nimis*: nequaquam tamen intellectui Deo fideliter atque ferventer inſervientium. Non inficior, is qui ſe voto majoris perfectionis obſtringit, jurat ac ſtatuit judicia Domini cuſtodire nimis: Infelicem porrò ſi talem propterea dicere volueris, ego magis credam Pſalmiſtæ canenti: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet* NIMIS.

Pſ. 111. v. 1.

Quid eſt, quæſo, *votum*, niſi *vinculum*, quò, tam Deus unitur animæ, quàm anima Deo? Si poſſit anima nimis uniri Deo, vel Deus animæ, reprobationem *voti Seraphici*, tanquam nimii,

nimii, tecum approbabo. Sed abſit à mente ſanâ, ut nimiam hominis miſeri cũ ſummâ bonitate ſuſpicetur unionẽ.

Diligenter autem hîc advertendum eſt, omnem hanc voti commendationem, ſic intelligi debere ſemper, ut ad illius praxim prudentia valdè ſit neceſſaria: prout anteà clarè demonſtravimus. Porrò quamvis, argui debeat omnis indiſcretio, neſcio tamen quonam honore fulgeat illa, quæ ſupra vires ſuas Deum compellit honorare. *Vide c. 8. & 9. hujus lib.*

Devotiſſimus ille Sanctæ Matris N. Tereſiæ Frater, Laurentius de Cepedâ, nimio quodam fervoris impetu Deo promiſerat, quòd ne venialiter quidem ipſum offenderet. Huic itaque ſapienter in hæc verba ſcripſiſſe reperimus prudentiſſimam ipſius animæ Directricem: *Antequam obliviſcar; dic mihi, quid eſt, quod, me inſciâ* (cui obedientiam promiſiſti) *præſumas aliquod votum emittere? Ecce pulchram ſanè multaque gratiâ plenam obedientiam. Reſolutio tua non minus mihi timoris attulit, quàm conſolationis.* Cætera quæ ſubnectit non adfero, quia totam attentionem noſtram verbis ultimis jam citatis impendere conTer. Ep. 31.

veniet. Mirum quippe non immeritò videatur alicui, quòd S. Mater N. Teresia, Fratrem objurgando, se dicat ex ejus voto consolationem non exiguam, secundùm proportionem timoris videlicet, percepisse. Nunquid enim discretionis & prudentiæ limites Frater exorbitaverat & ad extremitatem vitiosè declinaverat ? Declinaverat indubiè : nec non hoc ipsum etiam vitiosè. Ergone de vitio tantopere gaudendum erat Seraphicæ Virgini ? Gaudendum utique : sed de vitio virtuoso. Talia siquidem vitia, quæ per ignorantiam potius, quàm malitiam, ex fervoris impetu nimio, committuntur, licet zizania sint, ex optimo tamen cordis fundo, quem apertè testantur, prodire consueverunt.

§. D.

Pet. Damian. Ep. 22.

Epistola quædam à Sancto Petro Damiano scripta ad Nepotem suum, non parum ad rem hîc facere videtur; dicit enim : *Audio inter cætera, quia dum tanta brumalis algoris inclementia tunc in illis Alpibus inhorresceret, ut congesta nivium moles quarumlibet domorum culmina superaret, tu, projectis vestibus, nudum te in illa nivalium ruderum profunda latenter immergeres : ibique te quendam Fratrum planè semi-necem*

mi-necem reperiſſe. Qui, cum, te ſeveriùs (ut dignum erat) argueret, diceris reſpondiſſe: Caro me conatur occidere, ſed ego eam potius occidam. Et poſtmodum non quidem ſub dio, ſed ſub quo neſcio repertus es ædificio in nive ſimiliter provolutus.

In quo nimirum facto, licet regularis non ſit diſſimulanda correptio; MALO TAMEN UT MODUM DISCRETIONIS IN ALIQUO NIMIUS FERVOR EXCEDAT, *quàm degeneres animos deſidis ignaviæ torpor aſtringat. Laborioſiùs enim eſt trunco ramos, qui non habentur, inſerere, quàm arbori ſuperfluos amputare. Equus etiam majoris eſt pretii, qui, præ curſûs impatientiâ, cohibenda lora requirit, quàm qui fodienda calcaribus latera per ignaviam ingentis torporis exponit. Ille ſiquidem dum pernix ac velox perpetis greſſus volumina glomerat, reducto paululum chamo, facilè cohibetur; iſte verò verberatur & tunditur, nec tamen equinâ concitus agilitate deproperatur, ſed ſe per gemini torporis ignaviam velut aſinum repreſentat.*

Licet itaque & hoc vitium ſit, quod limitem diſcretionis excedis, MELIUS EST TAMEN TE NIMII FERVORIS ARGUI, *quàm fœdo deſidii morbo notari. Non itaque volo, ut in te hæc laudabilis zeli flamma deſerveat; ſervato tamen, ut indiſcretionis exceſſum, ubi*

necesse est, Priorum tuorum gravitas ac disciplina compescat. Per hunc enim zelum intellexi, quòd spiritus ille, qui te, ut de domo cum Abraham exires, admonuit, non recessit.

Prudenter sanè purpuratus hic Pater non tantùm reprehensibiliter laudabilem ostendit sui Nepotis imprudentem fervorem: verùm etiam edocet quomodo fervorem hunc irreprehensibiliter laudabilem efficiat, obedientiæ nimirum directionem audiendam suggerens ac dicens: *Indiscretionis excessum, ubi necesse est, Priorum tuorum gravitas ac disciplina compescat.* Unde non satis video quomodo reprehendi possit hujus libelli doctrina, quæ non tantùm hoc ostendere satagit (aut potius veritatem à Richardo commendatam ostendit) quòd expediat *votum obedientiæ charitatis* emittere; sed illud præterea diligenter inculcat, ne votum istud absque calculo vel obedientiâ Directoris idonei nuncupetur.

§. E. Verè non capio, quanam ratione votum hujusmodi non debeat ut virtuosum ac laudabile celebrari. Peto siquidem quid est virtus? *Virtus est ad judicium rationis usus liberæ voluntatis*, inquit

quit S. Bernardus, Hanc verò definitionem postquam tradidit non pauca nostro satis idonea proposito subnectit: *Bona voluntas* (inquit) *in animo est origo omnium bonorum, & omnium mater virtutum. Sic è converso mala voluntas est origo omnium malorum & vitiorum. Ideò custos animæ suæ valdè solicitus esse debet circa custodiam voluntatis suæ, ut prudenter intelligat & discernat, quid in totum velit, vel volendum sibi sit, sicut est amor Dei; quid propter illud, sicut est amor proximi. Ut enim in illo tuta sit omnis indiscretio, in hoc semper* SECUNDÙM OBEDIENTIÆ REGULAS *cauta & prudens debet esse dilectio. In dilectione quippe Dei non alia ratio, non alia discretio est, nisi ut sicut ille cùm dilexisset nos, in finem dilexit nos: sic, si fieri potest, in infinitum diligamus eum nos, sicut beatus vir qui in mandatis ejus cupit nimis. Sed cum nullum finem vel terminum habere debeat devotio amantis; tamen terminos suos, fines & regulas habere debet actio operantis.* *Bern. ad Frat. de monte Dei.*

Si non possit esse nimia (dicet quispiam Hagiophilorum) devotio amantis, nec nimia poterit esse necessitas voti vel voventis, *per quam magis augetur devotio quæ à devovendo nominatur*, uti verbis expressis Doctor Angelicus affirmat. *D. Thom. Opusc. 17. cap. 13.*

mat. Unde videtur etiam quòd prudentiæ regulas in vovendo nullus possit offendere, licet etiam votum, non præmissâ probatione cum approbatione Directoris, emitteret. Resp. Quòd votum non pertineat ad devotionem amantis, sed ad actionem operantis: est enim votum non quædam voluntatis promptitudo vel fervor ad exequendam Dei voluntatem, sed potius actio quædam procedens ex tali prōptitudine vel fervore, suoque nexu hęc eadem roborans atque confirmans. Unde clarum est quòd suos debeat habere terminos, fines ac regulas.

Sed quidnam, obsecro, terminos hosce, vel fines, aut regulas præscribet? Audiendus hîc iterum D. Bernardus, qui citatis jam verbis addit sequentia: *Ne aliquando oberret animæ voluntas, necesse est quòd semper* ADSIT, MEDIANTE OBEDIENTIÂ, VERITAS. Ecce quàm te sapienter Hagiophile Doctor mellifluus instruit, ut bonam, quam tibi Deus inspiravit, vovendi perfectiora, voluntatem, dirigere satagas secundùm judicium rectum, secundùm obedientiam sanctam, secundùm infallibilem veritatem. Sic enim *votum Seraphicum*, quod

quod est virtuosum in se, futurum est etiam virtuosum pro te: quia *virtus est ad judicium rationis usus bonæ voluntatis.* Et hoc quidem eo fine dictum velim, ne citra prudentem obedientiam *obedientiæ perfectæ votum* Hagiophilorum aliquis præsumat emittere: quia scilicet in eo debet esse non tantùm *bona voluntas*: sed etiam discernens omnia *veritas.*

Porrò si concurrant hæc duo, candidè fateor, quòd concipere non valeam, quomodo *votum Seraphicum* possit alicui non esse bonum: prædictus enim Religiosissimus Pater appositissimè prosequitur: *Nihil in bonum hominis, in Deum proficientis, tam sibi convenit, quàm voluntas & veritas. Hæc duo sunt, quæ, sicut dicit Dominus, si consenserint in unum, quodcumque petierint, fiet eis à Deo Patre. Si duo hæc in unum perfectè consenserint, omnem in se continent virtutum plenitudinem, sine vitio intercurrente, omnia possunt in homine etiam languente, omnia habent & possident in homine nihil habente, dant, mutant, conferunt, prosunt in homine secum quiescente. Gloria & divitiæ in conscientiâ sancti viri illius, ex fructibus voluntatis ejus. Foris verò non ex uno latere, sicut scutum hujus mundi, sed undique eum circumdat scutum veritatis Dei.*

Volent

§. F. Volent itaque ſpicula, contorqueantur jacula, exhauriatur dicteriorum pharetra: congerant quotquot voluerint ſcommata contra bonæ voluntatis & obſequioſæ veritatis Hagiophilum, eo quòd *Tereſiano* ſe *voto* conſtrixerit: vocent eum ſtultum, indiſcretum, objiciant ad extrema declinare; ſi non tantùm probationem ſed etiam approbationem ſuo voto præmiſerit, ſcuto ſuo coronabitur, & exultabit quòd ſimilis aliqualiter illi fiat quem hiſce verbis alloquitur S. Thomas de Villanova: *Qui omnia in numero, pondere, & menſurâ feciſti, in diligendo me, modum, pondus, menſuram* EXCESSISTI: tum ſcilicet maximè, quando, cùm poſſet guttâ, redemit undâ.

Verumenimverò tantum abeſt ut propter exceſſum hunc Dominus erubeſcat, ut etiam in claritate ſupremâ gloriæ ſuæ, dum transfiguraretur in Monte ſancto loqueretur ipſemet EXCESSUM *quem completurus erat in Hieruſalem.* Studeamus igitur & nos ſobrii quidem eſſe proximo, mente verò excedere Deo: quoniam amor, quo amatur bonum infinitum, hoc eſt, verus amor nullum novit habere modū.

Luc. 9. v. 31.

Quin

Quin imò ſapienter à S. Dionyſio dictum legimus : *Amor vivit* EXCESSIBUS.

Non igitur immeritò dici poteſt omnibus : *Ecce Sponſus venit*, exiens à ſeipſo, EXITE *obviam ei*. Exite : nolite diutius in vobismetipſis remanere, ſed ab omni, quod vobis eſt innatum atque proprium, exite. Tria porrò ſunt nobis propria: primum eſt intellectus, plenus ignorantiis : ſecundum voluntas, oppreſſa peccatis : tertium libertas ſive potentia ſemper à *Dei voluntate* recedendi. Magna certè felicitas eſt à duobus primis per *Seraphicum propoſitum* exire ; intellectum ſcilicet ac voluntatem noſtram *arbitrio divino* fideliter in omnibus ſubjiciendo : Verùm quamdiu manemus adhuc in illâ potentiâ ſive libertate, quâ felicitatem hanc valemus amittere, nondum complevimus exceſſum noſtrum. Matt. 25. v. 6.

Quamvis autem omninò perfectè nequeamus illum complere, quamdiu fluctuamus in hac temporum varietate, plenumque ſperare complementum debeamus in vitæ cœleſtis æternitate : huic tamen æternitati pręludere poſſumus, & *voto Seraphico* nos roboran-

borando, & cum Seraphicâ Virgine ferventer ingeminando: *Quàm ô liberum arbitrium libertatis tuæ mancipium es, nisi timore & amore ejus, qui te creavit, colligatum sis. Quando tandem beata illa dies eluceſcet, quâ te in infinitum illud ſummæ veritatis pelagus immerſum & abſorptum videbis, ubi nullam ad peccandum libertatem habebis, nec habere cupies: quia tunc ſecurum eris, nullam te poſthac habiturum miſeriam, utpote cum vitâ Dei tui unum quid factum & naturalizatum? Ipſe beatus eſt, qui ſe novit, ſe amat, & ſeipſo fruitur, adeò ut aliter facere nequeat; non habet, nec habere poteſt (neque etiam eſſet perfectio Dei, poſſe habere) libertatem ad ſuipſius obliviſcendum, & ſeipſum amare deſinendum. Tunc demum introibis, anima mea, in requiem tuam, quando cum ſummo illo bono viſceraliter unieris; & intelliges quod ipſe intelligit, amabis quod ipſe amat, & frueris quo ipſe fruitur. Vbi ergo mutabilem tuam voluntatem jam amiſſam videbis, nulla deinceps mutatio erit facienda: tantum quippe potuit Dei gratia, ut te divinæ ſuæ naturæ participem fecerit, idque tam perfectè, ut jam non poſſis, nec velis poſſe, ſummi boni obliviſci, aut eo, unà cum amore ejus, non frui.* Ecquis igitur Seraphico fortè voto conſtrictus,

Ter. Meditat. 17.

strictus, cum hæc recogitat, non fateatur se cum suis complicibus & S. Francisco posse dicere:

MAGNA DEO PROMISIMUS:
MAIORA PROMISSA SUNT NOBIS.

CAPUT XXI.

Ex epistolâ Sancti Patris Augustini, *quæ ponitur num. 45, puncta quædam notabiliora, non parvam dictis & lucem & firmitatem adferentia.*

TItulus epistolæ 45 Sancti Patris Augustini talis est: *Augustinus Armentarium Riparium & hujus uxorem* (Paulinam) *hortatur ad* PERFECTUM *mundi contemptum, quem jam* VOVERANT: *vetans tamen ne conjux votum exequeretur absque conjugis consensu.*

In epistolæ contextu non loquitur Sanctus Pater expresè nisi de voto castitatis: unde quid causæ sit, quòd

in titulo dicatur fuisse votum generaliter de perfecto mundi contemptu, me fateor ignorare; suspicari tamen eos non emisisse votum à *voto Seraphico* multum absimile. Quidquid sit, hæc epistola tali voto non parum quadrat.

Initium epistolæ et PUNCTUM I. *Vir egregius & filius meus Ruferius, affinis vester, retulit mihi, quid Domino voveritis: quâ ejus narratione hilaratus, & ibidem metuens, ne aliud suadeat ille tentator, qui bonis talibus antiquitus invidet, exhortandam paucis credidi charitatem tuam, Domine eximie, meritoque honorabilis & desiderabilis fili, ut cogites quod in divinis eloquiis legitur: Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem: atque arripias curesque reddendum, quod ei te vovisse nosti, qui & debita exigit, & promissa solvit. Nam & hoc scriptum est: Vovete & reddite Domino Deo vestro: quamquam & si non vovisses, quid aliud tibi suadendum fuit, aut quid melius ab homine fieri potest, quàm ut ei se restituat, à quo institutus est: præsertim quia charitatis erga nos Dei tantum apparuit atque eluxit indicium, ut filium suum unigenitum mitteret, qui pro nobis moreretur.*

In hoc primo puncto tria mihi præcipuè

cipuè notanda videntur. Primũ, quòd, cum S. Auguſtinus te dicat exhilaratum narratione Ruferii de voto Riparii, quamvis laudabiliter hujuſmodi vota poſſint celari, non tamen reprehenſibile ſit, quando requirit occaſio, confidenter eadem revelari: quodque non ſit in ſimilibus cum anxietate vel ſcrupulis procedendum.

Secundum, quòd, cum dicat S. Pater, non aliud quàm votum iſtud ſuadendum eis fuiſſe, nihil contra prudentiam illi faciant, qui alios ad vovendum aut ad alia quoque Dei conſilia conantur prudenter inducere: prout etiam his verbis D. Thomas inſinuat: *Si laudabiliter faciunt & à Spiritu Dei moventur, qui ſe obligant voto ad Religionis ingreſſum, conſequens eſt eos laudabiliter facere, qui alios ſuis exhortationibus ad hoc inducunt, in hoc Spiritui ſancto cooperantes, dum ſatagunt id exteriori miniſterio ſuadere, quod Spiritus ſanctus inſtigat interius. Vnde* 1. *Cor.* 3. *dicitur: Dei enim adjutores ſumus, forinſecus ſcilicet miniſtrando.* D. Thõ. Opuſc. 17. c. 12.

Tertium, quòd S. Auguſtinus hîc incipiat oſtendere neceſſitatem congruentiæ maximam, quæ nobis provenit (ſi non ingrato velimus corde

langueſcere) ab ipsâ Dei bonitate, nos amore ſuo miſericorditer præveniente, ut nihil, quod ei placet, redamando ſubterfugiamus.

PUNCTUM II. *Reſtat ergo ut fiat quod Apoſtolus ait, propterea mortuum eſſe Chriſtum, ut qui vivunt non jam ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit: niſi fortè adhuc mundus amandus eſt, tantâ rerum labe contritus, ut etiam ſpeciem ſeductionis amiſerit. Nam quantum illi laudandi atque prædicandi qui dignati non ſunt etiam cum mundo florente florere; tantum increpandi & accuſandi ſunt, quos pereunte delectat. Labores & pericula & exitia hujus tranſitoriæ vitæ, ſi pro eadem vitâ quandoque finiendâ; ſubeuntur, ut mors eis non omninò auferatur, ſed paulùlum differatur: quantò magis pro æternâ, ſubeunda ſunt, ubi mortem nec natura ſollicitè cavet, nec ignavia turpiter timet, nec ſapientia fortiter ſuſtinet.* Unde infert: *Habeat te igitur vita æterna in dilectoribus ſuis.*

In hoc II. puncto poſtquam S. Epiſcopus adhuc verbo tetigit illam neceſſitatem, quâ nos bonitate ſuâ Deus vehementer allicit, ut perfectioni vacemus; aliam addit neceſſitatem, quâ

quâ nos miseriâ suâ mundus ipse compellit, ut hanc vacationem non omittamus: sed nec illam tacet obligationem, quam cupiditati cordium nostrorum ingerit spes præmiorum.

PUNCTUM III. *Nonne cernis hæc vita miserabilis & egena, quàm vehementes habeat, quantumque sibi obliget, amatores suos? qui tamen periculis ejus sæpiùs turbati, citiùs eam finiunt, eo ipso quod finire formidant, & mortem, dum declinant, accelerant; veluti si quispiam fluvio rapiendus irruat, latronem bestiamve fugiendo.*

In hoc III. puncto, obligationem illam, quâ nos constringere debet amor æternitatis, satis ostendit, illi præferendam obligationi, quâ multos constringit amor vitæ mortalis: quæ quanta non extorqueat à dilectoribus suis, dum ponderat S. Pater, quantoperè præponderare debeat in cordibus nostris amor æternæ felicitatis, & nequaquam minus nos ad fervorem excitare, longiori discursu deducit: quem in ipso contextu latiùs invenire, si volet, Lector poterit.

PUNCTUM IV. *Æternæ vitæ adipiscendæ istam temporalem velut famulam expeditiorem servire facimus, si eam nec or-*

namentorum vanorum VINCULIS *alligemus, nec curarum noxiarum ſarcinis oneremus, adeamusque Dominum, qui nobis illam vitam, ſummo ardore deſiderandam, fideliſſimè pollicetur, velut in totius mundi concione clamantem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Hæc diſciplina piæ humilitatis, ventoſam & turbidam cupiditatem, avidam rerum extra noſtram poteſtatem conſtitutarum, pellit ex animo, & quodammodò expirat. Ibi enim labor, ubi multa quæruntur & diliguntur, quibus adipiſcendis atque retinendis voluntas non ſatis eſt, quia conſequentem non habet facultatem. Iſta verò vita, cùm volumus adeſt, quia eam ipſam plenè velle, juſtitia eſt. Nec plus aliquid perfecta juſtitia, quàm perfectam voluntatem requirit. Vide ſi labor eſt, ubi velle ſatis eſt: Unde divinitus dictum eſt: Pax in terrâ hominibus bonæ voluntatis.*

In hoc IV. puncto ipſam imprimis veræ ſolidæque perfectionis indolem S. Auguſtinus deſcribit; & poſteà, quàm ſit illius praxis facillima, luculenter oſtendit: de quâ mox illud notabile ſubnectit: *Hæc eſt una ſarcina, quâ ejus bajulus non premitur, ſed levatur.* Unde rectè concludit PUNC-

PUNCTUM V. *Reddite igitur quod voviſtis, quia vos ipſi eſtis: & ei vos reddite à quo eſtis; reddite obſecro: Neque enim quod redditis reddendo minuetur, ſed potiùs ſervabitur & augebitur. Benignus enim exactor eſt, non egenus: & quì non creſcit ex redditis, ſed in ſe creſcere faciat redditores. Huic ergo quod non redditur, perditur: quod autem redditur, reddenti additur: imò verò in eo cui redditur ipſe reddens ſervatur. Idipſum quippe erit redditum & redditor; quia idipſum erat debitum & debitor. Deo namque ſeipſum debet homo, eique reddendus eſt, ut beatus ſit, à quo habet ut ſit.*

In hoc V. puncto felicem jam ipſius voti neceſſitatem S. Antiſtes oſtendit, dum vota reddentis utilitatem depingit. Dum verò, quòd homo ſe Deo debeat, aſſerit, eidem perfectè ſerviendi, per obſervantiam tam conſiliorum quàm præceptorum, obligationem, ad minus congruentiæ, rurſus oſtendit. Ne quis verò replicet, ipſum Præſulem hoc tantùm velle ſignificare, quod homo ſeipſum Deo debeat taliter, ut debitum illud per ſolam præceptorum obſervantiam extinguat, eique plenè perfecteque ſatisfaciat, ea quæ dicit interjectis nonnullis attentè trutinet:

Reddenda est, inquit, imago, Dei nimirum, animabus nostris impressa, *cum promittitur, cui etiam non promissa* debetur. Urget hîc enim S. Pater, ut quod Deo promisit Armentarius, ei reddere non detrectet, eò quòd tantoperè debitum istud, quod reddere promiserat, ei sit obligatum, ut etiam ante promissionem, quam fecerat illi Armentarius, ei fuerit debitum. Qualiter, quæso, debitum reddere Deo promiserat Armentarius, an per solam observantiam præceptorum, an verò præterea per observantiam quoque consiliorum? Postremum illud ea, quæ statim addit, manifestissimè convincunt.

PUNCTUM VI. *Possem quidem pro meâ quantulacumque facultatulâ, sancti propositi, quod Deo vovisse vos comperi, uberiùs laudare fructum, ac demonstrare quid distet inter Christianos dilectores hujus mundi, & contemptores.* Deinde post pauca superaddit: *Possem etiam pro modulo meo, eosdem ipsos pertinentes ad dexteram regnumque cœlorum in suis gradibus meritisque distinguere, atque ostendere, quo differat vita conjugalis filios procreantium, patrum matrumque familias, verumtamen religiosorum*

ac

ac piorum, ab eâ vitâ quam vos Deo vovistis, si nunc ad eam vovendam exhortandus esses: sed quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit quo esses inferior: quamvis non sit gratulanda libertas, quâ fit ut non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed à magnâ iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vovisti, qualis mansisses si nihil tale vovisses. Minor enim tunc esses, non pejor: Modò autem tantò (quòd absit) miserior si Deo fidem fregeris, quantò beatior si perseveraveris.

In hoc VI. puncto, satis indicat S. Augustinus Armentarium vovisse seipsum Deo, non tantùm quoad observantiam præceptorum, sed etiam consiliorum: ac proinde, cum puncto superiori dixerit, quòd etiam ante promissionem Armentarius semetipsum Deo debebat, ostendit hominem ad observantiam consiliorum, nihil etiã promittendo, non posse non suo modo teneri: hoc est, non sub aliquâ culpâ, nam idcirco dicit in hoc puncto, *Priusquam esses voti reus, liberum fuit quo esses inferior*; sed sub notâ turpitudinis

& ingratitudinis; prout etiam ex principio hujus epistolæ satis liquet.

PUNCTUM VII. *Aggredere itaque intrepidus; & dicta imple factis: ipse adjuvabit qui vota tua expetit. Felix necessitas quæ in meliora compellit.*

In hoc VII. puncto confirmat Augustinus id quod frequenter hîc inculcatur, humanam scilicet infirmitatem, impedimentum aliquod speciale, ne quis votum prudenter emittat, nequaquam censeri debere, tantoque magis felicem esse necessitatem, quantò magis necessariam felicitatem.

PUNCTUM VIII. *Una sola esse causa posset, quâ te id quod vovisti, non solùm non hortaremur, verùm etiam prohiberemus implere, si fortè tua conjux hoc tecum suscipere animi vel carnis infirmitate recusaret.*

In hoc VIII. puncto, paucis verbis, eandem doctrinam S. Pater exhibet, quâ refellere conatus sum illorum errorem qui in consiliorum praxi impedimenta specialia facilè nimis effingunt. Nunquid enim conjugalis amor, spes generandæ prolis, aliaque similia, pro specialibus impedimentis, ne castitas à maritatis voveatur, vulgus

gus existimaret ? Aliud existimare tamen se D. Augustinus hîc apertè significat.

PUNCTUM IX. *Sed cum illam* uxorem tuam *tam paratam esse audiam Deo dicare continentiam, ut eo solo impediatur, si tibi debitum reddere, conjugali jure compellitur: ambo Deo reddite quod ambo vovistis, ut illi persolvatur, quod ab alterutro non exigitis. Si continentia virtus est, sicuti est, cur ad eam sit promptior sexus infirmior, cum virtus à viro potiùs cognominata videatur, sicut similitudo vocabuli resonat. Noli ergo vir abhorrere à virtute, quam mulier est parata suscipere. Sit vester consensus, oblatio ad supernum altare Creatoris & victâ concupiscentiâ, tantò fortius, quantò sanctius* VINCULUM CHARITATIS.

Hæc sunt, *amice Lector*, quæ de *proposito votoque Seraphico*, tanquam apis, hinc inde colligere potui, cibo solidiori tuam desiderans animam enutrire: quem ut cum fructu manduces, breve tibi verbulum adhuc habeo communicandum.

Datam antiquis à Deo legem novimus, ut illa tantùm animalia reputarentur munda, quæ sunt consueta ruminare. Si non es immundum *Lev. 11. v. 3.*

animal, ut hujus libelli doctrinam attentè rumines te velim admonitum: nec tibi sufficiat fidei veritates levi tantùm cogitatione percurrere, sed & recogitare memineris. Invenies autem etiam nunc hunc Hieremiæ planctum verificari: *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui* RECOGITET *corde.*

Jerem. 12.v.11.

APPEN-

APPENDIX

SIVE

Responsio brevis ad quasdam Theses Theologicas.

POstquam, amice Lector, attentè consideraveris doctrinam hujus opusculi, cum omnibus suis circumstantiis & approbationibus congruis, prout illud hîc vides impressum, tunc, si quid opponendum occurrat, opportunum hoc faciendi tempus esse, non desiteberis. Sed quid si videres per Theses publicas improbari librum, interim dum illius impressio tantùm incipit, & hoc absque certâ scientiâ qualiter imprimatur, an videlicet aliquid per deputatos Censores vel aliter correctum vel mutatum fortè sit, an verò secus, justumne credis ut approbetur hujusmodi præcipitatio ? Nunquid magis prudenter Justus Lipsius; *Reverentior sum* (inquit) *publici, quàm ut mea protrudam tam properante manu* ?

Suspen-

Suſpendis, ut video, judicium donec aperiâ quò tendat hujuſmodi quęſtio. Quæſtionem hanc movere me faciunt illę Theſes Theologicæ quas anno præterito die 5. Auguſti, Erudentiſſimus quidam S. Th. Licentiatus publicè defendendas propoſuit: In quibus ita circa medium habet Concluſio

XXIV. *Excellentia ſtatus Religioſi.*

„ LAudatur à S. Thom. 2. 2. qu. 186. art. 9. ad primum ea profeſ-
„ ſio, in quâ profitens intendit ſe non
„ obligare ſub culpa ad obſervandam
„ regulam & ſtatuta, ut ſecuritati
„ conſcientiæ conſulatur; ſi tamen Re-
„ ligioſus talis ea obſervet, imo ope-
„ ra eximia, quæ ſunt ſupra regulam,
„ de voluntate Superiorum faciat, me-
„ rito virtutis Religionis pro iis præ-
„ miabitur, ut innuit S. Th. ibidem
„ art. 1. ad ſecundum, idque citra ſpe-
„ ciale de iis votum. Votum tale de
„ Superiorum licentia circa pauca
„ aliqua egregia opera ex eorum man-
„ dato facienda emittere ad animum
„ firmandum in futurum laudabile eſſe
„ poteſt (modò non ſit ſuperbiæ &
„ ſchiſma tis materia) non ita circa
„ omnia

„ omnia Religionis ſtatuta. Quid ergo
„ ſentiendum de voto ſeraphico ſera-
„ phicæ Matris S. Tereſiæ, efficiendi
„ ſēper quidquid perfectius eſſe intelli-
„ geret? quę in voto iſto involvebātur?

XXV. *Votum Seraphicum.*

„ VOtum illud non includebat vo-
„ tum de non peccando omnino,
„ vel de non peccando venialiter, hoc
„ quippe invalidum eſt. An ergo in-
„ cludebat votum de non peccando ve-
„ nialiter deliberatè, vel etiam modos
„ interioris affectûs, ut quod opera
„ bona faceret promptè, hilariter, in-
„ tensè, & an erat de quolibet & quo-
„ tidiano occurrente opere, an tantum
„ de notabilioribus, idque juxta Con-
„ feſſarii determinationem? Licet hoc
„ ultimum magis arrideat, cum alia
„ ſcrupulis ſint plena, determinatio-
„ nem tamen ex aliis diſcemus liben-
„ tius, quam ut os ponamus in cælum:
„ quidquid fuerit, magnum fuit, & ut
„ ait P. Joannes à Jeſu Maria: *Niſi*
„ *ab animo divini amoris flammis excocto &*
„ *in Deum perenniter rapto, edi non potuit,*
„ Et Didacus Epiſc. Tarrac. *His* (ſcili-
„ cet

„cet particulari consilio & inspiratio-
„ne Dei) *sepositis ineptia foret atque præ-*
„*sumptio*, tale votum emittere. Nisi
„quis ergo repererit Teresias, proba-
„veritque, non annuat, multò mi-
„nus tale aliquod votum consulat. Imò
„quomodo prudenter consuli possit
„aliquod præter dictum in conclusio-
„ne antecedenti, non videmus: si enim
„multas Confessarius seu Consiliarius
„addiderit in scrupulorum cautelam li-
„mitationes, ut quod fiat tantum ad
„tempus, vel obliget, etsi in gravi
„materia, tantum sub peccato veniali
„vel sub aliqua pœna, vel quod non
„comprehendat actus factos ex igno-
„rantia vel infirmitate, vel quod non
„comprehendat quotidiana opera, vel
„quod tantum obligabit graviter, quan-
„do opus in scripto præcipietur; quis
„non videat, quod ferè evanescat in
„auras, & equidem scrupulis scateat?

XXVI. *Propositum Seraphicum.*

„PRæterea: Personæ illæ, quibus
„tale consuleretur votum, vel es-
„sent Religiosæ, vel non; si Religio-
„sæ, regulam habent sanctam, con-
„stitutio-

„ ſtitutionesque ſanctas, & prudentes
„ magis, quam Confeſſarius vel Su-
„ perior particularis præſcribere poſſet;
„ illas ad amuſſim obſervent, & totæ
„ à Superiorum nutu pendeant, per
„ viam humilitatis incedant, & ut dixi-
„ mus, nullum, ſaltem notabile, me-
„ ritū etiam citra votum ſpeciale amit-
„ tent, cavebuntque à ſingularitatis
„ malo Religioni valde nocivo. Si non
„ ſint Religioſę perſonæ, cum variarum
„ conditionum, capacitatum, & com-
„ moditatum ſint quaſi ſingulæ, ſic ſin-
„ gulis ſingula deberet Confeſſarius prę-
„ ſcribere opera, modoſque vivendi,
„ ſicque haberet quod ageret, &c. Et
„ porrò: quæ erunt iſta tám eximia
„ opera ut illis impendatur totus ho-
„ mo? Ribera lib. 4. de vita S. Te-
„ reſiæ cap. 10. de illo voto loquens
„ ait: *Cujuſmodi votum nec unquam legi,*
„ *nec audivi quempiam emiſiſſe.* Chriſtus
„ tale vel aliud facere non indiguit, vel
„ ut firmaret ſuam voluntatem, vel ut
„ ſua opera haberent laudem & me-
„ ritum virtutis Religionis; attribuere
„ illud B. Virgini vel Apoſtolis eſt di-
„ vinare; attribuere primis Monachis,
„ antequam certam profiterentur re-
„ gulam,

„ gulam, est à suo scopo aberra-
„ re. Propositum seraphicum faciendi
„ semper, quidquid intelligitur esse
„ perfectius, supradictis scrupulis non
„ ita subjacet, sed quoniam spiritus,
„ ubi vult, spirat, nobis non displicet,
„ pluribus congruit, & facilius est con-
„ silium Ven. P. Alp. Rodericij p. 1.
„ tract. 7. Ut in defectibus extirpandis
„ (sic est de virtutibus exercendis) pro-
„ cedatur per unum, & per tempus
„ eidem insistatur.

XXVII. *Intentio circa dicta.*

„ HÆc à nobis de voto & propo-
„ sito seraphico posita sunt, non
„ ut pium fœtum dissipemus vel jam
„ ad nativitatem appropinquantē abor-
„ tiri faciamus, sed potius ut ejus na-
„ tivitati præludamus etsi cum inſci-
„ tiæ nostræ confusione, & ut bene na-
„ tus ambabus ulnis excipiatur, in sinu
„ cordis foveatur, & fructificet multis:
„ sic vovemus. Hæc omnia de verbo
ad verbum Eruditissimus Sacræ Theo-
logiæ Licentiatus.

Si verè simplicem oculum interio-
rem sola faceret charitas in intentione,

nec

nec requirenda foret etiam veritas in electione, oculum interiorem proponentis Theſes jam expreſſas non poſſem non verè ſimplicem appellare. Verùm ab hac appellatione me nunc revocat S. Bern. ita differens: *Ut interior oculus verè ſimplex ſit, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, charitatem in intentione & in electione veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam: & neſcio quemadmodum judicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas. Volens denique ad veram diſcipulos inſtruere ſimplicitatem magiſtra veritas: Eſtote, inquit, prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Præmiſit ergo prudentiam, ſine quâ neminem ſatis eſſe poſſe ſimplicem ſciret. Quomodo denique verè ſimplex erit oculus cum ignorantiâ veritatis? An verò vera poteſt dici ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas? Scriptum eſt enim: Ignorans ignorabitur.* Et poſt pauca: *Oculum* (inquit) *ſimplicem duo iſta faciunt bona, amor boni & cognitio veri.* Amorem boni ſonant ultima Theſium allegatarum verba. Qualiter autem præcedentia ſignificent veri cognitionem, ſincerè fateor me non cognoſcere, ſperare tamen quòd ſupradictus

De præc. & diſp. c. 17.

Defen-

Defendens (ut non dicam Impugnans) ad veri cognitionem facilè perveniet, si modò cum attentione majori perpendere velit ea quæ Tractatus hic exponit. Existimo siquidem nihil eum à vero seduxisse, nisi quòd in his perpendendis attentionem congruam non adhibuerit. Menti meæ sæpiùs recurrit id quod Mellifluus Episcopus cuidam scribit, his verbis: *Si quantum ad nostram devotionem stabiliendam à nobis impensum fuit studii, tantum alii studuissent ad eandem censurandam, & quid censurant expendissent, objectionibus adeò multiplicibus non impeteremur.*

Sales. Libro 6. Ep. 29.

Quid intenderit vovere Seraphica Mater nostra, quando primâ vice promisit absolutè semper facere quidquid intelligeret esse perfectius, quamvis ipsemet, incertum esse, nolim diffiteri, certum nihilominus esse probavimus, laudabiliter extolli *Seraphicum obedientiæ perfectæ votum*, & quod ad votum hoc, id voti quod statim citavimus, secundùm exemplum prudentissimæ Virginis Reformatricis, reduci debeat.

Doctrinam hujusmodi sibi displicere manifestat præfatus Defendens: & primò vituperium illius ex hoc quodammodò

modò concludendum insinuant ; quia *laudatur à S. Thomâ 2. 2. qu. 186. a. 9. ad 1. ea professio, in qua profitens intendit se non obligare sub culpâ ad observandam Regulam & statuta, ut securitati conscientiæ consulatur ; si tamen Religiosus talis ea observet, imò opera eximia quæ sunt supra Regulam de voluntate Superiorum faciat, merito virtutis Religionis pro iis præmiabitur, ut innuit S. Thom. ibid. art. 1. ad 2, idque citra speciale de iis votum.*

Ipsa D. Thomæ verba proferamus: *Ad Religionem pertinent non solùm oblationes sacrificiorum & alia hujusmodi, quæ sunt religioni propria, sed etiam actus omnium virtutum secundùm quod referuntur ad Dei servitium & honorem, efficiuntur actus religionis. Et secundùm hoc si aliquis totam vitam suam divino servitio deputet, tota vita sua ad religionem pertinebit. Et secundùm hoc ex vitâ religiosâ quam ducunt, Religiosi dicuntur qui sunt in statu perfectionis*, acquirendæ nimirum, licet non acquisitæ.

Dicit Erudentiss. Licentiatus, quòd S. Doctor hîc innuat Religiosum citra speciale votum de supererogationis eximiis operibus, merito virtutis Religionis pro iis præmiari : mihi tamen videtur ipsum illud hîc non ma-

Ubi suprà a. 5. ad 1. Lib. 2. c. 19.

gis innuere, quàm cùm sic loquitur: *Illi qui vivunt in Religione totaliter se & sua tribuunt Deo.* Hanc verò sententiam cum anteà demonstraverimus *voto Seraphico* non obesse, nil hîc superaddendum existimo: nisi tantùm hoc petere: Num Carm. Discalceatus v. g. qui citra votum, cum Superiorum licentiâ, vel difficilibus incumbit Missionibus, vel solitudinem eremiticam incolit, virtutis religionis merito pro his operibus eximiis, Regulam excedentibus, sit præmiandus? Affirmativum responsum Theses indicant. Verùm si quis hoc admittat, admittere debebit veram esse positionem eorum, qui sustinent non esse magis meritorium aliquid ex voto quàm sine voto facere, quam tamen ut hæreticam rejicit Angelicus Doctor: Quia si per talia supererogationis opera, citra votum, acquiratur meritum virtutis religionis, nec emisso votô magis aliquid quàm hujusmodi meritum supersit prætendendum: ergo non erunt meritoria magis opera cum voto quàm sine illo.

Vide hîc lib. 2. c. 4.

Prosequitur in eâdem Thesi: *Votum tale* (nimirum speciale) *de Superiorum licentiâ, circa pauca aliqua egregia opera, ex eorum*

eorum mandato facienda emittere ad animum firmandum in futurum, laudabile esse potest (modò non sit superbiæ & schismatis materia) non ita circa omnia Religionis statuta. Si quis omnia Religionis statuta sic voveret, ut fieret prævaricator, quoties aliquod eorum infringeretur, laudarem quidem hujusmodi de suo fervore, sed arguerem imprudentiæ. Porrò quid rationis habet, obsecro, Defendens, quòd votum speciale *circa pauca* tantùm *aliqua* egregia opera, ex mandato Superiorum facienda, non tamen circa *omnia*, dicat laudem posse promereri? An reprobare vult igitur *obedientiæ perfectæ votum*? In publicâ disputatione nuper approbavit, & approbari debet omninò. An verò credit hoc votum posse nuncupari, sic tamen ut non promittantur *omnia* egregia etiam opera de mandato Superiorum facienda? Si postremum hoc eligat, optarem doceri, num D. Thomas erraverit, quando scripsit: *Obedientia perfecta est secundùm quam subditus obedit in* OMNIBUS, *quæ non sunt contraria legi divinæ vel Regulæ quam professus est?* In 2. sēt. dist. 44. art. 3.

Ad sequentem nunc Thesim accedamus; in cujus principio Defendens

de voto particulari, quod S. Mater N. Teresia nuncupavit, inquirit. Quid in eo certum, quid incertum sit, jam indicavi. Considerandа porrò mihi videtur illa sequela, quæ circa medium hujus Thesis ita ponitur: *Nisi quis ergo repererit Teresias, probaveritque, non annuat. Multò minus tale aliquod votum consulat.* Si Defendens poneret: *Multò minus idem hoc votum consulat*; existimarem eum loqui de voto S. Matris N., prout illud primò fuit ab eâ nuncupatum: Verùm cum dicat: *Tale aliquod votum*, de quocumque simili voto sermonem ejus intelligendum arbitror, adeoque per hanc propositionem: *Nisi quis ergo &c.* exigere videtur, quòd perfectio *Teresiana*, sive quam habuit Seraphica Virgo, sit illis necessaria, qui perfectam vovere desiderant obedientiam.

Considerandum hîc est, supradictam Virginem plures perfectionum gradus ascendisse: nam quamvis altus omninò fuerit perfectionis gradus, ad quem pervenerat eo tempore quo votum suum primâ vice nuncupavit, anno videlicet 1560: nemo tamen expendens in perfectione Sanctos omnes continuò profeciſſe, præsumet inficia-

ri,

ri, quin multò ſublimior fuerit ille gradus, ad quem aſcenderat quinquennio poſt, quando votum ſuum abſolutè factum, ad obedientiæ perfectæ votum reduxit. Ac tandem dubitare non licet illam præfatos gradus procul adhuc ſuperaſſe quando diem clauſit extremum, anno 1582.

Nunc itaque peto: Quem, ex his tribus, gradum Tereſianæ perfectionis requiri credat, ut *votum Seraphicum* prudenter emittatur? Sublimiſſimum vel etiam medium ſi quis exigat, ipſam Virginem prudentiſſimam, de quâ loquimur, arguet imprudentiæ, utpote quæ votum ſuum, antequam ad hos gradus perveniſſet, nuncupavit. Primum itaque gradum ſufficere concedendum eſt. Sed an requiratur, & qualis fuerit, hoc ille dixerit, qui Tereſiani cordis ſacrarium intimiùs penetravit. Excuſandam credo meam tenuitatem, quæ ſcrutari non præſumens arcanum iſtud, notorium acquiſitę perfectionis gradum ſufficere demonſtravit, id eſt, habitum obedientiæ perfectæ. *Lib. 2. c. 8.*

Imò quomodo (ſubnectitur in eâdem Theſi) *prudenter conſuli poſſit aliquod, præ-*

ter dictum in conclusione antecedenti non videmus: si enim multas Confessarius seu Consiliarius addiderit, in scrupulorum cautelam, limitationes, ut quòd fiat tantùm ad tempus &c. quis non videat quo ferè evanescat in auras, & equidem scrupulis scateat? Nescio sanè quomodo scrupulum Defendens non habeat, ita confundendi limitationes: quarum confusio si per distinctionem tollatur, tota difficultas in auras evanescet.

Distinguendas esse duplicis generis limitationes, innuunt ea, quæ lib. 2. cap. 11. dixi: Nam primò quidem aliquas assignavi necessarias eis, qui capacitatem non habent *votum Seraphicum* integrè, vel prout capacibus congruit, emittendi. Deinde pro capacibus limitationes hujusmodi non tantùm non requiro, sed illas etiam ut noxias rejicio, suggerens aliam quæ non tam limitatio quàm explicatio debet haberi, videlicet ut hoc *votum obedientiæ perfectæ* non obliget sub peccato, nisi quando persona, cui præstabitur obedientia, præcipiet aliquid scripto.

Si quis contendere voluerit *obedientiæ perfectæ votum* sic explicatum, aut limitatum, in auras evanescere, contendat idem

idem etiam de voto regularis obedientiæ, quod in Religionibus ita communiter emitti ſolet, ut ſub peccato non obliget, niſi cum ſcripto præcipitur aliquid, & quidem ſub præcepto formali: prout ſingulariter in Conſtitutionibus noſtris, ab Apoſtolicâ Sede approbatis, exprimitur. *Part. 1. c. 1. §. 5.*

Ad aliam nunc Theſim progrediamur: Ubi primò conatur oſtendere, quòd perſonis Religioſis *votum Seraphicum* non conveniat. Ob quam, obſecro, cauſam? *Regulam* (inquit) *habent ſanctam, Conſtitutionesque ſanctas & prudentes magis quàm Confeſſarius vel Superior particularis præſcribere poſſet; illas ad amuſſim obſervent & totæ à Superiorum nutu pendeant, per viam humilitatis incedant.* Videtur per hæc verba Defendens contrarium omninò ſupponere, quàm contineat hujus libelli doctrina: innuit enim quòd Religioſus *voto Seraphico* ligatus, ſuam debeat Regulam & Conſtitutiones abjicere, quatenus magis prudentes à ſuo Confeſſario vel Superiore accipiat. Supponit etiam ſimilem à Superiorum nutu dependere non debere. Legitne in ſcriptis meis etiam vel minimum quod apparentiam habeat hujuſmodi ſuppoſitio-

sitionis? Nunquid lib. 1. cap. 14. probatum expressè reperit, quòd Religiosus non solùm taliter qualiter, sed cum aliquo fervore, cum vero perfectionis desiderio, suam debeat observare tum Regulam tum Constitutiones? Et quid rationis habet, obtestor, quòd sibi persuadeat ab humilitatis vel obedientiæ viâ recedendum illi, qui perfectam vovet obedientiam? Non existimo sanè leges aut obedientiam ab eo destrui qui perfectionem illarum non tantùm proponit observandam, sed etiam Deo promittit. Porrò non est novum in piis conatibus oppugnari; nam hoc olim D. Hieronymus experiebatur, cùm scribebat: *Si fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultûs mei comederem panem meum, & ventris opus solicitâ mente pertractarem, nullus morderet, nullus reprehenderet: Nunc autem, quia, juxta sententiam Salvatoris, volo operari* CIBUM QUI NON PERIT, *& antiquam divinorum voluminum viam sentibus virgultis jue purgare, error mihi geminus infigitur, corrector Scripturarum falsarius vocor, & errores non auferre, sed serere.* Qui scribentem imitari conor D. Hieronymum & *solidum* animabus ministra-

Hieron. in Prolog. in Job.

miniſtrare *cibum*, non debeo mirari ſi ſequar etiam patientem.

De ſpeciali merito, quod ex voto ſpeciali ſequitur, de quo Theſes iterum hîc loquuntur, ſatis diximus cum primâ vice loquerentur.

De ſingularitatis opprobrio nihil hîc etiam adjungam, cum iſtud abſterſum credam abundè per illam Joannis Nideri ſententiam, cujus verba Lector inveniet lib. 2. cap. 16.

Quantum verò ſpectat ad perſonas non Religioſas, quibus eadem Theſis arguit Seraphicum votum non convenire, gratioſam ſatis hujus rei cauſam allegat Erud. Licentiatus dicens: *Cum variarum, conditionum, capacitatum & commoditatum ſint quaſi ſingulæ, ſic ſingulis ſingula deberet Confeſſarius præſcribere opera, modoque vivendi: Sicque haberet* (inquit) *quod ageret.* Itane R. V. tantam perſonarum ſæcularium, hujus voti capacium, abundantiam invenit, ut anguſtietur, ne Director totus fatigetur in illarum obſequio? Næ V. R. felicem exiſtimo, utpote qui cum lucernâ Diogenis vix unam ſperarem invenire.

Etenim ad interrogationem, quam propo-

proponit, dicendo: *Et porrò, quæ erunt iſta tam eximia opera, ut illis impendatur totus homo?* Reſpondere poſſem enarrando plura particularia ſupererogationis opera, quibus adimplendis capacem ſe probaſſe debet *Seraphicum votum* emiſſurus. Verùm ne pluribus intenta minor ad ſingula fiat attentio, generale quoddam opus hoc unicum expendatur, *Reſignatio prorſus univerſalis, & in omnibus.* Si perpendere lubeat opus hoc, primò quidem invenietur illud eſſe veraciter eximium, cum non ſit aliorum, quàm qui pervenerunt ad gradum perfectionis acquiſitæ. Nam licet incipientes aut proficientes reſignationem habeant vel ad omnia præcepta, vel ad omnia conſilia regulari vitæ neceſſaria, cum ſtudio per hæc ad reſignationem prorſus univerſalem perveniendi, ſolis tamen perfectis hoc eſt proprium, quòd in opere jam allegato ſint habituati, quodque ſe totos illi impendant. Deinde reperietur etiam, quòd ad hoc opus nulli ſint obligati per ſuam profeſſionem, etiam religioſiſſimam. Ac tandem *voto Seraphico* conſtrictos ad illud obligatos eſſe deprehendetur.

Quòd ſi plus adhuc fortè luminis in

in hac parte requiratur, recurrat memoriæ, quid S. Thomas resolvat in articulo, quo petit: *Utrum quilibet Religiosus teneatur ad omnia consilia?* Quæsitum hoc non ita debet intelligi, tanquam dubium foret, An Religiosus obligationem habeat omnia simul consilia practicandi, vel etiam omnia faciendi quæ sunt in abstracto perfectiora, primum enim impossibilitatem, secundum autem etiam impietatem includere manifestum est, & constat ex eis quæ diximus lib. 1. Videtur autem sensus quæstionis clariùs ita posse proponi: *Utrum Religiosus vi suæ professionis teneatur esse resignatus ad omnia?* Responsio Sancti Doctoris est, quòd Religiosus non teneatur *ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa, quæ determinatè sunt ei taxata secundùm Regulam quam professus est*: quod idem est ac si diceret, quòd Religiosus non teneatur esse paratus & resignatus universaliter ad omnia. Quâ doctrinâ suppositâ clarificari videmus quam statim exhibuimus. 2.2. qu. 186.a.2.

Objectionibus aliis, quoad votum Christi vel Beatissimæ Virginis, vel aliorum, nil hîc respondendum arbitror:

tror: quia si Lector diligenter velit expendere quæ dixi lib. 2. cap. 16. satis inveniet me cum fundamento majori conjecturare, non esse novum omninò *votum Seraphicum*, eò quòd auctoritatibus positivis hoc possit ostendi; quàm conjecturent sentientes contrarium, propter auctoritates negativas: quia v. g. dictum est à Riberâ, quòd votum hujusmodi nec legerit unquam nec audierit quempiam emisisse.

Postquam proposuit omnia Defendens, propter quæ displicet ei *votum Seraphicum*, adjungit: *Propositum Seraphicum faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius, supradictis scrupulis non ita subjacet, sed, quoniam spiritus ubi vult spirat, nobis non displicet, pluribus congruit.* Illud verò ly, *Et*, quod sequitur, sensum videtur talem adferre tanquam si diceretur, *Sed*: Nam ita loquitur: *Et facilius est consilium Ven. P. Aip. Roderici P. 1. Tract. 7. ut in defectibus extirpandis (sic est de virtutibus exercendis) procedatur per unum, & per tempus eidem insistatur*: Quorsum enim procedi vult per unum, nisi ut minus consultum (licet non omninò damnandum) innuat propositum *omnia* faciendi quæ voluntati divinę magis

gis intelliguntur esse conformia ? Videtur itaque Defendens aliquam in his duobus repugnantiam invenire : sed ego me fateor illam huc usque frustra quæsiviſſe. Faxit Deus, ut ipsius misericordiam & unionem non frustra quæram : quod indubiè fiet si verè quæram. Hoc igitur ut impetrare prome studeat amicus Lector ipsius humillimè benevolentiam obtestor.

FINIS.

INDEX

INDEX.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.
CAP. I. *Quidnam sit vel significet* Propositum Seraphicum *faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius.* *fol.* 1
CAP. II. *Quòd* perfecta libertas animæ *requiratur & sufficiat ad* propositum Seraphicum : *quodque potestatem omnes habeant abrumpendi* vincula cupiditatis *universa.* 12
CAP. III. *De tribus* vinculorum *generibus, duo grossiora, nempè* catenarum *&* funium, *describuntur.* 26
CAP. IV. *De tertio* vinculorum *genere nempe filorum.* 40
CAP. V. *De modo quo* vincula cupiditatis *omnia sunt* abrumpenda. 40
CAP. VI. *Quòd ita soli* divinæ voluntati *mens verè* libera *debeat obedire, ut ne vel ipsis quidem consiliis divinis adhæreat. Et quòd ipsa frequenter debeat propter perfectionem, ea, quæ sunt in abstracto perfectiora, omittere.* 63

CAP.

CAP. VII. *Quare necessaria sit* discretio, *voluntatisque* divinæ *sedula consideratio.* 79

CAP. VIII. *Quòd ad veram sufficientemque* discretionem & voluntatis divinæ cognitionem, *insufficientiâ propriæ cognitio sit valdè necessaria.* 87

CAP. IX. *Duæ regulæ* discretionis orthodoxæ, *per quas possumus intelligere quid sit perfectius.* 102

CAP. X. *Quoad scientiam* divinæ voluntatis SECRETUM MAXIMUM. 123

CAP. XI. *Quòd* Deus *verè capiat & desideret, ut omnes semper faciant ea, quæ magis ei sciunt accepta.* 143

CAP. XII. *Quòd nulli* Christianorum *dicere liceat:* hoc vel illud contilii nolo facere, quia non obligor. *Et quomodo teneantur omnes habere verum propositum, hoc est, intentionem sive prætentionem faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius.* 151

CAP. XIII. *Quòd nemo* Christianus *rectè dicatur nisi qui conatur amare* Crucem *& nisi qui* Christo *moribus, prout valet, coæquatur.* 171

CAP. XIV. *Vtrum bonus dici possit* Religiosus, *qui non proponit altius ascendere quàm illi præscribitur à legibus suæ professionis?* 196

Co-

COROLLARIUM. 218
CAP. XV. *De* duobus titulis *quibus* omnes *ſpecialiter obligamur, ſi non facere, ſaltem conari facere quidquid intelligitur eſſe perfectius.* 220
CAP. XVI. *Quòd ſit* poſſibile *ſemper facere quidquid intelligitur eſſe perfectius.* 236
CAP. XVII. *Quòd* non ſit difficile *ſemper facere quidquid intelligitur eſſe perfectius.* 249
CAP. XVIII. *Inter peccata* plenè *& tantùm* ſemi-plenè voluntaria, *maximè notanda diſtinctio.* 262
CAP. XIX. *Quidnam ſit* de induſtriâ *deficere, declaratur ex D. Thomâ.* 269
CAP. XX. *Unde quis cognoſcere valeat, utrum* de induſtriâ *vel aliter deficiat. Et quantum defectus alii conducant ad profectum.* 284
CAP. XXI. *Quòd* propoſitum Seraphicum *ſit* honeſtiſſimum. 301
CAP. XXII. *Quòd* propoſitum Seraphicum *ſit* utiliſſimum. 317
COROLLARIUM. *Tam vivis quàm defunctis proficuum.* 339
CAP. XXIII. *Quòd* propoſitum Seraphicum *ſit* jucundiſſimum. 344
CAP. XXIV. *Doctrina quædam præclariſ-*

tur, quòd Ecclesia doceat S. Matrem N. *emisisse* votum *suum, Deo consiliante.* 174
CAP. XV. *Quamvis Ecclesia doceat & experientia, quòd* votum Teresianum maximè *sit* arduum, *hoc tamen non obesse declaratur.* 199
CAP. XVI. *Ad opprobrium de* novitate *vel* singularitate *responsio.* 211
CAP. XVII. *Quòd* votũ Seraphicũ *nullo modo sit* præsumptuosum. 234
QUÆSTIO PERUTILIS. 251
CAP. XVIII. *Quòd* votum Seraph. *hîc explicatum, nec infirmitati nostræ naturali sit* periculosum, *nec etiam* scrupulis *obnoxium.* 260
CAP. XIX. *Quòd* votum Seraphicũ *non sit* supervacaneum. 274
CAP. XX. *Ad illos qui objiciunt, quòd omnia semper* extrema *sint vitanda.* 286
CAP. XXI. *Ex epistolâ Sancti Patris* Augustini, *quæ ponitur num.* 45, *puncta quædam notabiliora, non parvam dictis & lucem & firmitatem adferentia.* 301
APPENDIX *Sive responsio brevis ad quasdam Theses Theologicas.* 313

FINIS.

Theresia a
Jesu

100 t

2 vol in 1

DB 2418/1428

DC
27

6743794
24AG 17

16-p